



1837
ARTES
SCIENTIA
VERITAS
LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
CIRCUMSPICE



DANIELIS GERDESII
HISTORIA REFORMATIONIS,
SIVE,
ANNALES EVANGELII
SECULO XVI.
PASSIM PER EUROPAM
RENOVATI
DOCTRINÆQUE REFORMATÆ,
ACCEDUNT VARIA MONUMENTA
PIETATIS ET REI LITERARIÆ
Ut plurimum ex mss. eruta.


TOMUS IV.

Qui Reformationem *Galliæ* usque ad exitum Francifci I. & *Angliæ* fub Henrico VIII. & Eduardo VI. complectitur.
Accedunt Indices in Tom. III. & IV. neceffarii.



GRONINGÆ & BREMÆ,
Apud { HAJONEM SPANDAW, & GERH. WILH. RUMP. } Bibliopolas.
ANNO MDCCLII.





LECTORI BENEVOLO

ATQUE VERITATIS CUPIDO SALUTEM.

PRæsentem hunc *Historiæ* REFORMATIONIS Tomum quartum, qui serius aliquanto quam exoptaveram prodit, sine Præfamine emittere constitueram; præsertim, cum nihil magnopere quod è re tua esset, haberem monendum, nec opus esse Lectorem in atrio diu immorari judicarem;

Etenim, eadem methodo, eademque accuratione ac fidelitate, in recensendis rebus, & enarrandis Dei Magnalibus, me usum fuisse atque etiam in Tomis superioribus, deprehendes, ne non ultima responderent primis; Neque facilè quicquam

quod non ex uberrimis fontibus depromtum & à fide dignis testibus comprobatum sit, admisi, neque etiam commisi, ut ullo partium studio ductus (quod equidem noverim) à veritate deviaverim vel divortium fecerim.

At verò, interpellarunt quædam, ac ut sententiam mutarem induxerunt animum, ac pæne obstrinxerunt; Erat scilicet inanis quorundam ac frivola opinio, sive ea sit vetus sive recens, & denudanda & refellenda, qui, qua sunt animi levitate, universum REFORMATIONIS negotium, quo Deus ecclesiæ suæ misertus, Religionis doctrinam ab inveteratis scholarum erroribus, cultum verò ab usitatis superstitionibus repurgavit, ac *Papam Romanum*, qui illa in sede pro Christi Vicario ac totius Ecclesiæ Catholicæ capite sese gerebat, detracta ei larva, ipsissimum *esse Antichristum* verbo & opere clarissimè testatus est, tanti vix æstimant, ut in ejus descriptione vel teratur tempus, vel oleum insumatur ac opera, quique adeò rident a) zelum illum Majorum, tolerataque, ob res, quæ pro indifferentibus hodie habentur, tot ac tanta pericula.

Ne-

a) De quibus jam suo temporé conquerebatur in Præloq. ad Comment. de *Luther*. SECKENDORFIUS.

Neque sunt hi tales imperiti tantùm, qui in hunc institutæ à majoribus Reformationis contemtum incidunt, sed & docti, quique ante alios & supra scholam sapere videntur, sed tales tamen, qui Acta illorum temporum & Reformatorum nostrorum cogitata, scripta, facta, ita fastidiunt, ut illis tanquam incultis & semibarbaris, vel suà vel aliorum recentiorum cogitata longe præferant.

Enimverò, hi, sive clam sive palam in Reformationem invehantur, suam docti licet produnt ignorantiam, ac simul exulceratum erga Religionem, purumque Dei cultum & sanctissima Christi placita dissimulare nequeunt animum; Iisque adeò vix quicquam regeri posse pervideo, quam quod sapienter suo jam tempore monuit Illustris SECKENDORFIUS a) in Præloquio ad Commentar. Histor. & Apolog. de Lutheranismo; „ Non frustra in Veteri Testamento Æ-
„ gyptiacæ servitutis recordatio Israëlitis toties
„ commendatur, eademque utilitate Apostoli
„ gentilibus non cessant pristini erroris infelici-

a) SECKENDORF l. c. Quod monitum scitè admodum suis Reformatorum adversus Eminentiss. Quirinum vindiciis apposuit Vir Excellentiss. *Sam.* FORMEY Academiæ Borussicæ Secretarius perpetuus, Francof. ad Viadr. 1750. 8.

„ tatem ob oculos ponere. Cur non & nobis
„ illo exemplo recolere conveniat beneficia, in
„ repurgando Ecclesiæ ſtatu majoribus exhibita
„ & in nos continuata, SIQUIDEM SERIO
„ CREDIMUS BENEFICIA ESSE? „

Et factum ſanè nollemus, ut veterem illam, totiesque decantatam, ſed & à noſtris toties totiesque jam retuſam ordiretur denuò cantilenam, Eminentiſſimus ille R. E. Cardinalis *Angelus Maria* QUIRINUS, Vir πολλων ἀνταξιος ἀλλων, quaſi leviſſimis ſaltem de cauſis totum hoc fuiſſet ſuſceptum negotium, quod *deformationis* potius quam *reformationis* nomine compellandum, atque à *ſchismatis dedecore* non facile ſit vindicandum:


Quamvis enim non ſine ingenti tripudio in hanc rem ſuam, quædam ex *Commentariis Brandenburgicis* a) petita verba, ad vellicandam Refor-

a) Verba Academici Berolinenſis (quicunque demum fuerit) ita ſe habent, in *Memoires pour ſervir à l' hiſtoire de Brandebourg* p. m. 32. editionis Haganæ, in forma quarta, cum privilegio Regis: „ Si dont on veut reduire les cauſes des progres de la „ Reforme, à des principes ſimples, on verra, qu' en *Allemagne* „ ce fut l' ouvrage de l' Interêt, en *Angleterre*, celui de l' Amour, „ & en *France*, celui de la Nouveauté, ou peut etre, d' une Chan- „ ſon. „ Quibus iisdem verbis ad cauſam ſuam detortis intempeſtivè jam abuſus eſt Jeſuita Heidelbergenſis F. SEEDORF in Epiſtolis Gallico ſermone adverſus Proteſtantes ſcriptis, quas

formationem potiſſimum facientia decerpſerit, eaque noſtris hominibus nunc nuper admodum publicè privatimque objecerit atque objiciat; Tamen non poterat eſſe, Viro Eminentiſſimo, atque in noſtrorum ſcriptis ſive hiſtoricis ſive apologeticis verſatiſſimo, obſcurum, quam omnia fere Monumenta hiſtorica, pridem à noſtris allata & in apricum producta, evincant contrarium, ut illa vetus criminatio dudum evileſcere ac evaneſcere debuerit, apud eos ſaltem, qui Ειλικρινειας ſe vel ſtudioſos vel ſectatores perhibent, quamcunque demum profiteantur ſectam.

Neque enim Reformatio GERMANIÆ ullo pacto vel Lutheri vel Principum Poteſtantium avaritiæ, ac intempeſtivo inhiandi bonis Pontificiorum eccleſiaſticis, ſtudio, adſcribi poteſt; Neque etiam cum veritate hiſtorica poteſt conciliari, quod Reformatio ANGLIÆ illicitis Henrici VIII. amoribus accepta referri debeat; Multo verò etiam minus, quod Reformatio GALLIÆ Novitatis ſtudio

quas tamen examini ſubjecit ac ſolidè refutavit Celeb. C. M. PFAFFIUS Academiæ Tubingenſis Cancellarius, qui *Commentarios* illos, Membro cuidam *Societatis Boruſſicæ* adſcribit, ac ut ne amplius cum ratione hæc nobis à Jeſuita queant objici, effecit, conf. *Muſeum Helvet*. Partic. XVIII. p. 272. & Pfaffii Reſponſ. ad Ep. II. p. 67. edit. German.


1837
ARTES
SCIENTIA
VERITAS
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE



DANIELIS GERDESII
HISTORIA REFORMATIONIS,
SIVE,
ANNALES EVANGELII
SECULO XVI.
PASSIM PER EUROPAM
RENOVATI
DOCTRINÆQUE REFORMATÆ,
ACCEDUNT VARIA MONUMENTA
PIETATIS ET REI LITERARIÆ
Ut plurimum ex mss. eruta.

TOMUS IV.

Qui Reformationem *Galliæ* usque ad exitum Francisci I. & *Angliæ* sub Henrico VIII. & Eduardo VI. complectitur.
Accedunt Indices in Tom. III. & IV. necessarii.



GRONINGÆ & BREMÆ,
Apud { HAJONEM SPANDAW, & GERH. WILH. RUMP. } Bibliopolas.
ANNO MDCCLII.

prouti illud in *MELANCT.* Consiliis Theologicis pag. 586. seq. legitur, & ex scriniis Serenissimi Principis Gothani est excerptum à SECKENDORFIO loc. cit. & in Histor. ad Annum 1545. fol. 522---536. ubi illud exhibetur integrum, abundè colligitur, atque indicatum est ab eodem, qui hic nobis otia fecit, Illustri SECKENDORFIO, ad quem, ne actum agagmus, benevolum remittimus Lectorem.

Quod verò jam ANGLIÆ concernit Reformationem; Eam ne quidem HENRICO, quippe qui semet ipso propemodum inscio atque invito in illud theatrum est introductus, acceptam referri debere in comperto est, nedum, ut ejus amores, & in iis vel levitas vel fervor, in hunc censum vocari possint;

Quanquam enim non diffiteamur, quod illa de matrimonio & divortio Henrici VIII. Regis Anglorum cum Catharina Hispaniæ Regis Filia natu majori, controversia, (de qua quantum satis est in hoc Opere §. LXI. seq. pag. 195---204. diximus) ansam dederit Henrico, vinculum cum Pontifice Romano disrumpendi, & omnem illam Hierarchiam Papalem, sub qua Christianus orbis, atque Anglia cumprimis du-

dum

dum gemuerat, excutiendi, tamen, quod Henricus ita non ſtabiliverit Reformationem, aut repurgatam doctrinam unquam fuerit amplexus, adeò certum eſt, quam quod certiſſimum; Quod enim, per omnem vitam, licet à Papa alienus, papiſticam tamen doctrinam & ſectatus ſit, & homines ei addictos foverit, ex certis conſtat rerum documentis; Quid? quod & ſummum ejus erga Evangelicos odium, non uno declaraverit facinore, quando & emendatæ doctrinæ confeſſores ſua auctoritate juſſuque graviſſimè & ad mortem usque perſecutus eſt; Ut parum quoque abfuerit, quin ſub ultimis vitæ diebus, eum, quem ceteroquin tanti æſtimaverat, atque intimo proſequebatur affectu, *CRANMERUM* inquam Archiepiſcopum, & Catharinam quoque *PARRIAM* Reginam, quod Lutheranismi accuſarentur, atque hæreſin eam fovere dicerentur, in ſupplicium traxiſſet ac Papiſticorum accuſatorum libidini ſacrificaſſet, niſi ſingulari Providentia divina, quod in ipſo hoc Opere eſt oſtenſum, periculum quod illis intentabatur, evaſiſſent;

Ne jam de martyriis Thomæ *CROMWELLI*, Roberti *BARNESII*, Jo. *LAMBERTI* & alio-

rum, itemque de mortibus *Annæ Askewæ* nobilis fœminæ, Nicolai *Beleniani*, Johannis *Adami*, & Johannis *Lacelli*, Reformatorum doctrinæ addictorum, & ultimo Regiminis Henrici anno, capite plexorum, aut, de *ſex* illis famoſis *Articulis*, de quibus in hoc opere §. XCIII. pag. 289. ſeq. actum eſt, & quos unicuivis ſub pœna capitis obtrudere conabatur, quique noſtræ doctrinæ è diametro adverſabantur, quicquam dicamus;

Quæ tamen omnia, atque quamplurima alia, luculenter evincunt, HENRICUM Regem à Reformatorum doctrina & cultu planè fuiſſe alienum, ut, ſi quæ tentamina reformandi Eccleſiam tum facta fuerint, uti verè fuerunt facta à Cranmero, Cromwello, atque aliis, aut, ſi quæ via ſit parata Reformationi ſub ejus Imperio, id longe aliis cauſſis ſit adſcribendum, quam Ejus favori, aut in Reſtitutam doctrinam ſtudio, nedum ut ejus in Annam Boleniam amores, quibus equidem cum Catharina divortium accelerabatur, atque etiam à Pontifice Romano Schisma promovebatur, non autem Reformationis negotium, hic in cenſum venire poſſint.

Et,

Et, quis neſcit, quam Elector Saxoniæ *Johannes Fridericus*, etiam poſt iteratas Henrici ad Principes Poteſtantes Legationes, ab Henrico tanquam doctrinæ Proteſtantium inimiciſſimo abhorruerit, utpote à quo nil boni plane expectari poſſet, cum ejus Regimen eſſet tyrannicum? quod ad Ann. 1546. Illuſtris BURNETUS In Hiſtoria Reformationis Anglicanæ Tom. III. fol. 166. diſertis verbis ex ejus reſcripto ad Legatos d. 12. Januar. 1546. ſignato, retulit; In quo Saxo Henricum vocat, *virum impium, cum quo nihil commercii habere vellet, perſecutorem, non meliorem Pontifice, cujus dominatum ſui tantùm emolumenti cauſſa excuſſerit, & ex duabus religionibus peculiarem quandam conflaverit, ut opes acquireret, cum primarios tamen Evangelicorum articulos in Parlamento ſuo damnaſſet.* Conf. *SECKENDORF.* Hiſt. Lutheranismi Lib. III. §. CXXXI. n. 3. fol. 614.

Uti quamplurima alia crudelitatis ejus & in Evangelicos exercitæ tyrannidos ſpecimina, tum, ut poteſtatem ſupremi Eccleſiæ Anglicanæ capitis tanto clarius exſereret, tum, ut ſuam de fide Romano-Catholica curam tanto magis oſtenderet, omnium oculis ſunt expoſita, nec niſi à rerum illarum ignaris negari poſſint;

Enimverò EDUARDUM VI. ejus filium ac in Regno ſucceſſorem, Evangelicorum doctrinam & cultum in Anglia ſtabiliviſſe, ac beatam Reformationem ſuſcepiſſe, ac ad certam quandam formam reduxiſſe, ex eorum temporum Annalibus conſtat, & à nobis in hoc Opere eſt evictum; Neque tamen alias ei negotio adſcribi poſſe cauſſas generales, ſi à providentiæ divinæ hæc omnia gubernantis nutu diſceſſerimus, certum eſt, quam, quæ ex ipſo intuitu Religionis depromuntur, tunc ubivis mirum & miſerum in modum deturpatæ, quod inficiari non audent Pontificii cordatiores, quodque non inficiaturum eſſe confidimus ipſum Romanæ Eccleſiæ Principem Purpuratum, Eminentiſſimum QUIRINUM; Tametſi hanc telam ſatis in opere pertractatam, nunc in præfamine retexere ac repetita vice exponere, non allubeſcat.

Sed &, GALLIÆ Reformationem, ſi contemplari velimus ſeriò, nulliſque occupati præjudiciis, prouti ea ſub FRANCISCO I. cœpta, atque deinceps ſub Henrico II. Franciſco II. Carolo IX. & Henrico III. per tela per ignes, continuata & conſervata eſt, pervidebimus, quam ea nullo modo, frivolis ejuſmodi atque ludicris cantiun-

culis

culis, quales ſibi quidam imaginantur, & quibus tum temporis Gallos, per inſitam Nationis levitatem, cumprimis delinitos, hodierni quidam ſibi nobisque perſuadere conantur Galluli, ſit adſcribenda, quin potius, eidem illi benigniſſimæ ſupremi Numinis providentiæ, veritatem ex tenebris, & diem ex denſiſſima noctis caligine educenti, animos confeſſorum luce veritatis colluſtranti & eos adverſus infinita ſuppliciorum genera, exilia, proſcriptiones, ignes, mirum in modum confortanti ac corroboranti;

Eſt quidem Famianus STRADA ex Jeſuitarum diſciplina Hiſtoricus, qui ſuo jam tempore prodidit, quam Editio Pſalterii Davidici Gallicis metris illigata, per Clementem Marotum inchoata ac per Theodorum Bezam continuata & abſoluta, accedentibus imprimis, opera præſtantium muſicorum, (quæ verba ſunt Stradæ a)) ſuis cuivis hymno magno numerorum lenocinio modis, id effecerit, ut novum Pſalterium ab omnibus certatim expeteretur: Ita tamen ut cum ea hymnorum translatio à Pontificiis (quos vocat Catholicos) & deſereretur & damnaretur, quod ea tum obfirmato ſtudio manſerit apud hæreti-

*** cos,

a) Vid. STRAD. de Bello Belg. Dec. I. Lib. III. p. m. 108. 109.

cos, *ſicque mos canendi Pſalmos Gallica lingua ad modos Genevatum in cætibus, in triviis, in officinis, propria exinde nota fuerit hæreticorum.* Neque tamen ex his quidpiam poſſe aut debere colligi, manifeſtum eſt, apud æquos ſaltem rerum arbitros, quod Reformationis cauſam extenuet, niſi quis omnem forte Canticorum & Hymnorum ſacrorum uſum ex cœtibus Chriſtianorum eliminare velit, quem in ipſius tamen & Chriſtianorum & Pontificiorum ſacris jam ab antiquo uſum habuiſſe ex Hiſtoria conſtat Eccleſiaſtica; Niſi quod Pontificii, lingua peregrina, Noſtri verò, lingua vernacula, cultum Deo peragendum eſſe ſuſtinuerint; quod ita ferre tum nequibant Ponficii, ut vel ob hanc etiam cauſam, inuſſerint veræ fidei confeſſoribus, hæreſeos notam, eosque ferro & igne fuerint perſecuti, omneque pœnarum genus in eos decreverint ac in hunc usque diem decernant:

Quæ autem de Hymno Calvini, ex MORERI a) dictionario referuntur, ea ſubleſtæ fidei eſſe jam dudum à noſtris eſt evictum, ut hæc talia ſine

die

a) MORERI in Dictionar. voce Calvin: „Il avoit des partiſans, qui travailloient à lui faire „des creatures. Les plus zeles etoient *Veron*, le *Ramaſſeur*, & *Bonbomme*, qui alloient de tous „côtez ſolliciter les Religieux & les Religieuſes, à Souſcrire aux ſentimens de ce nouvel Apo„tre, qui leur permettoit de ſe marier. Ils chantoient une certaine chanſon, que Calvin avoit „luimeme compoſée, avec ce referain: *O Moines, Moines, il vous faut marier, Cœli enar„rant gloriam Dei.*

die & consule prolata, tanquam dudum explosa suis auctoribus potius relinquenda sint, animique devotio sit defigenda, in mirabiles illas & innumerabiles providentiæ divinæ vias, quæ si ullibi certè in *Historia Reformationis Gallicæ* jam inde ab initio hujus Reformationis fuerunt conspicuæ, quæque (quod in hoc Volumine explicatum est) effecerunt, ut integra veritatis Evangelicæ doctrina, quam carcere, exilio, proscriptione, incendio mulctandam, quam terra marique exterminandam vociferabantur Pontificii, tamen innumeros sortiretur ex omni hominum genere asseclas & confessores usque ad mortem perseverantes, tametsi etiam propter eandem vinculis constringerentur, virgis cæderentur, in ludibrium circumducerentur, proscriberentur, sævissimè torquerentur, fuga elaberentur, omnium rerum angustia premerentur, diris exsecrationibus devoverentur, maledictis lacerarentur, & indignissimis modis tractarentur; Quæ ipsa persecutionum vehementia & eorum inflammabat studium, & exacuebat ardorem, & vim addebat veritati, quæ nullis hostium armis aut violentia poterat extingui, sed instar palmæ, quo supprimeretur magis, magis succrescebat; Cujus mirificæ

ficæ prorſus atque ſtupendæ conſtantiæ, uti inde ab initio in memoriam atque poſteritatem prominentia dedit exempla natio Gallica, nulli certe ſecunda, ita triſtiſſimis deplorandum eſt lacrymis, eam ipſam Nationem omnem illam doctrinæ puritatem ita deinceps & cumprimis parentum noſtrorum temporibus excutere debuiſſe, ut non niſi leves quædam remanſerint umbræ, atque tenues opulentiſſimæ meſſis evangelicæ relictæ ſpicæ, quæ tamen etiam nunc, ſimulac in ſegetem quandam adoleſcere denuo videntur, & diſſipantur, & extirpantur, caventibus iis, quibus publica Sacra ad Romanæ eccleſiæ nutum inſtituta tuenda conſervandaque ſunt demandata, ne ad ullam maturitatem emergere amplius poſſit in vaſtiſſimo Galliarum Regno Meſſis Evangelica.

Atque hæc quidem hactenus. De reliquo, ut miſſis præjudiciis, atque conſideratis adtenta mente, quæ luculentis à me teſtimoniis inſtructa ſunt, rerum momentis, hoc quoque volumen perluſtres, oro, divinamque efferas gratiam, quæ in hunc usque diem Lucem Evangelii tum temporis exortam in feliciſſimo cumprimis *Magnæ Brittanniæ* Regno & ſerenam conſervavit, & late ſplendentem tuetur ac conſervat:

Mihi ſaltem abunde ſatisfactum erit, ſi, quæ magno labore ac non mediocri induſtria conquiſivi, & quanta fieri potuit accuratione expoſui, tametſi non aliam quam veritatis ac ſimplicitatis habeant laudem, bonis quibusdam, & το Αληθευειν ἐν ἀγαπῃ diligentibus, non omnino diſplicuerint. Dab. Groningæ. Ad Idus Quintiles. cIↄ Iↄcc LII.

H I-



HISTORIA EVANGELII SECULO XVI.

PASSIM PER EUROPAM RENOVATI, DOCTRINÆQUE REFORMATÆ.

SECTIONIS III.

CAPUT I.

DE PRIMORDIIS REFORMATIONIS *ECCLESIÆ GALLICANÆ* SUB FRANCISCO I. REGE.

§. I.

SUnt WALDENSES, qui jam à trecentis annis in montibus Narbonenſis Galliæ, Provinciæ, & Allobrogum ſub Alpinis vallibus aliisque locis, à Pontificia & eccleſia & doctrina palàm divortium fecerant, uti inter Veritatis Teſtes, ita inter primarios Gallicanæ Eccleſiæ Reformatores connumerandi; Quippe qui alta ſatis voce contendebant, *a Paparum obedientia alienari debere populum Chriſtianum*, *ſi ſalvari vellet*, *atque extinctæ prope Religioni*, *atque pietati opem ferendam eſſe*; Sunt enim ab iis

permulta veritatis Evangelicæ semina per universum Galliæ regnum dispersa, quæ tam altas in hominum mentibus radices egerunt, ut cum propior Reformationis dies allucesceret, ea quoque ubertim semet exsererent, atque non in ramos solummodò ac frondes, sed præcipue in fructus miris modis propullularent; Ut fere nullibi Reformationis lumen vel promtius fuerit receptum, vel latius ac celerius se diffuderit, quam in Regno Galliæ, quanquam etiam nullibi majori vi atque contentione fuerit sufflaminatum atque subversum.

Imperabat autem Gallis circa *Seculi decimi sexti* principium, LUDOVICUS, ejus nominis *duodecimus*, præclara fama Rex, qui, quali erga Pontificem Romanum *Julium secundum* fuerit animo, plus simplici vice testatum fecit: Quippe qui non solummodo A. 1510. *Cæsaroduni*, (quæ civitas est Turonorum metropolis vulgò *Tours*) coacta Præsulum regni ejus Congregatione solenni, ipsum in jus (a) vocavit, & variis definitis articulis (b), etiam adversus Papam legitime suscipi posse bellum, affirmavit, sed &, ad compescendum Papæ fastum (c) adunatis cum Maximiliano Imperatore consiliis, auctoritate quorundam Cardinalium Mediolani congregatorum, Concilium PISIS indixit, in quo *de Emendando Ecclesiæ statu* ageretur, &, juxta regulam ultimi Concilii Constantiensis, *in caput & membra* inquireretur.

In

(a) THUAN. L. I. C. VI. fol. 15. qui tamen in loco, errorem, à PUTEANO animadversum commisit, *Lugdunum* pro *Cæsaroduno*, ponendo. conf. RICHERII Histor. Concilior General. Lib. IV. P. I. pag. 81. sq.

(b) Hos articulos, prorsus memorabiles, propter rei memoriam inter Documenta huic volumini Num. I. subjuncta exhibemus ex memorabili Opere *Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ* a P. PUTEANO circà medium superioris seculi edito, fol. 397. & 398. Sed & addimus iis illud, quod Cl. KAPPIUS suo spicilegio ad Histor. Reform. P. IV. p. 490. sq. inseruit exemplar quod copiosius atque elucidatius à coæva manu est conceptum, atque Cl. Kappio communicatum à Viro Rev. J. B. Rittero tum temporis Verbi divini ministro Francofurtano.

(c) MEZERÆUS abregé Chronolog. To. IV. p. 454. *Ainsi l'un & l'autre* (L'Empereur & le Roy) *afin de dompter l'orgueil de Jules, convinrent entre eux, d'assembler un Concile general, pour la reformation d'Eglise, tant en son Chef, qu'en ses membres.*

In eo Concilio (a), ne quis Ecclesiæ caput reformatione non indigere arguat, perjurii reus agebatur Papa JULIUS, qui intra biennium se universale concilium cogere velle (b) juraverat, cum hactenus tamen jam per octennium sedisset, nec quicquam ejus effecisset; Ipsa convocatio fiebat à Maximiliano & Ludovico, quorum prior testabatur, *sibi tanquam Imperatori & Ecclesiæ advocato & protectori, id competere, ne, Pontifice cessante* (c), *& ipse ab omnipotente Deo negligentiæ redargueretur*, posterior etiam addebat, *hanc fieri convocationom, ut de criminibus notoriis Julii II. universam Ecclesiam scandalizantibus* (d) *ageretur*.

In ipso verò Concilio, quod d. 15. Novembris 1511. Præside *Bernardino Carvajalo* Episcopo Sabinensi Cardinale Sanctæ Crucis, aperiebatur, Sessione prima decretum fuit, „ indictionem præ„sentis Concilii ob generalis Reformationis Ecclesiæ Dei tam in „capite, quam in membris (e) evidentissimam necessitatem, rectè „& legitime factam esse.„ In sequentibus, varia ad movendum Papam, ut vel accedat ipse, vel in alio libero loco Concilium cogat, decreta sunt, uti, speciatim in Sessione sexta *Canones vitæ* (f) *& morum* perquam elegantes conduntur, respectu illorum, qui Concilio præsentes esse velint; ac tandem, in Sessione octava (g) d. 21. Aprilis 1512. post trinam accusationem contumaciæ (h), *Julium Papam, diversorum, enormium* (i) *& Ecclesiam Dei scandalizantium continuorum criminum accusatum, contumacem* pronunciant Patres, atque, eum, *ut in aperta rebellione* per-

(a) Extant ejus Acta Lutet. Paris 1612. 4. edita, sed rarò obvia, unde hæc ipsa excerpsimus. Cæterum, & RICHERIUS in ejus Historia Conciliorum Generalium Lib. IV. P. I. latissime ejus acta recenset, suoque commentario Tractatum Apologeticum *Philippi* DECII Jureconsulti eximii inseruit.

(b) Ejus juramenti formulam legimus in iisdem actis pag. 14. 15. 16.

(c) Vid. Acta l. c. p. 22.

(d) Vid. Acta l. c. p. 25.

(e) Vid. Acta l. c. p. 88.

(f) Vid. Acta l. c. p. 152——159.

(g) Vid. Acta l. c. p. 189. sq.

(h) Vid. Acta l. c. p. 184. & p. 190.

(i) Acta l. c. p. 196.

perſiſtentem, ſchismatis excitatorem (a) *pacis inimicum, tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus ab omni papali adminiſtratione* (b) *ipſo facto ſuſpenſum fuiſſe eſſe & fore ſtatuunt.*

Neque ſanè opportuniorem Gallia potuiſſet habere occaſionem, ſemet extricandi Apoſtaticæ illius Eccleſiæ Pontificiæ laqueis, quam eandem hanc, modo ſibi conſtans in his fuiſſet Ludovicus, qui, haud ita multo poſt, Julio mortuo, & Leone X. in ejus locum ſuffecto, Piſano Concilio renunciavit, & ut Leoni X. gratificaretur (c), Lateranenſi ſubſcripſit, conſultius multorum judicio facturus, ſi in laudabili corrigendæ eccleſiaſticæ diſciplinæ propoſito perſeveraſſet.

§. II. Illud verò LATERANENSE Concilium, à *Julio* II. A. 1512. indictum, à *Leone* X. continuatum, Piſano contrarium, præter alia multa, diſertis verbis, *Papam eſſe ſupra concilium* definivit, approbante id tum quidem Ludovico, & ejus ſucceſſore Franciſco Rege, ſed ita tamen, ut *Univerſitas Pariſienſis* jam tum A. 1517. graviſſimam illam interpoſuerit atque publicaverit *Appellationem*, quam in Introductione noſtra ad Hiſtoriam Reformationis (d) inter Moumenta Operi ſubjecta exhibuimus, in documentum, „ quam prorſus depravata tum eſſet Eccleſia „ Pontificia, & quam ea tota ſolenni indigeret Reformatione, „ tam in capite, quam in membris. „

Ludovicus autem Rex cum A. 1515. fato ſuo functus eſſet, ei FRANCISCUS Valeſius ſucceſſit, Muſageta (e) præſtantiſſimus, idemque Libertatis Eccleſiæ Gallicanæ aſſertor ſtrenuus, quamvis etiam ſæpius in Evangelicorum ſacra, & doctrinæ Reformatæ aſſeclas acriter ſævierit, & non niſi ex obliquo eorum cauſam, dum ægrè facere volebat partibus Cæſareis, promoverit; Sed tamen, quæ tum in Galliæ finibus adhuc florebat pe-

(a) Acta l. c. p. 202. Conf. *Introd. noſtr. in Hiſt. Reform.* §. XVIII. pag. 32. 33.

(b) Acta l. c. p. 203. Conf. RICHER in Hiſtor. Concil. General. L. IV. P. I. p. 257.

(c) THUAN. l. c. fol. 16.

(d) vid. *Introd. noſtr.* ad Hiſt. Reform. Docum. Num. VI. pag. 60. & ſeq.

(e) vid. *Introd. noſtr.* l. c. §. XII. p. 20.

peculiaris *Navarreorum* regia ſtirps, variis admodum indiciis ſuum erga ſacra repurganda affectum declarabat, eoque ipſo, provido Dei Numine, efficiebat, ut jam tum, doctrinam Reformatam apud Gallos propagandi lata aperiretur porta.

§. III. Vixdum enim *Lutherus* in Saxonia & *Zwinglius* in Helvetia illud Reformandorum Sacrorum inſtitutum ſuſceperant, quin & in Galliam ejus rei rumor, una cum Lutheri ſcriptis deveniret; Quæ res pro diverſitate tum ingeniorum tum ſtudiorum non poterat non varios eosque admodum diverſos excitare affectus:

Eſt verò dubium, Doctoresne Scholaſtici, an verò Eccleſiaſtici ſe prius emergenti oppoſuerint veritati, modò verum ſit illud, quod in Collectione Judiciorum de novis erroribus (a) legitur, quod jam Anno 1521. ad Concilium Senonenſis Provinciæ Pariſiis habitum, querelæ ſint delatæ, adverſus duos libellos, quorum alter inſcribitur: *Contrà Papiſticas leges Sacerdotibus probibentes matrimonium apologia Paſtoris Kembergenſis, qui nuper ſine Eccleſiæ conſenſu uxorem duxit.* Alter verò ſic: *De Cælibatu & viduitate, auctore Andr. Caroloſtadio*; quodque Antiſtites Senonenſis Concilii, Librarios excommunicaverint, à quibus iſti libelli typis impreſſi fuerant, ſive divulgati. Quando ſimul Pariſienſis Senatus d. 22. Martii ejusdem anni refertur judiciali ſententia graves pœnas ſtatuiſſe contra eos librarios, qui rei eſſent, maximè cum anteà Pariſienſis Senatus interdixiſſet, ne ullus liber ſive ſcriptum de rebus ad S. Scripturam & divinam Religionem pertinentibus, ſine judicio Magiſtrorum Theologiæ à Sacra Facultate Pariſienſi ad examinandos libros delegatorum typis imprimeretur vel divulgaretur.

Integra autem *Univerſitas Pariſienſis* ab ipſo Luthero, quin imò etiam a Friderico Saxone conſulta, ſemet ei ſtatim opponere, atque adverſus eum acerbiſſimam A. 1521. evulgare Determinationem, non eſt verita.

(a) d' ARGENTRE Tom. I. Part. II. fol. 381. ubi ſimul annotatur, quod hujus rei monumenta legantur in Collectione ſic inſcripta: *Recueil des Actes & titres & Memoires concernant les affaires du Clergé de France* &c. Edit. 1716. Tom. I. p. 565. quanquam apud alios ejus rei nec vola ſit nec veſtigium.

rari, præcipuè cum Montano, qui Spiritu cuidam ſuo credi volebat, cum Lutherus omnia ſua ex Scriptura probanda ſuſcipiat: Concilia fruſtrà allegari, quorum quædam non Chriſti ſed Antichriſti doctrinam firmaverint: Academias Theologiam ſcholaſticam ſecutas in hæreſin incidiſſe: Sorbonam non eſſe Eccleſiam, quæ authoritate abſoluta decidere poſſit. In lucem provocat Sorboniſtas, ut prodeant & rationes reddant. Luthero enim per mendacium affingi, ac ſi Eccleſiam audire nollet, qui nihil impenſius deſideraverit, quam ut doceretur, dummodo id ex ſcripturis fiat. Ideò meritò ei à Germanis credi, qui ad Sorboniſtarum nomina jam obſurduerint: non dogmata, ſed dogmatum rationes conferri debere: Exagitat ſpeciatim ſtrophas Pariſienſium, de gratia gratum faciente: *O infelicem* exclamat *Galliam*, *cui tales contingunt cenſores.* Addit alia mordaciora, Dei verò miſericordiam prædicat, quod nunc vera habeatur doctrina de pœnitentia, qua per annos quadringentos caruerit Eccleſia. Addit Epilogum „Hæc monere te, Chriſtiane Lector, volui, ne à Lu„therana doctrina abſterreret Sorbonæ authoritas, quæ quid ſa„piat ex uno atque altero loco hic cognoviſti. Et ex his, quos „adnotavimus, reliqua æſtimabis. Eſt enim ſui ſimilis Sorbo„na, Chriſtum inter fabros citius, quam in iſto genere reperias. „Tuum eſt interim, unà mecum poſtulare Lutetiam rationem „ſui judicii, quam ubi ediderit, de noſtris nos quoque copio„ſius diſſeremus. „

Quod ad poſterius; Nullum eſt dubium, quin ea Melanchthonis Apologia, in qua tot notorii Sorboniſtarum errores notabantur, ac tanta argumentorum virtute refellebantur, ſeſe plurimorum non ex plebe ſolum, ſed cumprimis magnatum, animis inſinuaverit; Certè *Ludovicum BERQUINUM* Virum Nobilem & Regis Conſiliarium, jam inde ab eo tempore veritatis Evangelicæ guſtu imbutum, quoſdam Lutheri libros (a) in Gallicum ſermonem tranſtuliſſe refertur, & nonnullos præterea, ad ædificationem publicam, elucubraſſe, quos omnes tamen eodem cenſuræ condemnatoriæ obelo confixit eadem illa Sorbona, in eo quod tum, A. 1523. de iis tulit judicio, inter alia referens, „quod „No-

(a) d'ARGENTRE Judicia de novis erroribus Tom. II. fol. XI.

„ Nobilis ille Ludovicus de Berquin perversa Lutheri dogmata
„ jam dudum damnata per illos à se editos libros instauret (a),
„ ac defenset, sicque complures ea tabe letifera inquinet, quod-
„ que cumplures libri Lutheri, Melanchthonis atque Carolo-
„ stadii, non solum in urbe Parisiensi, sed & in toto Franco-
„ rum regno ubivis locorum per eundem & ejus asseclas sint di-
„ spersi, qui tamen igne sint concremandi, ne suo contagio
„ quempiam lædant; „ De ipso autem Berquino (b) ita pronunciatur. „ Eum, quoniam Lutheranæ impietatis acerrimus
„ est propugnator, ad publicam abjurationem eorum, quæ com-
„ posuit & transtulit, via juridica esse compellandum, eidemque
„ auctoritate senatoria prohibendum esse, ne posthac attentet
„ componere, aut è latino in vernaculum sermonem transferre
„ quicquam, quod in vesaniæ Lutheranæ defensionem tendat,
„ aut vergat in præjudicium fidei Catholicæ &c. „

Quod verò, non in solis Berquini libris, à Facultate Parisiensi damnatis, sed in innumeris aliis, purior illa fuerit reperta doctrina, quandoquidem summa esset ubivis animorum concertatio de fide, ex ipsis Pontificiorum ea de re testimoniis colligitur (c); Prouti eadem illa Facultas jam tum quoque *Philippi Melanchthonis* (d) libros varios, & cumprimis ejus editos *Locos communes* tanquam hæreticos proclamavit, & condemnationis fulmen, in eos vibravit, asserendo, *quod etiam magis* essent *perniciosi & magis periculosi Melanchthonis libri* (e) *quam Lutheri, ob fucos & lenocinia verborum*; Plurimi etiam eruditi, Poëtæ & Rhetores (f) novitati studebant, cui parti faverent, ancipites, dum alii satis apertè suam doctrinam, certis propositionibus comprehensam publicarent, atque multa

B Sor-

(a) d'ARGENTRE l. c. fol. XII.
(b) d'ARGENTRE l. c. fol. XIII.
(c) ARGENTRE l. c. „ Non in solis Berquini libris à sacra Facul-
„ tate damnatis deprehensum virus Lutheranæ hæreseos, innumeri ejus-
„ dem furfuris reperti fuerant apud Bibliopolas. Ubique summa erat ani-
„ morum concertatio de fide. „
(d) ARGENTRE l. c. fol. XIV.
(e) Conf. DU PIN. Biblioth. nov. Scriptor. Ecclesiastic. Tom. XIII. p. m. 213.
(f) ARGENTRE l. c. fol. IV.

„ laudaverint Lutheri doctrinam, & de iis qui eam vel repudia-
„ rent, vel condemnarent, minus bene locuti fuerint &c. „ Quæ omnia satis arguunt, purioris doctrinæ progressum singularem & haud contemnendum in regno Galliæ successum.

Certè quæ de Anemundo Cocto, Equite Aurato, Gallo Delphinate, & Evangelicæ veritati addicto deinceps referentur, eam causam comprobant; Quippe, qui cum admodum liberè puriorem illam professus esset doctrinam, haud ita multo post, Basileam adire coactus est, ubi A. 1526. supremum diem obiit.

§. V. Neque tamen ulla alia fuit prior Ecclesia, quæ Reformatæ doctrinæ lucem recepit, quam MELDENSIS, cujus adeò, ut hic refricemus memoriam, ante omnia judicamus opportunum.

Melda, oppidum est in Galliis, decem à Lutetia Parisiorum milliaribus; Ejus tum erat Episcopus *Gulielmus Briconnetus*, Parisiensis, vir plane eximius; Is cum doctrinæ purioris jam apud Parisienses gustum cepisset, & semet ei addixisset, nihil eorum omittere, quicquid obstreperent Doctores Sorbonici (a) Evangelio cum maxime infesti, quæ ad excolendam & propagandam veritatem, cujus singulari flagrabat zelo, facere poterant: Certè, non ipse solum, exemplo tum inter Episcopos rarissimo, concionabatur, & populum erudiebat, sed & undiquaque Viros probos & doctos A. 1521. ad se alliciebat, & idoneos Doctores populo præficiebat, inter quos *Jacobus Faber* eminebat *Stapulensis*, ætate licet provectus, cujus in Scripturam S. merita alibi (b) jam quoque enarravimus, & *Gulielmus Farellus* Delphinas,

(a) BEZE Histoire Ecclesiastique des Eglises Reformées de France T. I. pag. 5. Conf. SCULTET. Annales pag. 159.

(b) v. *Introd. in Histor. Reform.* §. LXXVI. pag. 172. sq. Iis verò quæ ibi de Fabro protulimus, addi meretur Elogium, ab eodem Symphoriano Champerio in Mirabil. divinor. Lib. II. fol. XVI. b. Jacobo nostro datum: „ Gloriari itaque merito in Fabro nostro debemus, qui ad
„ nostram & posteriorum doctrinam tot immortalia ediderit monumenta,
„ & præcipuè quod Epistolas Pauli Latinas fecerit, & nunc intelligen-
„ tiam ex Græco, nunc vulgatam taxat interpretationem. Scimus enim,
„ qua nocte densissima hæc latuerint. O beata, non tantum, quam in-
„ habitas, civitas! sed & omnis Gallia, quæ tali decorata est viro! qui
„ est



JACOBUS FABER, *Stapulensis.*

Reformationis Gallicanæ Prodromus,

m. 1537.

nas, qui tum in ipso ætatis flore Lutetiæ versabatur, & in Collegio quodam Lectorem agebat, porro *Petrus Caroli* (a), *Martialis Mezurier*, & *Gerardus Rufus*, Doctores, qui magna cum alacritate Brissonetum adjuvabant & Meldensem populum veritatis cupidum erudiebant, dum ipse interea Versiones Bibliorum, in Gallicam linguam translatorum & præcipue Psalterii, aliosque libros, inter quos & erat auctore Jacobo Fabro, confectus sub ti-

„ eò majoribus dignus est præconiis, quod eloquentiam philosophicam, „ quæ sub Gothorum, Vandalorum & Hunnorum tempora perpessa fuerat Gallia, immo (quod multo deterius) optimæ litteræ, quæ ante illa „ calamitosa secula maximo erant flore, formaverit; quò excellentius est „ animos civium, quam mœnia condere. „

Sed & illud de *Jacobo Fabro* est observandum, eum, quantumvis & superstitionibus & næniis papalibus repurgandam judicaret Ecclesiam, eaque propter a Sorbonistis, uti ex sequentibus patebit, impeteretur, ut se ad Navarrenam recipere deberet, tamen ab Ecclesiæ Romanæ communione secessisse nunquam, unde *Du* PINIUS rectè in Bibl. Nov. Script. Eccl. T. XIII. p. 174. *Il se retira à Nerac ... & y demeura le reste de ses jours sans se separer de l'Eglise.* Quid? quod ERASMUS testetur, quod ipsi, Germanorum, atque adeò Lutheri, reformandi modus fuerit invisus, in Epist. ad Fratres Germaniæ &c. edit. Londinens. pag. 2095. sq. Præterquam, quod unica odii & persecutionis & fugæ ratio fuerit, quod is Scripturam S. in vernaculam transtulerat, in annotationibus ad Evangelia & Epistolas Paulinas aliquantò liberius Vulgatam Versionem taxaverat, Erasmi libros commendaverat, atque iis per *Lud. Berquinum* edendis annuerat vid. Erasm. Ep. p. 918. A. 940. E. & 974. F. ut prorsus inane illud sit de ejus Lutheranismo commentum, à Cl. LOESCHERO in Hist. mot. uberiori P. II. p. 57. 58. instauratum & ab aliis ita repetitum, ut exinde etiam concludendum esse adversus rei veritatem arbitrentur, quasi Lutheranorum prius quam Reformatorum doctrina Galliam illustraverit. Quod, si verò is dicatur fuisse Lutheranismi suspectus, sanè vel pueri norunt, quam illud nomen & Erasmo & Farello & Calvino & reliquis ad invidiam conciliandam fuerit datum, non verò, ut inde quis colligat, hos omnes Luthero magis & Lutheranis doctoribus, quam Reformatis nostris fuisse addictos. Id quod ita de Fabro nostro non potuit esse verum, ut is quoque prius jam in scenam prodierit, quam Lutherus, quippe qui jam A. 1521. Meldis in quatuor Evangelia commentarios edidit, & A. 1517. Parisiis commentarios in *Epp. Paulinas*, quos ipse in fine Operis se jam A. 1512. absolvisse scribit. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ.

(a) ARGENTRE lib. cit. Tom. II. fol. 9.

tulo (a); *Epistolæ & Evangelia secundum usum Ecclesiæ Meldensis* &c. divulgabat & suis sumtibus disseminabat, prædicandi verò potestatem denegabat Fratribus Minoribus, ut ipsi exprobratum est coram Senatu (b). Sed, cum non omnes in veritatis quam amplexi erant studio æque constantes essent, tum factum est, ut quum per Doctores Sorbonicos incitati Monachi Franciscani Meldenses periculum crearent Episcopo, *Martialis* ille *Masurius* (c) cujus ante omnia fuisset animum addere Episcopo, eumque in bono opere confirmare, animum ejus dejiceret, atque ne ipse quoque Brissonetus, acerbè à Francisco Rege increpatus, ultra pergeret (d), suis cum exemplo tum persuasionibus efficeret: Certè, quæ modo plantata crescere videbatur Ecclesia, tum jam collabescere, siquidem Faber Stapulensis, Farellus, Rufus, & alii, jam A. 1523. semet abinde recipere cogerentur, dum Martialis aperte se Papalibus tradens næniis, deinceps ad Canonicatum Parisiensem sibi viam munivit, factus Canonicus & pœnitentiarius (e) Parisiensis.

Sed juvat hanc Historiam de actis in Episcopatu Meldensi, ex ipso veritatis hoste VARILLASIO (f) cognoscere, qui hæc habet: „Lutheranismus ex *Metensi* regione, in quam eum *Fran-* „*ciscus Sickingius* bellum Trevirensi Electori inferens introduxe- „rat, per *Campaniam* & *Briam* in *Meldorum* provinciam pene- „travit. Episcopus urbis erat vir Excellentissimus *Guilielmus* „*Bris-*

(a) Conf. BEDDÆ Apolog. ap. Argentré Tom. III. P. II. p. 9.
(b) ARGENTRE l. c. ibid.
(c) Conf. LAUNOI Histor. Gymnas. Navarr. Opp. Tom. IV. P. II. p. 621. qui disertè dicit, Martialem hunc, ut Episcopus etiam ab incœpto desisteret, suis consiliis effecisse; Ipse autem ille Masurius, uti ex LAUNOJI libro cit. p. 409. constat, quoque A. 1525. jam carceri propter suspicionem Lutheranismi fuerat mancipatus, ex eo, quod retractaret e mancipatus.
(d) *Il se deporta de passer outre.* BEZE l. c. cf. SECKEND. Hist. Luther. L. I. §. CLIX. p. 282.
(e) v. LAUNOJ. loc. cit. p. 621. qui eum A. 1550. adhuc in vivis fuisse asserit.
(f) VARILLAS in Historia hæresium lib. V. p. 373. sq. apud SECKENDORF. in Hist. Lutheranismi L. I. §. CLIX. p. 282.

„ *Brissonetus*, filius, aut ut alii tradunt, nepos Cardinalis ejus
„ nominis, qui Carolo VIII. à ministerio ſtatus fuit, longe
„ chariſſimus. Tanta flagrabat literarum cupiditate, ut om-
„ nes, quas curæ diœceſanæ ſubtrahere poterat horas, iis im-
„ penderet, & cum non reperiret Meldis, quos ſtudiorum ad-
„ jutores habere poſſet, quatuor literatos aliunde accerſivit, ne-
„ ſcius ſuſpectos hæreſeos eſſe. *Jacobum* nempe *Fabrum* Stapu-
„ lenſem, *Guilielmum Farellum*, *Martialem* & *Gerardum Rufos*.
„ *Faber*, ut magis ſe inſinuaret, novam Bibliorum verſionem
„ adornabat, prætexens veteres & inprimis vulgatam non ſatis
„ congruere cum textu Hebræo & Græco. *Farellus* Zwinglii
„ errorem docebat diſcipulos, quos putabat ſecretum cuſtodi-
„ turos eſſe. *Ruffi* duo licentiam ſibi ſumſerant, librum *de cap-*
„ *tivitate Babylonica* defendendi, quo *Lutherus* acerrimè in cu-
„ riam Romanam invectus erat. Hi novæ doctrinæ miſſionarii,
„ quamvis ſecretò docerent, à Franciſcanis tamen Meldenſibus
„ non multò poſt detecti, & Cancellario Galliæ (*Antonio*) *Pra-*
„ *tenſi* denunciati fuerunt. Hic ut in Hiſtoria Franciſci I. pro-
„ lixe relatum eſt, Politicorum ſuæ diœceſeos (neſcio an dicere
„ voluerit, *ſeculi*, aut *regni illius*) maximus fuit. Perfecte no-
„ verat ingenium Gallorum, & prævidebat majora in regno il-
„ lo, quam in reliquo Chriſtiano orbe toto, damna daturam
„ eſſe hæreſin, ſi reciperetur. Regem, herum ſuum in dies ar-
„ dentiorem deprehendebat ad recuperandum ducatum Medio-
„ lanenſem, ab Imperialibus ſibi ablatum. Hanc pulcherrimam
„ Chriſtiani orbis regionem non alia de cauſa Galli perdiderant,
„ quam quod Papam ſociare ſibi neglexiſſent: Opus itaque antè
„ omnia eſſe videbatur, ut cum ſacra ſede reconciliarentur. Tu-
„ tiſſimum autem medium ad id erat, ſi novis hæreſibus aditus
„ in Galliam præcluderetur. Statim itaque ac Franciſcanorum
„ Meldenſium Guardianus Cancellario per literas denuntiaſſet,
„ urbem hæreſi infici & contagium ex palatio Epiſcopali pro-
„ pagari, Epiſcopus ad regem citatus, & ab eo, qui in talibus
„ occaſionibus mirè facundus erat, acerbè reprehenſus eſt, quod
„ tribus aut quatuor hominibus receptum apud ſe daret, qui
„ diœceſin ejus brevi eſſent perverſuri, niſi prohiberentur; pro-
„ mi-

„ misit igitur Episcopus, se eos statim esse dimissurum, ut & fecit. Sic Lutheranismus in cunis oppressus fuit in Gallia. *Martialis Rufus* publice recantravit, & tanta pœnitentiæ signa dedit, ut tandem Canonicus & Pœnitentiarius Parisiis factus sit. *Frater* ejus & *Faber*, asylum *Neraci* invenerunt, ubi soror *Francisci* I. eos protexit, sive, quod ejusdem cum illis esset sententiæ, sive, simplici erga literatos cujuscunque religionis, affectu. Duo illi *Lutheranismum* constanter tenuerunt, sed *Farellus*, qui ad Helvetios fugerat, *Zwinglii* dogmata statim professus est, & *Calvinum* postea Genevæ adjuvit, ubi centrum sectæ suæ habuit. Discipuli eorum plerique lanifices, obstinatiores erant. *Johannes Clericus* qui scriptum quoddam adversus indulgentias publice in valvis templi Cathedralis affixerat, virgis cæsus & stigmate notatus fuit. Cum verò, illa animadversione spreta, in *Meldensem* civitatem profectus esset, & cum interdiu lanas carminaret, noctu Lutheranismum doceret, sequenti anno detectus & ultimo supplicio affectus fuit. „

Sunt in his non pauca, quæ censuram admitterent, sed notanda tamen est ingenua *Varillasii* confessio, de origine, quam, Pratensis & Regis ipsius severitas in Evangelicos habuerit:

§. VI. Neque autem, ea recentis Ecclesiæ ruina cursum Evangelii tantopere impedivit, ut non & multorum animis apud ipsos Meldenses (a) jam infusa & infixa esset veritatis doctrina, quæ deinceps semet prodebat; adeò ut biennio post, scilicet A. 1525. Bedda (b) jam conquereretur, quod *Jacobus Faber*, Sanctis debitum honorem derogans, id effecerit, ut in Ecclesia Metropolitana Meldensi aliisque pluribus diœcesis illius, sanctæ Dei Genetricis & multorum sanctorum honori palam multi detraxerint, dicentes, *quod nos nihil possint sancti juvare*, *quod sibi vix sufficiant*, *quod solus Christus Mediator noster sit*, *& non creaturæ quan-*

(a) Certè DUPINIUS in Biblioth. scriptor. Eccles. T. XIII. p. 174. tradit, quod cœtus ille Reformatorum se brevi ad numerum trecentorum vel quadringentorum extenderit.

(b) vid. Apologiam Natalis Beddæ adversus clandestinos Lutheranos ap. ARGENTRE Tom. III. P. II. fol. 8. & sqq.

quantumvis sanctæ. E quibus toxicatis radicibus (sunt verba Beddæ) in Ecclesiæ Meldensis agro positis, rami prodiere pestilentes quamplurimi. Quid? quod is ibi fateatur, Imagines plurimas sanctorum jam tum fuisse vel confractas vel à suis locis amotas &c. uti constat, quod illa clandestina Meldensis Ecclesia duraverit usque ad annum 1546. quando circiter sexaginta oppidani, Verbi Ministrum sibi habebant delectum, qui in ædibus privatis administraret sacra, sed quos tum in his amplius pergere non sivit immanitas persecutionis, uti ad eum annum (a) videbimus.

Enimverò, ipsa quoque Doctorum paucorum fuga, mirabili Providentia divina, magis εις προκοπην τυ ἐυαγγελιυ cedebat, quippe cum Doctores pariter & auditores nonnulli inde fugati, in alia atque alia Galliæ loca se reciperent, sicque unius Ecclesiæ destructio multarum evaderet ædificatio. Qui enim vi tempestatis (b) huc illuc disjiciebantur, illi prima Metensis, Aurelianensis, Sylvanectensis, Albiniacensis Ecclesiarum fundamenta jecerunt; eò admirabiliore Dei virtute, quod ita quò magis videretur interiisse veritas, eò gloriosius ea reviviſceret.

Faber saltem, primo *Bloesas* & tandem *Neracum* se recipere debuit, Navarrenæ ditionis urbem, Albretiorum olim regiam (c), ubi in *Margaretæ* Principissæ, (quæ Francisci soror erat unica) clientelam receptus, ad longissimam ætatem vixit tranquillissime, usque dum A. 1537. mortalitatem deponeret. Erat enim *Margareta* Valesia, primum *Carolo Alenconiorum* Duci nupta, deinceps autem *Henrico Albretio* Regi Navarræ, uti ipsa literis exculta, ita Literatorum faventissima, decima *Musa* & quarta *Charis* eapropter appellata; præterea etiam Veritatis Evangelicæ renascentis gustu imbuta, atque inimica conatibus Antonii Pratensis (d), Cancellarii Regni Gallici, qui purioris Religionis confessoribus semet infestum præbebat, unde factum est, ut ea non solum ipsa puriorem profiteretur religionem, sed & præsidio

C esset

(a) Conf. SLEIDAN. Lib. XVIII. p. m. 328. a.
(b) BEZA in Iconibus lit. Z. J.
(c) v. Introd. in Hist. Reform. §. LXXVI. p. 175.
(d) BEZE l. c. p. 56.

esset iis, qui persecutionem ob religionem patiebantur, utque Viri pii & sacrarum literarum periti, se ad eam, tanquam ad portum vel asylum quoddam reciperent, ac tutela ejus nixi, passim populi animis veritatem instillare, imò familias & cœtus condere non vererentur; Hoc enim (teste SAMMARTHANO (a) habebat eximium, quod omnes aut rerum inopes, aut aliqua sortis acerbitate oppressos, pia vereque Christiana benignitate sustentaret, virosque literarum & virtutis opinione celebres, tum per se ipsa, tum ex Francisci fratris liberalitate, curaret exornandos, omnique opum & honorum accessione adaugendos.

Farellus autem, cum aliquamdiu substitisset Parisiis, tandem in Helvetiam migravit, atque ibi mirificam Evangelii messem inveniens, primus Ecclesiæ *Genevensis* & plurimarum aliarum circumjacentium Ecclesiarum Reformator factus est, quod deinceps enarrabimus.

Quod ad *Gerardum Rufum*, is non minus ad Navarrenam se recipiebat, ibique tutum inveniendo perfugium, veritati multis equidem modis abinde fuit proficuus, ut tamen unquam plene a veteris Ecclesiæ communione ad Ecclesias Reformatas eum accessisse (b) non constet, uti cumprimis colligitur ex iis quæ ad Ann. 1537. à nobis annotabuntur.

Intereà verò, quod non in vanum apud Meldenses per quantillum tempus laboratum fuerit, vel illa commonstrat *Johannis* Cle-

(a) vid. SAMMARTH. Elog. Gallor. n. XVII. p. m. 39. edit. Heumann. & conf. qui ejus Vitam luculento stylo prosecutus est BAYLIUS in diction. v. Navarre not. N. p. 2189. Tom. II.

(b) BEZE l. c. p. 6. ut in eo quoque, tanquam qui γνησίως Lutheranus fuerit, incassum glorientur, cum Cl. LOESCHERO in Histor. Motuum P. II. C. VI. §. 3. hodierni Evangelico-Lutherani, nullo quippe suffulti argumento, nisi quod Varillasius dicat, utrumque Rufum, locorum quorundam ex Lutheri libro de captivitate Babylonia defensionem in se suscepisse, quasi verò id fieri nequivisset, nisi quis Luthero sit addictus præ Zwinglio: Quid verò non hi dicerent, si Rufus etiam & Faber Lutherum adivissent consultandi gratia, cum nunc Bucerum adiverint atque Capitonem; idque eo tempore, ut cum Loeschero loquamur l. c. §. IX. p. 62. quo hi adhuc Lutheri erant adversarii.

Clerici (a) Meldensis, in fide ac veritatis confessione constantia singularis, quæ tanta fuit, ut non flagris tantum cædi atque cauterio signari propter veritatis assertæ causam (b) voluerit, sed &, ut non detrectaverit propter eandem vitæ periculum subire. Enimverò, quod is A. 1523. schedulam Meldis affixerat valvis summi templi ejus urbis, contra Indulgentias à Papa missas, in qua scripserat, *Papam esse Antichristum*, is virgis cæditur per tres dies, & impressa in fronte nota ignominiosè afficitur. Mater ejus hæc videns animum ei addit, & exclamat: *Vivat Christus, & ejus insignia*, neque ei propterea manum ab ullo injectam legimus. *Clericus* autem semet inde recipiens, atque in aliis Galliæ locis victum quæritans, (erat enim carminarius) apud Metenses quoque cumprimis, primam Evangelicæ veritatis sementem fecit, dum interdiu suo intentus opificio, lanas carminabat, noctu veritatem Evangelicam docebat, ibidemque primus inter Gallos ob doctrinæ reformatæ confessionem Martyrii coronam accepit; Cum enim peculiari quodam (quæ verba sunt Theodori BEZÆ in Iconibus) divini Spiritus, ut exitus docuit afflatu impulsus, noctu extra urbem eversis in sacello quodam quò tota civitas Metensium erat postridie concursura idolis, manè apud urbis portam deprehenderetur, captus est & eodem pænè momento damnatus: Quo autem crudeliore pœna est affectus (altero videlicet pugno truncatus, naso candentibus forcipibus abrepto iisdemque brachio utroque, ipsisque mammis crudelissimè exustis) tandem flammis subjectis ustulatus, eò gloriosiorem victoriam tulit, quum inter hæc tormenta ipsi crudelitati insultans & illud Davidis altissima voce recitans, *Idola gentium sunt argentum & aurum, opus manuum hominum*, tanta constantia tum adversariis territis, tum piis magnopere confirmatis, feliciter ad Dominum migraret.

 §. VII.

(a) BEZE l. c. p. 6. conf. MEZERÆI comp. Hist. Tom. IV. p. 523.

(b) Est autem falsum, quod DUPINIUS l. c. p. 174. dicit, eum fuisse electum V. D. Ministrum in Ecclesia Reformatorum Meldensi, qui sine ulla alia missione, & concionatus fuerit & administraverit sacramenta: *Ils elurent pour Ministre J. le Clerc, Cardeur de laine, qui sans autre mission se mit à prescher & à administrer les Sacremens à l'Assemblee &c.*

§. VII. Sed &, fuit eodem anno 1523. in urbe *Lugdunensi* ex ordine Fratrum Prædicatorum *Amedæus Maigret*, qui dicebatur, „ inter concionandum tam apud Lugdunenses, quam apud Gratianopolitanos (a), plures protulisse propositiones Lutheranam „ doctrinam redolentes, „ unde is ab Archiepiscopo Lugdunensi & ejus Vicario, delatus est ad Facultatem Parisiensem, missis ad eam literis A. 1524. in quibus inter alia retulerunt Lugdunenses, „ quod Lutherana hæresis ubivis ferme in iis regionibus „ propullulet, ut jam plures de cineribus veluti renascantur „ plantulæ, & opus sit exemplo gravis & severæ alicujus animadversionis. „ Unde deinceps testantur, *quod si modo dictus ille Amedæus rite puniatur, & ejus propositiones condemnentur, fides Catholica brevi ad suam sit reducenda integritatem, tanquam suppresso autore* (b), *& tubicine omnis mali, quod panditur ab Aquilone. Et posteaquam cœlesti clementia & terrestris potentiæ favore adjuti sumus, summe est enitendum, ut hydram istam cum tota Lerna confodiamus; ne veniat in nos dira illa vastitas & desolatio, quæ ferme totam nunc opprimit Germaniam.* Facultas igitur Parisiensis à Lugdunensibus incitata, eodem illo anno 1524. adversus ipsum pronuntiavit sententiam, variosque Articulos ex ejus concionibus annotatos, & ex ejus responsionibus ad interrogata erutos, condemnavit, tanquam hæreticos & à fide deviantes. Inter hos & erant sequentes.

Abstinentia à carnibus tempore quadragesimali & diebus Sabbathi non est de præcepto.

Canones & Decretales sunt traditiones hominum & non sunt curandæ.

Quod

(a) In ea, quam Parisienses tum dederant censura, dicitur, „ quod scandalum sit ortum iis diebus ob quadragesimales sermones Fratris Amedæi Mesgret Ordinis Prædicatorum, Doctoris Theologi anno domini „ 1523. in civitate Lugduni ad populum habitos, nec non Gratianopoli „ ratione sermonis in die sancti Marci sequente per eundem Mesgret lingua vernacula declamati, similiter & Orationis Latinæ ad Senatum ejusdem civitatis postmodum cum eodem sermone emissæ. „

(b) ARGENTRE l. c. p. 9. Ubi totus adversus eum processus institutus enarratur à pag. 9——17. conf. Du PIN. in Nov. Biblioth. Eccles. Tom. XIII. p. 216.

Quod ille maledicit, & eſt detrectator, qui dicit: *Que Luther eſt mechant homme.*

Vanum eſt hominem obligari ea proferre vocabula & ſententias, quorum ignorat ſignificationem.

Abutuntur moderni ſtatutis antiquorum patrum, eò quod reſervationes, quæ fiebant tempore antiquo de pœnis, ipſi reſervant ad culpas.

In peccato quantumcunque enormi nihil reſervatur Epiſcopis, neque Pontifici Romano.

Prophetia Pauli 1 Tim. IV. 2. 3. duas continet leges; quas Paulus appellat diabolicas & hypocriticas, altera eſt, de prohibitione matrimonii, quæ hodie obtinet apud Eccleſiaſticos, altera, de differentia ciborum certis diebus vetitorum, qui mos etiamnunc locum habet apud Chriſtianos.

Cæterum, quid ipſi tum Amedeo Maigret evenerit, annotatum non legimus, niſi quod A. 1525. Natalis BEDDA (a) alicubi dicat, *Eum Doctorem plusquam Lutheranum, apud Germanos quo ex Gallia profugerat, periiſſe.*

§. VIII. Quidquid ſit, *Gratianopoli* in Delphinatu, *Petrus Sebrvilla* (b) religionem puriorem eodem Anno 1523. quod ſuis inſtillaverit, conſpicitur ex ZWINGLII ad eum Epiſtola hortatoria, qua eundem d. III. Decembris monet, ut in Galliis Chriſtiana armatura munitus, in publicum prodeat, ſublataque inſtar tubæ, voce, Evangelium Chriſti, invitis omnibus puppis & Papis prædicet. *Chriſtus*, inquit (c) *Claſſicum cecinit, impreſſionem in Phariſæos ſcribas & hypocritas facturus. Quis dexteram ad prælium non armabit? Leo rugiet inquit Propheta, quis non metuet? Chriſto per miniſtros ſuos detonante, quis ex hoſtibus non pavebit? imo diſperеam, ſi non in totis caſtris illorum trepidabitur: adeo vertuntur, rotantur, ambigunt, ut quid conſilium ſequuturi ſint, nondum exploratum habeant. Nam ſi Chriſti gregem mactare per ſeductos Principes cœperint, verentur, ne ſic aperiatur feneſtra, ut in ſe*

(a) Nat. BEDDA Apologia A. 1525. edita adverſus Lutheranos fol. 6. a. apud Argentré l. c. Tom. III. P. II.

(b) SCULTET. Annal. p. 157.

(c) vid. *Zwingl.* & *Oecolampad.* Epiſtol. Lib. IV. fol. 191. b.

se quoque paulo post irruatur. Si vero scripturâ obsistere tentent, conscii sibi violentiæ quam ei faciunt, toti frigent, ac concidunt. Quid igitur in ignavos non irruimus, uno illoque satis forti Verbi Dei præsidio fulti? Is enim Antichristum interficiet Spiritu oris sui. Stat à nobis Christus, quis contra nos? Simus licet Samia vasa, nemo tamen confringere nos poterit, quamdiu nobis Dominus adest: aderit autem ex Verbi sui certa promissione, qua pollicitus est, se nobiscum mansurum usque ad mundi consummationem: jussitque securos esse, cum ad Reges & Præsides illius causa trahamus, daturum enim esse sapientiam & eloquentiam, cui omnes adversarii non poterunt resistere. Quid igitur adhuc cunctamur? Victoria in manibus est, an eam decerpere piget? Et paullo post: *Non modo cum Antichristo sed cum universo simul orbe certamen tibi subeundum est, si quidem cœlestia ambis, ea enim solis eis eveniunt, qui terrena negligunt. Ante omnia igitur opus est, ut te ipsum abneges, ac quotidie moriaris. Id autem tuopte Marte non poteris: ad unam igitur misericordiam Dei confugiendum, & illic flagitandum, ut vias tuas dirigat, mentem illustret, cor excitet, ut illius gratia nihil non tum audeas, tum quo pacto fieri oporteat, scias. Proderit & illud, Evangelium Christi prædicare molienti, ut rejectis omnibus præsumtis opinionibus & doctrinis hoc consilio ad literas vere sacras accedat, ut eas præceptorem, habiturus sit, non discipulum.*

§. IX. Dum autem Ecclesiarum apud Gallos Reformatarum primordia investigamus, non possumus non in antecessum Virorum quorundam Clarissimorum, qui vel inter Gallos eminuerunt veritatis studiosi, vel Galliæ Reformandæ suam navarunt operam, instaurare Memoriam, pro eo, quem in Introductione ad Historiam Reformationis observavimus instituto. Atque hic ante omnia se offert LAMBERTUS AVENIONENSIS: cujus tantò libentius instauramus memoriam, quanto majorem is utilitatem rei reformatæ, vita, voce, consilio & scriptis suis, quæ etiamnunc magni meritò æstimantur, adtulit, ut immortalia ejus in cœtum puriorem sint merita, silentio minime obliteranda, &, quantò is ardentior fuit in propaganda inter Gallos suos Veritate Evangelica.

Cujus intensi studii specimen, pariter atque testimonium, præbet

bet ipse, in sua ad inclytum Senatum Bisuntinensem præfatione præmissa ejus commentario in Michæ prophetiam, ubi inter alia, „ Videns igitur, scribit, quod in ea urbe, (de urbe *Me-*
„ *tensi* loquitur) tam regnet impietas .... cessare ab eis debui,
„ quoniam verbum Domini pepulerunt, & ad alias urbes scri-
„ bere, quæ sunt Domini: E quibus primum menti occurrit
„ *Bisuntium*, urbs magna potens, inclyta, comitatus Burgun-
„ diæ prima, Christianissimo *Argentorato*, reliquis pluribus
„ vicinior. Urgebat ideo vehemens Spiritus, ut quando Me-
„ tenses se indignos faciunt Verbo Domini, ad vos convertar,
„ æternæque salutis eloquia ad vos mittam. Provocavit quoque
„ me nonnihil, quod, ego ipse tametsi Avenione natus, nostra
„ verumtamen familia, ex Burgundia, nempe ex Orgeleto ori-
„ ginem traxit. .... Afficior omnium saluti, sed præsertim
„ meorum *Burgundorum*, interim veruntamen cupiens anathe-
„ ma fieri pro meis *Avenionensibus*, qui sub Antichristi summi
„ imperium vivunt, & pro infelicissimis *Metensibus*, qui Sanc-
„ tum Dei Verbum ad eos missum tam fœde pepulerunt. „

Habuit LAMBERTUS, natalem urbem *Avenionem*, ibidem natus A. 1487. patre, legationis Pontificiæ & palatii ut vocant Apostolici Secretario, quod ipse in dedicatione commentarii de conjugio testatur, è familia, quæ ex Burgundia, nempe ex Orgeleto originem traxit. Anno ætatis decimo quinto, cum patre jam in tenella ætate orbatus esset, ordinis Minoritarum Monasterio, quod Avenione est, se mancipavit, externa sanctitatis specie deceptus. Neque tamen ea fuit Monachalis vita diuturna, quippe cum agnita propius veritate Evangelica, & perspecta hypocrisi pariter atque impietate Papistica, eidem prorsus renunciaverit, in Germaniam se conferens, ubi posthac scripto (a) singulari, rationes, propter quas Minoritarum conversationem habitumque rejecerit, edisseruit. Sic igitur Lambertus noster A. 1522. reliquit Galliam, ubi jam annunciare Evangelium, Lutheri libros legere, & aliis commendare tentaverat, quos tamen

(a) Quod scriptum inter Documenta huic operi subnexa N. IV. legi voluimus ex SCHELHORNII Amœnit. Literar. Tom. IV. p. 312. seq. 324.

men combufferant Monachi, à quibus is præterea admodum contumeliofe tractatus erat, feque convertit primò in Helvetiam, ibique veritatem à fe agnitam variis in locis nec fine fructu liberè prorfus ac fideliter docuit, uti cumprimis apud *Laufannenfes* quod Evangelium docuerit, conftat, permittente id *Sebaftiano de Montefalcone*, Epifcopo & Principe Laufanienfi (a) quando non ita multo poft *Bernenfibus*, *Tigurinis*, *Bafileenfibus* & *Friburgenfibus* innotuit Theologis, à Berchtoldo Hallero præcipue commendatus Huldrico Zwinglio (b); Sed & eodem anno ad finem vergente Lambertus *Ifenacum* Thuringiæ oppidum pervenit, ibique pofitiones quasdam (c) verbi gratia, de matrimonio male prohibito Clericis, de Confeffione, de Baptismo, de Contritione, de Satisfactione, etfim. publicæ dicuffioni fubjecit, fub confiсto tamen *Johannis Serrani* nomine. Anno fequenti fub initium migravit *Witebergam*, atque contracta cum Luthero amicitia, ejus commendatione gravifus, ad publicam docendi provinciam eft admiffus, atque tum *Hofeam* Prophetam, aliosque libros Biblicos ftudiofæ juventuti non fine auditorum plaufu expofuit, quam ipfam expofitionem A. 1525. typis imprimi curavit, præfixa ad *Fridericum* Saxonem dedicatione; Quidquid fit, cum apud Witebergenfes commoraretur, is vitæ cælibis pertæfus, fponfalia fecit cum honefta virgine Witebergenfi (d), ut legitimo matrimonio (quæ ejus funt verba) carnis illecebras repelleret, ficque è Theologis Galliæ primus omnium facra conjugii vincula fubiit, uti ipfe in literis ad *Georg.* SPALATINUM & in Epiftola ad Francifcum I Galliæ Regem exarata, & commentario de Conjugio præfixo docuit. Anno fequenti 1524. Witeberga relicta, *Metas* fe contulit, haud alio fine, quam ut inter Gal-

(a) vid. *Introd. noftr.* in Hiftor. Reform. T. II. §. XC. p. 241.

(b) Epiftolam HALLERI ad Zwingl. exhibet J. H. HOTTINGER. Hift. Eccl. Sec. XVI. P. II. p. 584. fq.

(c) SCHELHORN. l. c. p. 327. ex *Spalatini* diario MSS. ad Ann. 1522. qui fimul illarum propofitionum quoddam lectoribus communicat fpecimen.

(d) Extant ea de caufa ejus ad Ger. Spalatinum literæ die S. Johannis 1523. datæ, apud SCHELHORN. l. c. p. 353. fq. conf. ejus tractatum de conjugio, qui A. 1525. Noribergæ eft editus.

Gallos suos cœlestia Verbi divini semina spargeret, ecclesiæque pomœria, quantum in se esset, proveheret: *Metis* adversariorum violentia pulsus (a), *Argentoratum* concessit, ibique quietem ac otium nactus, pleraque scripta sua in publicum emisit, quin imò scripto & viva voce Verbum Dei est interpretatus, atque post *Ezechiëlem*, & alia nonnulla (b), *Apocalypsin* & *Daniëlem* tunc enarravit. Certè, Argentorati is A. 1525. suum in *Joëlem* Prophetam commentarium luci publicæ donavit, quem cum *Sigismundo* Comiti *de Hohenlœ*, ecclesiæ Argentinensis Decano dedicaverit, eum inter alia, ita alloquitur. „ Ob id autem „ Tuæ Celsitudini hunc Prophetam, qui maxime est adversus „ filii perditi factionem, dicare volui, eò quod mihi sit persua„ sissimum, te omnem Satanæ altitudinem, quæ in eo cernitur, „ toto corde calcasse, atque, ut tuo exemplo multi fiant ex „ Nicodemis Apostoli, hoc est, ex secretis veritatis confessori„ bus, & sermonibus & facto publici eius adsertores. Videmus „ quosdam tui ordinis, qui abscondite Christum adserunt, pu„ blice autem negant. Negant autem satis, dum profiteri no„ lunt, quod sciunt. Timent miseri & cœci, suis peris, culi„ nis, stabulis & ventribus. „

§. X. Circa hæc tempora, Anno scilicet 1526. Philippus Hassiæ Landgravius, Hassiæ suæ reformandæ intentus, eundem hunc Lambertum nostrum in Hassiam vocavit, ut Synodo illi *Homburgensi* (c) quæ religionis in Hassiæ reformandæ ergo instituebatur, interesset, & totum Reformationis negotium moderaretur, quod & per edita ab ipso *Paradoxa*, factum fuisse jam alibi monuimus, ut Anno seq. 1527. cum *Marburgense* Lyceum inau-

(a) vid. Præfat. ej. ad commentar. in Micham, ubi ita: *vocatus & missus sui à Domino è Saxonibus ad Metenses, ut eis annunciarem Evangelium regni sui. Ad quos ingenti cum viarum discrimine veni, sed tam in me insanivit cohors Papæ, hi scilicet, quos Spirituales ementito vocant, (nihil enim minus quam spirituales sunt) ut post octiduum vel coactus venerim ad Christianiss. Argentoratum &c.*

(b) Id ipse profitetur ad Senatum Argentinensem in Epistola dedicatoria præfixa commentariis in Sophoniam, Haggæum, Zachariam & Malachiam, conf. SCHELHORN. l. c. p. 386.

(c) vid. *Histor. nostr. Reform.* T. II. §. LXIX. p. 165.

guraretur, *Lambertus* quoque noster primus in ea constitueretur Theologiæ Professor. Enimverò, cum A. 1529. ad componendos doctorum Evangelicorum, Helveticorum & Saxonicorum animos nutu Principis illud celeberrimum institueretur *Colloquium Marburgense*, tum Franciscus noster, animi uti videtur pendens, quamnam sequeretur sententiam, non ei quidem interfuit, tanquam actor, qui colloquentis partibus fungeretur, attamen tanquam auditor, eo cum successu, ut & ipse, & Philippus Princeps, abinde in Helvetiorum de sacra Cœna sententiam (a) secesserint; Neque tamen, eum abinde diu rebus humanis fuisse superstitem, Academici Marburgensis Universitatis Annales testantur, quippe cum A. 1530. jam fato sit functus, & triste sui apud Marburgenses reliquerit desiderium, hoc condecoratus Epitaphio. (b)

Lambertus claris Gallorum finibus ortus
Exul pergratus Martis in urbe fuit.
Explicuit sacros studio fervente Prophetas,
Scripturæ sanctis deditus historiis.
Hic Evangelicæ doctrinæ summus amator,
Hostis Romulei Præsulis acer erat.
Edidit in Divum sacra commentaria Lucam,
De captivo hominis scripsit & arbitrio.
Conjugii tædas sacri laudavit honestas,
Polluti thalami probra nefanda notans.
Gallorum Regi transmisit & ipse libellos,
Exoptans Patriæ commoda ferre suæ.
Sed quis narrabit, quos scripserit ille tot annis
Repletos multa commoditate libros.

Inno-

(a) vid. SCHELHORN. Amœnit. Liter. T. IV. p. 376. sq. Et sanè, cum is ad ministros Ecclesiæ Argentinensis libellum conscripserit, sub titulo: *symbolum fœderis nunquam rumpendi*, qui A. 1530. Argentorati prodiit, cumque in eo libello doctrinæ Zwinglii subscripserit, nemo amplius, eum ad mortem usque, Lutheri doctrinæ adhæsisse, adfirmare poterit. Conf. *die Casselsche Wechselschriften* Cassel. 1632. p. 258. 259.
(b) Est ei id positum à NIGIDIO in Catalogo Professorum Marburgensium vid. Jo. TILEMANNI Vit. Professs. Theol. Marburgens. p. 9.

Innocuam hic degit caſta cum conjuge vitam,
Quæ potuit ſanctum ſat decuiſſe virum.
Tandem peſtifero morbo correptus obivit
Gallus in Haſſiaco fata ſuprema ſolo.
Nec longo ſpatio conjux dilecta marito,
Conſimilem mortis cœpit inire viam.

Erat vir pius (a), eruditus, laborum patientiſſimus, flagrantiſſimo pro veritate agnita zelo præditus, variis fortunæ discri-

(a) Pietatis ejus ſingulare ſpecimen eluceſcit ex ejus ſeceſſu Metenſi, quem poſt præviam fidelium vocationem, & repetitam divini Numinis conſultationem, ſingulari zelo Domini exercituum ductus, ſuſcepit, tametſi graviſſimæ quoque propter Chriſtum ſubeundæ ipſi inſtarent Paſſiones conf. Præf. ej. in Proph. Mich. & tract. de vocatione fidelium, ex quo pauca quadam ut hic legantur, non inopportunum judicabam; ita vero is p. 19. b. & 20. a. „ Scio ego & novi fratrem unum, qui aliquando in
„ graviſſima perplexitate, ſuper vocatione ſua poſitus erat, & id quidem
„ ſic, ut multo tempore nulla omnino pax illi eſſet, à facie ſæviſſimæ
„ perplexitatis hujus. Is tum erat in vocatione una, quam & exequeba-
„ tur. Interim autem ſolicitabatur à multis, ut alio pergeret. Utrin-
„ que videbatur neceſſitas, ita ut magna pars fratrum adſererent, dimit-
„ tendam priorem vocationem, propter ſecundam. Alii autem oppoſi-
„ tum decernebant, & hi plures reliquis erant. Verum iſtorum rationes,
„ quibus adſerebant, non deſerendam priorem vocationem, nonnulli ad
„ *carnem ſpectare* dicebant, eo quod in priore vocatione erat pax & ſe-
„ curitas à multis periculis: in alia vero multa & eadem graviſſima, etiam
„ mortis pericula, erant. Verum absque ſimilitudine, major fructus à
„ poſteriore vocatione ſperabatur. Inter vero hæc animi diſſidia, nulla
„ erat miſero requies, ut quidem vixdum ſomnum caperet. Proinde eo-
„ rum quæ præſcripſimus memor, oravit dominum, ut hanc contradic-
„ tionem ſorte dirimeret, & ad id ſervavit ea quæ noviſſime diximus ob-
„ ſervanda, dum in rebus ſeriis, & tam perplexis, domini beneplacitum
„ requiritur. Sicque ex fide & poſt multam orationem, miſit ſortem,
„ & ſors cecidit ſuper vocatione ſecunda. Demum facto intervallo, &
„ memor periculorum, in quæ ſe coniiciebat, oravit, ut ſi eum ſervatu-
„ rus erat ab omnibus, & liberaturus ab Antichriſtorum manibus, ut non
„ clauderetur omnino os, deum laudare volentis, confirmaret iterum
„ ſorte eandem vocationem, & ſors ſic ut ante cecidit. Poſt aliquot de-
„ nique horas, memor Gedeonis, qui in vellere in area, futuræ belli
„ vic-

minibus jactatus, ore, manu, vita prodesse cupiens vereque adeò inter primitias Galliæ Evangelicæ recensendus, cuius si monitis gravissimis auscultare voluisset Franciscus Galliarum Rex, & qui ejus aulam dirigebant Ministri, habuisset jam inde ab initio insignem in eo & pereximium Reformatorem Gallia, quæ illi in amoribus ac deliciis erat, quámque ut Christo & ejus Veritati lucraretur, remigio, ut ajunt, velóque contendebat. Licet, cum veritatis radii successivè semet nobis insinuent, is quoque non in omnibus acutum aut verum vel creverit vel cernere potuerit.

§. XI. Sed ea Reformationis gloria potissimum relicta fuit Triumviris præstantissimis, *Gulielmo* FARELLO, *Petro* VIRETO & *Johanni* CALVINO, de quibus adeo ut paucis agamus, ab hoc opere non erit alienum. „ Erat enim, (ut cum *Th.* BEZA (a) loquamur) jucundissimum spectaculum, tres istos tan-

„ tos

„ victoriæ, ter signum à domino petiit, oravit ut idem tertio monstraretur, quod & factum est. Misit namque sortem, & sors ipsa tertio cecidit, sicut à principio. Tum deseruit primam vocationem, & adgressus est iter ad secundam. In via autem, accidit illi impedimentum gravissimum, ut secundum hominem desperatum fere omnino esset, quod posset unquam pervenire quò tendebat, increpabant quoque illum multi, quod abivisset, suadebantque alii ut ad priorem vocationem regrederetur. Tum ille adflictus admodum, & de hominibus desperans, in solum autem Deum fiduciam habens, oravit dicens: Domine, in multa fiducia bonitatis tuæ, non in incredulitate cordis mei peto, ut mihi in tot pressuris & malis nunc posito, & vehementissime territo, adhuc semel ostendas, quod tertio palàm facere dignatus es. Tum adhuc sortem misit, & sors ipsa sicut ab initio cecidit. Mox ille iter adgressus, tam aperte agnovit & probavit, ipsam vocationem esse à Deo, ut nemo unquam satis rem explicarit. Bonus est deus sperantibus in eum, animæ quærenti illum. „

(a) BEZA in Vita Calvini Opp. Bezæ Tom. III. fol. 370. Est autem memorabile, quod hic omittere non possumus ejusdem BEZÆ his tribus Ecclesiæ Galliæ Reformatoribus datum Elogium in ej. Epigr. p. 178.

Gallica mirata est *Calvinum* Ecclesia nuper
Quo nemo docuit doctius.
Est quoque Te nuper mirata *Farelle* tonantem,
Quo nemo docuit fortius.

„ Est



GULIELMUS FARELLUS.

Ecclesiæ Gallicanæ Reformator.

„ tos in Ecclesia Dei viros, usque adeò in opere divino consen-
„ tientes, eosque diversis donis florentes, cernere & audire.
„ Excellebat quadam animi magnitudine Farellus, cujus vel au-
„ dire absque tremore tonitrua, vel ardentissimas preces percipe-
„ re nemo posset, quin in ipsum pœne cœlum subveheretur.
„ Viretus facundiæ suavitate sic excellebat, ut auditores ab ip-
„ sius ore necessario penderent. Calvinus quot sonabat verba,
„ tot gravissimis sententiis auditoris mentem explebat, ut sæpe
„ sibi in mentem venisse referat Beza, perfectum quodammodo
„ videri pastorem, qui ex tribus illis esset conflatus. „

Gulielmus FARELLUS, (quem jam diximus Ecclesiæ Meldensi ad *Gulielmi Brissoneti* nutum operam suam licet haud diuturnam collocasse) natus erat A. 1489. ex nobili in Delphinatu Galliæ prosapia ortus; Ab ineunte autem ætate Lutetiæ Parisiorum disciplinis atque artibus est imbutus, eo cum successu atque profectuum suorum fama, ut juvenis admodum jam illustribus Viris & innotesceret, & ab iis magni æstimaretur, siquidem & Faber Stapulensis, in cujus disciplinam is concesserat, illi tum jam locum in collegio Cardinalis Monachii (le Moine) procuraverat, cui cum per aliquot annos cum laude præfuisset, is una cum Fabro ad Meldensem vocatus Episcopum, illi Ecclesiæ operam suam addicebat. At verò, cum inde pulsus esset A. 1523. is statim Argentoratum secedere, ibique à Capitone & Bucero plenis ulnis recipi (a); Neque tamen ibi longas nectere moras, quin potius Anno sequente 1524. mense Februario Basileam contendere; Apud Basileenses tamen, cum, invitis Academicis, civili senatus auctoritate ad disputationem Thesium quarundam Evangelicarum (b) esset admissus, non diu commorari potuit, sed urgente factione Pontificia, cui tum favebat

 Eras-

Et miratur adhuc fundentem mella *Viretum*,
Quo nemo fatur dulcius.
Scilicet aut tribus his servabere testibus olim,
Aut interibis Gallia.

(a) ANCILLON in vita Farelli p. 110. apud BAYLE Tom. II. p. 443.
(b) *Histor. Nostr. Reform.* T. II. p. 269. 270.

Erasmus, urbe ejectus Montem Belligardi (vulgo *Mompelgard*) adiit, ibique (a) quod Ulricus Dux Wurtembergensis, cui ea parebat, Evangelicæ doctrinæ faveret, renati Evangelii causam habita concione, & instituta cum *Francisco Monacho* disputatione, promovit, & omni modo utilem ecclesiæ præstitit operam; In locis autem vicinis, tractuque toto Burgundico (b) doctrinam à scoriis Pontificiis repurgatam inculcavit, tanta cum animi contentione, tantoque cum ardore (c), ut eum divinitus ad hoc munus excitatum re ipsa commonstraret, licet non deessent (d), qui moderatiorem in eo spiritum desiderassent;

Quidquid sit, universus ille tractus *Lausannensis*, *Aquilejensis*, *Neocomensis*, *Muraltensis*, in Gallici idiomatis Helvetia, quod per ipsum (e) annis proxime insequentibus sit reformatus, constat, quippe cum & *Bernensi* disputationi A. 1528. habitæ interfuerit, & singularem lingua Gallica tum instituerit collationem cum doctore quodam Sorbonista, qui Pontificias in se partes susceperat; Nam & Farellum nostrum junctis cum Vireto viribus Ecclesiam *Genevensem* instituisse, satis est notum, atque id sua deinceps auctoritate effecisse, ut eadem in urbe *Johannes Calvinus* aliquando susciperet Ecclesiæ gubernandæ & regendæ ministerium, seque tum Ecclesiæ tum scholæ Genevensi addiceret, quippe *qui non audebat* (quæ Calvini sunt verba) *ad Farelli tonitrua*,

(a) FRICK in Seckendorf. German. p. 663. 664.

(b) Certè ERASMUS Farelli inimicus ita Basilea d. 4. Septemb. 1524. „ inter alia scribebat. Factio crescit indies latius, propagata in *Sa-* „ *baudiam*, *Lotharingiam*, *Franciam*, atque etiam *Mediolanum*. Tu- „ multuatur & *Burgundia* nobis proxima, per Phallicum quendam Gal- „ lum, qui è Gallia profugus, huc se contulit; „

(c) vid. SCULTET. in Annal. l. c. p. 225. & Ep. Zwingl. & Oecolamp. multis in locis. Conf. SPANHEM. Pater in Geneva restituta p. 40. 41. apud Bælium in dictionario p. 443. b. Ubi simul Erasmi virulenta referuntur in Farellum dicteria.

(d) Oecolampadius ipse ad inhibendum ejus fervorem ita ad eum d. 19. August. *Evangelizatum non maledictum missus es, laudo zelum, modo ne desideretur mansuetudo. Vinum & oleum in tempore suo infundendum. Evangelistam, non tyrannicum legislatorem præstes.*

(e) SPANHEM. l. c. p. 41. 42. Conf. *Hist. nostr. Reform.* T. II. p. 322. & RUCHAT. Histor. Reform. Helvet. Tom. II. p. 203.

trua, plus quam Periclea, jugum vocationis, quod ſibi à Domino videbat imponi, detrectare. Et quanquam ubivis ferme Farelli laboribus indefeſſis obſiſterent ſacrificuli, ipſeque adverſus omnis generis hoſtes habebat decertandum, tamen ſingulari providentia divina eſt effectum, ut una urbe extruſus in alteram migraret, & civitatibus expulſus, agrum circumjacentem & regionem ingenti ſucceſſu Evangelii prædicatione impleret, ſicque innumeram hominum multitudinem inter ludibria, verbera & contumelias, diaboli & Cleri ingratiis, qui nihil non in Farelli & Evangelii perniciem moliebantur, Chriſto vindicaret. Certè imperterritus hominis animus, omnes in ſtuporem dabat, cum viderent, animum ſimul ac vocem illi ad ſtrictos enſes conſtare, adeò quidem, ut illi ex Clero, qui continuo campanarum clangore & aure bombycina lanugine oppleta, conciones ejus eludere diu ſategerant, poſtmodum patulas aures & faventes animos ad Farelli auditorium adferrent.

§. XII. Cæterum, is A. 1542. (uti Buceri ad *Calvinum* (a) habet Epiſtola) *Metim* venit, ac primam concionem in cœmiterio Dominicanorum habuit; Qui cum aliud non poſſent, campani æris impulſu impedire concionem conati ſunt. Ibi tum Farellus contra ad ravim usque vocem intendit, nec vinci ſe à ſtrepitu ullo paſſus eſt, Poſtridie tria circiter hominum millia confluxerunt Evangelium audituri. Sed à Farello, ii qui Evangelio favebant, petierunt, tantisper quieſceret, donec res eò deduceretur, ut ſine metu alicujus motus concio haberi poſſet: In concilium ergo vocatus Farellus, interrogatusque, quo jubente & petente concionatus eſſet? Reſpondit: *jubente Chriſto, petentibus autem ejus membris*, ſimulque de ſuo munere graviter, deque Evangelii prædicatione piè diſſeruit, ac magiſtratum ſui officii commonefecit. Dum autem Senatus, quid ei faciendum, deliberat, interea Evangelici alium quendam ſtatura & habitu Farello non abſimilem, equo impoſitum educunt. Interim verus Farellus Meti latet, donec Principum ac civitatum Germaniæ fœderatorum interceſſione liberum impetretur Metenſibus religionis exercitium. Verum Pontificii, legatos Germanos nec hoſpitio

(a) vid. ADAMI vitæ Theologor. exteror. p. 58

ſpitio exceperunt, nec in urbem admiſerunt. Tandem auditis, reſponſum datum eſt nullum, quod Senatus, ut dicebant, per peſtem tunc cogi non poſſet. Inde ad Cæſarem res delata, cujus juſſu interdictum à ſenatu civibus fuit, ne cujuſquam intereſſent concioni (a), qui non Epiſcopi & tredecim virorum mandatu doceret.

Digreſſus itaque inde Farellus, denuo ſe totum *Neocomenſi* Eccleſiæ mancipavit, in qua diligentia & zelo ſingulari, usque ad extremam ſenectutem fidi paſtoris officium obivit: Sæpius verò etiam interea, quippe qui Genevæ adeo vicinus erat, Genevam excurrit, ubi *Calvinus*, altera vice receptus, Evangelium annunciabat; Ibi vero, quod denuò vituperationibus obnoxius fuerit atque afflictionibus, quas ingrati Genevenſes in eum conjiciebant, colligitur ex *Joh. Calvini* ad Tigurinos Epiſtola, quæ ita ſe habet.

„ Cum hic nuper eſſet Frater noſter Farellus, cui ſe totos
„ debent, ut ſatis noſtis, Genevenſes, & pro jure ſuo eos li-
„ bere moneret, tantus in eum furor exarſit, ut capitale judi-
„ cium in eum intentare non ſint veriti. Scio equidem, novum
„ non debere videri, ſi reperiantur in urbe libera factioſi homi-
„ nes, qui turbas concitent; Sed deploranda eſt Senatus noſtri
„ cœcitas, quod libertatis ſuæ Patrem, & Patrem hujus Ec-
„ cleſiæ, ſibi reum cauſæ capitalis, mitti à Neocomenſibus po-
„ poſcit. Dedecus hujus urbis proferre cogor, quod ſanguine
„ meo delere cuperem. „

De reliquo Farellus noſter, paucis admodum editis ſcriptis (b), anno

(a) Hanc verò cauſam deinceps ad Annum 1542. plenius enarrabimus.

(b) Inter ea recenſetur *Deſcriptio illius Collationis Bernenſis*; *ſummarium*, ſive *Declaratio omnibus Chriſtianis neceſſaria*. Liber de *S. Cœna Domini* noſtri J. C. ejusque *Teſtamento*. *Gladius Spiritus adverſus ævi ejus Libertinos* &c. Neque vero dubium eſt, quin ejus epiſtolæ, quarum integram ſe aſſervare farraginem profeſſus eſt v. Cl. Abr. RUCHAT, Hiſtoriæ Reformationis Helveticæ conditor ſolertiſſimus, animum ejus ad omnia mala propter Chriſtum & ejus veritatem perpetienda obfirmatum, nobis exhibeant, cum id vel ex paucis quibusdam fragmentis à Doctiſſimo Ruchato hinc inde ſuæ tractationi tanquam totidem luminibus inſertis, colluceſcat.



PETRUS VIRETUS.

Gallia mirata est fundentem mella VIRETUM,
Quo nemo fatur dulcius.

anno ætatis ſeptuageſimo ſexto A. 1565. d. 13. Septembris ſupremum obiit diem, cum leoninam ubivis magnanimitatem præ ſe tuliſſet, præſentiam animi ſingularem, patientiam infractam & infatigabilem, contemtum periculi intrepidum, &, quod præcipuè in eo fuit notandum, ſtudium diſciplinæ Eccleſiaſticæ & puritatis morum inexorabile: Quæ ſane dotes omnes ac virtutes, ſi fuiſſent cum manſuetiori animi indole conjunctæ, virum potuiſſent reddere incomparabilem.

§. XIII. Si quando fit, ut ad intenſum veritatis propagandæ ſtudium, accedat morum ſuavitas & oris facundia, tum ſanè is, in quem hæc duo conveniunt, magnam de ſe in hominum animis excitare poteſt admirationem, & proſperum ſibi polliceri operis ſui ſucceſſum: Hæc autem duo in *Petro* VIRETO (a), cujus nunc delineare imaginem volupe eſt, conveniſſe, propior ejus vitæ & ſcriptorum inſpectio edocebit.

Fuit is natus in oppidulo Bernenſis ditionis, *Orba* (b), quod Burgundis eſt proximum A. 1511. Primum Græcæ Latinæque linguæ intelligentia, tum optimarum artium notitia, omniſque liberalis doctrina ab eo percepta eſt Lutetiæ Pariſiorum, qua in urbe ſtudiorum ſuorum fundamenta jecit, ſimul verò etiam imbutus eſt purioris doctrinæ guſtu, ut cum vix ex ephebis egresſus eſſet, jam doctorem quoque veritatis agere potuerit ac egerit, ſiquidem jam A. 1531. ſicque vigeſimo ætatis anno, cum Lutetiam relinquere deberet, in urbe patria ſe miniſterio ſacro devoverit, ac d. 6. Maji A. 1531. primam habuerit concionem, eo cum ſucceſſu proſperrimo, ut ipſos quoque parentes ſuos per Evangelii prædicationem Chriſto lucrifecerit, ac deinceps in

E con-

(a) Neque præter meritum ejus elogium condidit Cl. RUCHAT Hiſt. Ref. Helv. T. VI. p. 353. P. Viret a été le premier ſavant homme, que je ſache qui ſoit ſorti du pays de Vaud, & meme de toute la Suiſſe Romande. Et comme il a été fort au deſſus, de tous ceux, qui l'avojent devancé (ce qui n'eſt pas beaucoup dire) j'oſe aſſurer, qu'il n'eſt venu perſonne apres lui, dans ce Pays là, qui l'ait ſurpaſſé, peutêtre meme ne m'avantureroisje pas trop, quand je dirois, que je ne ſache perſonne, qui l'ait encore égalé.

(b) RUCHAT Hiſt. Ref. Helv. T. IV. p. 39. ADAMI Vit. Theolog. exter. p. 61.

constituendis per tractum illum ecclesiis, Gulielmo Farello præclaram præstiterit operam, in Lausannensi cumprimis Ecclesia multos annos docens & scribens: Sed &, cum A. 1541. *Joh.* CALVINO, tum jam Ecclesiasti Genevensi, demandaretur ad colloquium Wormatiense (a), (quod deinde Ratisbonam rejectum est,) legatio, Viretus interea temporis apud Genevenses sacro functus est officio, ejusque Ecclesiæ curam suscepit, non sine variis licet, quæ ipsi creabantur molestiis & tædiis, quæ ut devoraret, ardens efficiebat ac indefessum veritatem propagandi studium. Paulò tamen post, Geneva relicta, quippe quem ad tempus duntaxat Genevensibus concesserant Bernenses, ad suos iterum Lausannenses abiit, apud quos ore & scriptis, institutisque cum adversariis sæpenumero colloquiis (b), datis consiliis

(a) Conf. BEZA in vita Calvini p. m. 370.

(b) Uti præ reliquis illud A. 1536. habitum Lausannæ colloquium latissime describitur a doct. Ruchato l. c. Tom. VI. p. 1——317. in quo primariæ cum Farelli, tum Vireti fuerunt partes, qui cumprimis etiam, non solum adversus Pontificium Transsubstantiationis figmentum, sed & adversus illam realem quam dicunt corporis Christi in S. Cœna præsentiam, adeo egregie p. 248——259. disputarunt & acriter, ut qui ipsis dehinc Lutheranismum impingere allaborent, omnem exuisse pudorem dici debeant: Sic enim inter alia Viretus (uti ejus Colloquii acta habent apud Ruchat l. c. p. 257.) *Il est impossible*, ajebat, *que le corps de Jesus Christ soit dans le sacrement, comme il etoit, quand il fit la Cene, car alors il etoit passible & mortel: il faudroit, qu'il le fut encore a present, ce qu'on nie: Ou bien, qu'il eut eu deux corps, l'un passible & l'autre impassible & glorifié, pour etre par tout, & celuici ne seroit plus corps, & Jesus ne seroit plus homme, mais seulement Dieu, s'il est au sacrament en corps glorifié, il n'y est donc pas comme il etoit en la cene; Car en cene il etoit passible & mortel, n'ayant pas encore glorifie, il n'etoit pas encore en plusieurs lieux, & par ainsi, n'etoit pas au pain, mais occupant un lieu a la Table. Et s'il n'y etoit pas en la Cene, que lui meme faisoit, je ne croy pas, que vous ayez plus de puissance que lui, ne que nous puissions faire une Cene, ou qu'il soit mieux, qu'a celle la.* Uti is deinceps ad convincendum adversarios, quod Christi corpus glorificatum non possit esse ubique, adducebat effatum Angeli ad mulieres Matth. XXVIII. & Luc. XXIV. Ουκ εστιν ωδε, ηγερθη γαρ, & deinceps; Ιδου προαγει υμας εις την Γαλιλαιαν κ. τ. λ. quæ omnia dici ab angelo nequivissent, si corpus ejus non certum ac determinatum æque post atque ante resurrectionem occupavisset locum.

filiis variis, etsim. is operæ suæ ingens fecit pretium, atque tantisper apud eos est commoratus (a), usque dum gravioris morbi impetu & virium imbecillitate fractus, primò ad *Nemausensem* in Septimania A. 1561. ecclesiam accederet (b) ac deinceps *Monpeliensem* (c), ubi per aliquot tempus versatus est, uti A. 1562. d. 12. Januarii per eximiam prorsus ad Ecclesiæ Reformatæ ministros ad colloquium Monpeliense congregatos scripsit epistolam (d), quæ vel una & sola commonstrat, quam ab omni plane seditione civili, & tentaminibus in Regem vel Rempublicam infestis, alienissimi fuerint sancti illi nostri Reformatores: Interea verò, dum præclara Galliæ urbs *Lugdunum*, eam ejus admodum impense sibi exposceret opem, quam ipsis denegare, uti non erat integrum, ita Viretus ultimos annos in *Gallicis Ecclesiis Reformandis* (e), consumsit: Primò quidem *Lugdunensibus* operam præstando, inter duras licet belli civilis tempestates & sævissima mox consecutæ pestis contagia, donec Pontificiis & maximè Jesuitarum factione procurante A. 1563. in Gallia edictum proponeretur. „Ne cui nisi indigenæ, & in regno nato „ fas esset, Religionis Protestantium ministerium exercere. „ Eo enim plerique exteri à ministerio remoti sunt, inque iis *Viretus* (f); Qui relicta, cui hactenus præfuerat, Lugdunensi Ecclesia, *Arausionem*, & *Johannæ Reginæ* Navarrenæ accitu, *Benearnum* venit, ubi aliquamdiu *Ortesii* docuit, usque dum in his

(a) Nisi quod tamen A. 1548. una cum Farello Genevam ad sopiendas lites intestinas excurreret, teste BEZA in vita Calvini fol. 374.

(b) vid. Ep. VIRETI dedicatoria præfixa Tomo I. *Instructionis Christianæ* ad Ecclesiam Reformatam Nemausensem Lugduno scriptam. d. 7. Decemb. 1563.

(c) vid. Ep. VIRETI dedicatoria præfixa Tomo II. *Instructionis Christ.* ad Eccl. Reformatam Monpel. Lugduno scriptam d. 12. Decemb. 1563.

(d) Hanc, quod ea est cedro dignissima, nobis conservavit Theod. BEZA in Histor. Ecclesiarum Reformatarum Galliæ Tom. I. p. 886. sq. Unde eam decerpsimus, atque inter documenta huic volumini subjuncta Num. VI. legi voluimus.

(e) Certè BEZA in Histor. Ecclesf. L. VI. p. 88. b. Viretum appellat unum ex præcipuis & celebrioribus sui temporis V. D. ministris: *Pierre Viret dans les plus rénommés ministres de son temps.*

(f) vid. THUAN. Historiar. Lib. XXXV. Cap. II. Volum. II. p. 348.

ipſis Navarrenæ ditionibus curſum ſuum conſummaret, atque A. 1571. quod habebat mortale deponeret, atque triſte ſui relinqueret deſiderium, quod tamen, aliquo modo per ea, quæ edidit Scripta immortalia, cenſeri poteſt expletum eſſe, quippe qui eximiis ingenii monumentis & ſuam ætatem, & ſequentium temporum eccleſiam ſibi devincivit:

§. XIV. Et, cum prioribus annis ad erudiendum præcipuè Eccleſiam Gallicanam, lingua Gallica ſuos conſignaret commentarios, tum deinceps tamen & Latino ſermone eoque venuſto & perſpicuo eundem uſum fuiſſe conſtat. Habent autem hoc peculiare Scripta ejus, quod & proſint & delectentur, quippe quæ, feſtivum in modum, varias Pontificiorum ſuperſtitiones riſui exponunt, & lectorem ſæpenumero, dum erudiunt, ſumma voluptate afficiunt, comparando cum hodiernis Papiſtarum ſacris, vetera Romanorum Gentilium ſacra, & indicando, quam recentiorum illorum Romanenſium major etiam ac fœdior ſit idololatria, quam quidem fuerat Romanorum veterum; Quò ante omnia de *Theatrica Miſſæ ſaltatione* facit *Cento*, quantivis pretii, ex veteribus Poëtis conſarcinatus, qui lectorem præcipuè in Poëtis verſatum novo genere voluptatis (uti apud Belgas decantatum illud Alvearium Romanum) perfundit & recreat:

Quamvis tamen, eapropter cenſeri non debeat, quaſi minus ſeriò tractaviſſet ea, quæ ad veram & ſalutarem doctrinam faciunt, quippe cum non minus graviter ac nervoſè quam ſeriò diſputet adverſus errores, cum *Papiſticos*, tum etiam illorum, qui verbi divini vel inter *Anabaptiſtas*, vel inter *Libertinos* & *Deiſtas* ſuorum temporum erant contemtores, itemque adverſus eos, qui circà Religionem ſimulandum quoque ac diſſimulandum eſſe præcipiebant.

Exemplo ſint ea, quæ in Præfatione ad Lauſannenſes directa atque Theatricæ Miſſæ rhapſodiæ præmiſſa refert, quando inter alia: „ Videbam, inquit, nullum eſſe idolum in toto Chriſtiano orbe, nullumque genus ſuperſtitionis ac idololatriæ, hoc uno, toti Chriſtianæ religioni probroſius, exitioſius ac magis pudendum, quodque majores vetuſtiores præſtantioresque auctores, habere crederetur. Huc accedit, quod hæc ſacra, velut ſentina quædam ſunt & fæx omnis antichri-

„ ſtianæ

„ ſtianæ impietatis & ſacrilegæ ejusdem audaciæ, in quam, „ quaſi in publicam cloacam congeſta ſunt & coacervata om- „ nia antichriſtianæ doctrinæ ludibria & portenta, atque omnes „ in Chriſtum blasphemiæ & contumeliæ.

„ Præterea, quid jam hodie invenias, quod difficilius, ex „ animis hominum revelli poſſit, non eorum tantum, qui toti „ adhuc faſcinati ſunt veneficiis doctrinæ papiſticæ, verum „ etiam, quam plurimorum ex illorum numero, qui ejus hoſtes, „ & Evangelicæ veritatis profeſſores atque propugnatores videri „ volunt? Enimverò, quam multos videas ex horum grege, „ non modò ex gregariis hominibus, ſed & ex ipſis anteſigna- „ nis, ſuo quidem judicio lectiſſimos & egregios viros, qui „ multa apud omnes eruditionis ſapientiæ & ſanctitatis laude „ & opinione præſtant, quos nihil jam pudet pigetque aſſerere, „ Chriſtiano homini licere poſt cognitam Evangelii veritatem „ exſecrandis Miſſæ ſacris non ſolum intereſſe, tanquam eorun- „ dem conſorti, ſed etiam, ſi ita comparatum eſt, quaſi myſta- „ gogum & antiſtitem præeſſe, in quibus tanta afficitur Chri- „ ſtus Dei Filius contumelia, quanta poteſt maxima excogita- „ ri? Cujus quidem horrendæ contumeliæ diſſimulatio, iſtis ho- „ minibus non infeliciter inſtitutis, ſed ad ungunem expolitis „ in plauſibili illa ſua ſimulandi & diſſimulandi ſchola, nihil „ aliud eſſe videtur, quam aut jocus quidam puerilis aut thea- „ tricus luſus.„

Neque minus ſevera ſunt ea, quæ is adverſus ſui temporis Libertinos in libris *de Miniſterio Verbi Dei* diſputat, ubi ita:

„ Nam illis (de Libertinis loquor) Chriſtus eſt Satanas & Sa- „ tanas Chriſtus, vitium virtus, virtus vitium. Nullum enim „ ex eorum ſententia peccatum eſt, niſi eorum opinione qui ſe „ peccare putant. Verus Dei timor, & eo imbuta conſcientia „ pro inferno illis habetur, & Furiarum regno & conſcientiæ „ carnificina, pro paradiſo autem & vita beata, conſcientia di- „ vini judicii contemtrix ſecura ſtupida & conſopita. . . . „ His verò jactis fundamentis, ita Scripturas Sacras interpretari „ ſolent, eas quocunque volunt verſantes, ut illarum teſtimoniis „ impiam ſuam ſententiam & doctrinam approbare & confirmare „ videantur, & imperitis fucum faciant.„ E 3 Sed

Sed & maximè severa, quin imò pia & gravia esse, quæ is de vi & efficacia Ministerii, & quo modo hic Dei opus & hominis opus ab invicem distingui debeat ac secerni, præcipit, nemo denegaverit, ubi inter alia hunc in modum (a): *Fateamur ergo hoc ministerium esse efficax quidem, non autem hominum ministrorum ratione atque opera, aut eorum, quæ ipsi de suo afferre solent, sed illius solius vi atque efficacia, qui ejus est auctor & eorum effector quæ ipsius vi perficiuntur. Is enim solus sui spiritus arcano afflatu corda movet & intus perficit, quod foris externo ministerio nunciat, testaturque, idque liberè, ubi, quando, per quos, & in quibus ipsius bonitati visum fuerit, non autem ministrorum arbitrio.* Et, paucis interjectis, ita pergit: „ Itaque ministrum dum conspicimus, sacris dantem operam, sive is concionem habeat ad populum, sive sacramenta administret, nobis Christum, cujus refert imaginem ponamus ob oculos: qui ut suo spiritu ministrorum, quorum ministeriis uti placuit, mentes afflat, linguamque moderatur, & igne illo cœlitus demisso accendit, quo, die Pentecostes Apostolorum animos & linguas inflammavit, ita auditorum corda, quos in regni sui societatem advocare constituit, fide parat, velut vasa quædam, ad ea excipienda. Quonam autem pacto? non utique ex ministrorum ore; quasi illi unà cum suo habitu pariter & Spiritum divinum afflarent, aut ipsorum manibus, quasi ipsis adhærerent & unà colligata essent dona cœlestia; sed ipsius Christi ore & manibus &c. „

§. XV. Cæterùm, ex reliquis Vireti scriptis (b) cedro dignissi-

(a) De vero Verbi Dei ministerio L. II. C. III. p. 5. b. & 6.

(b) Ea recensentur à Melchiore ADAMI in Vitis Theologorum exterorum fol. 61. sq. & *van der* HEYDEN in Elogiis & Iconib. Præstantium virorum itemque à P. BÆLIO in Lexico atque aliis: Inter quæ tamen præ cæteris eminet liber cui tit. *Les Actes des vrais successeurs de Jesus Christ & de ses Apotres & des Apostats de l'Eglise.* Quem is se conscripsisse testatur in Opere, *de la vraye & fausse religion.* Lib. VIII. p. 565. itemque Ejus *Instructio Christiana*, quæ A. 1563. Lugduni prodiit, adversus ejus seculi Deistas inprimis directa, & Liber cui titulus *Interim* ita appellatus, quod judicaret regulas Christianismi ibi inculcatas vel

nissimis, cum purior ab ipso in quibusvis doctrinæ fidei capitibus asserta doctrina colligatur, tum dictionis suavitas pariter atque lenitas animi singularis, tum denique non fucata pietas ac devotio, quæ omnes fert numeros emicat, seque cunctis fermè insinuat paginis; Nam & commemorantur ultimæ, Conjugis ejus Elisabethæ Turtaziæ, horæ ab eo editæ, quippe in quibus & piæ voces referuntur & meditationes, quibus ea matrona cum ex hac vita discedendum esset occupata fuerat, ut quoque palàm propter cœlestes quæ ipsi propinabantur consolationes, exclamare non fuerit verita fidei plena, *se cœlos jam videre apertos* (a).

Nam & illud ad exemplum facit, quod Viretus per multas afflictiones fuerit excitatus in civitate Dei athleta, quippe cujus, cum esset corpusculo per se imbecillo, vires etiam prostratæ sunt per venenum (b) ipsi à Genevensis cujusdam Canonici vel servo vel ancilla, propinatum, &, per vulnera in agro Paterniacensi, ipsi A. 1533. à sacrificulo ipsum per insidias invadente, inflicta adeò gravia, ut jacentem pro mortuo reliquerit; Neque tamen hæ virium corporis jacturæ impedierunt, quò minus obfirmato planè atque corroborato animo, tot sustineret labores tot fundaret ecclesias, tot profligaret adversarios & tot ingenii monumenta ad posteritatem transmitteret, ut facile pateat, quam nullum sibi tempus dederit vacuum à ministerii munere, quod ipsi datum erat, usque dum duram illam & laboriosam militiam absolvisset, ac ad veram revocatus requiem, laborum suorum reportavisset mercedem, nulla temporum injuria abolendam.

§. XVI. *Johannis* autem CALVINI, quanquam etiam nomen ejus & virtus nemini non sint nota, paucis verbis, ut quoque refricemus memoriam necesse est, quippe quem primarium corrup-

vel ad penitiorem concordiam, quam iniri posse censebat, vel saltem ad ulteriorem Reformationem usque valituras esse: Est verò is Magno Franciæ Admiralio Colinæo dedicatus, atque 6 absolvitur dialogis 1. Les moyenneurs 2. Les transformateurs. 3. Les Libertins 4. Les Persecuteurs 5. Les Edicts 6. Les moderez, par P. Viret à Lyon 1565. 8.

(a) RUCHAT Tom. VI. p. 316.

(b) ADAMI l. c. p. 61. RUCHAT T. V. p. 354. 355. it. BEZA in Iconibus Lit. S. ii.

ruptæ Religionis vindicem ac reparatorem agnoſcunt Eccleſiæ Gallicæ (a), quique allucente Sole Juſtitiæ, *poſt tenebras Lucem* in iis reſtituit; Natus is eſt Novioduni Veromanduorum oppido celebri A. 1509. Patre *Gerardo Calvino*, qui equidem prius ipſum ſacro cuidam, uti tunc erant tempora, deſtinaverat ordini, ſed mutato, dum apud Pariſienſes diſcendi gratia verſabatur, conſilio; Quando factum eſt, ut jurisprudentiæ eum addiceret Pater, filius autem ſimul in legendis Bibliis, quippe jam tum á Petro Roberto Olivetano, cognato quodam ſuo de vera religione admonitus, diligenter & ſtrenue conſumeret operam. Cum igitur non ſolum in Aurelianenſi (b) Academia *Petrum Stellam* Jureconſultum audiiſſet, ſed & in Bituricenſi Academia ſub *Andrea Alciato*, Juri, & ſub *Melchiore Volmaro* (c) Græcæ linguæ addiſcendæ intentus eſſet, ſimul & ſacras ille ita imbibere literas, & Hebraicæ, Syriacæque linguæ operam navare, ut ſibi quoque tantam veritatum pariter atque docendi copiam collegiſſe tum videretur, ut nonnullas in agro Biturigum, in oppidulo quod Linerias vocant, conciones, præſente & probante illius loci Domino, populo chriſtiano proponeret. Tum verò repentina Patris mors eum in Patriam revocavit. Inde paulò poſt Lutetia tranſiens A. 1533. cum viceſimum quartum ætatis annum ageret, egregium illum edidit commentarium in Senecæ librum de Clementia, atque tum intrà paucos admodum menſes innotuit quibusvis (qui non pauci erant) purioris religionis affeclis, ſimulque in eo ſe obfirmavit conſilio, ut abjectis reliquis ſtudiis Chriſto ſemet atque Veritati Evangelicæ annunciandæ mancipa- ret. Quum autem in Gallia vix tutum ipſi ab inſidiis & periculis, quæ tum quotidie ingraveſcebant, eſſet refugium, brevi

(a) Certè COCHLÆUS in dedicat. ad Hiſtoriam Huſſitarum jam agnoſcit ac profitetur, Calvinum hominem eloquentem & ſacrarum literarum in diverſis linguis peritum, ſuam cumprimis doctrinam per Galliam dilataſſe.

(b) VARILLAS Hiſtor. de revolut. T. II. p. 334. ait Calvinum jam tum plurimos Aureliæ incolas effeciſſe Lutheranos.

(c) Is idem ille eſt *Volmarus*, quem etiam *Theod. Beza* præceptorem habuit, atque informatorem.

vi post Basileam (a) atque deinde Genevam accessit, ejus potissimum Reip. & Civitatis Reformator; Quæ res quomodo suscepta, promota, perfecta fuerit, in illius Urbis Reformatione (b) describenda luculentius exponetur.

Neque tamen ejus Virtus in unius urbis quantumvis celeberrimæ gyrum se compelli sustinuit, sed omnem quà patet regionem circumjacentem, quinimò totam Galliam complevit, atque varias alias, cum Helvetiæ, tum superioris pariter atque inferioris Germaniæ civitates illustravit; Exemplo sint, *Argentoratum*, *Basilea*, *Neocomum*, *Lausanna*, deinceps *Lotharingia*, *Burgundia*, quinimò etiam *Italia* & *Anglia*, uti cumprimis multorum ex Anglia profugorum cura ei incumbebat, quorum alii in *Frisia* & *Cliviis*, *Vesaliæ* & *Emdæ*, alii verò *Francofurto* consederunt, omnes à Calvino consilium subinde flagitarunt & acceperunt; Quidquid sit, tam utilis fuit ejus opera Ecclesiæ Christi, ut nulla ferè Christiani orbis regio inveniatur, quæ non sit Calvini laboribus plena, nullæ fere in ullis regionibus hæreses fuerint subnatæ, contra quas ille non feliciter Verbo Dei ancipiti illo gladio pugnaverit, nullum doctrinæ Christianæ caput, quod ille non singularem in modum illustraverit; Certè ejus in Vetus ac Novum Testamentum commentaria omne ferunt punctum, Ejus Conciones unctionem spirant omnes, ejus Institutiones Religionis Christianæ ad Franciscum I. Galliarum Regem ad limam sunt compositæ & absolutæ, Tractatus dogmatici soliditatem, Elenchtici fervorem & zelum, Practici virtutem & pietatem complectuntur, Epistolæ autem, Responsa & Consilia omnia, Humanitatem, Prudentiam, Gravitatem atque Sapientiam præ se ferunt;

Et sunt, quæ scripsit innumera, quippe qui nullum tempus vacuum sibi à commentationibus vel à scriptionibus dedisse videtur; Et, cum inter omnes conveniat eum ingenio, eruditione, ju-

(a) Ubi Institutionem Religionis Christianæ A. 1534. conscripsit, eamque anno sequenti A. 1535. omnium primo edidit. Conf. quæ ea de re annotavimus in Scrinio Antiquario T. II. P. I. pag. 451. sq.

(b) De illius urbis Reformatione ante omnia consuli debet *Frid.* SPANHEMII Patris, Viri Summi, *Geneva Restituta*, quæ inserta legitur Operibus SPANHEMII fil. Tom. II. fol. 1515. & sq.

judicio, facundia antecelluisse omnibus, tum id eò videtur admirabilius, quod in summis atque perpetuis occupationibus tanta scribendi tam bene facilitas & ratio ipsi contigerit, inprimis cum tot ageretur tempestatibus, (quid enim tota ejus vita nisi tempestas quædam veluti perpetua fuit?) cumque nec firma satis esset valetudine, nec multos ætatis annos impleverit A. 1564. ætatis anno 54. jam ex phtisi, vigiliis & jejuniis immodicis contracta, defunctus.

§. XVII. Sed redimus in viam. Inter eos, quos *Gulielmus Briffonetus*, Episcopus Meldensis, pro singulari quo tum ferebat zelo, puriorem doctrinam à superstitione liberatam suæ diœcesi instillandi, ad se accersiverat, quique sub ejus patrocinio, dum res & hora sinebant, eandem publicè & pro concione profitebantur, erat quoque *Jacobus* PAVANES (a), Bolonia, quæ celebris Piccardiæ civitas est, atque ad oceanum Britannicum spectat, oriundus, Vir Juvenis eximius, & magna cumprimis integritate conspicuus, præterea literis probè excultus, & *Jacobi Fabri* discipulus; At verò is, cum monachorum artibus res Meldenses retrò laberentur, atque Sorbonistarum infesta consilia ad eas pessundendas nihil reliqui facerent, ita tum, unà cum aliis quibusdam, elabi fugâ, vel non potuit vel non voluit, quin potius, in carcerem, propter disseminatos, uti calumniabantur, errores Lutheranos, inprimis vero, propter puram Religionis confessionem & assertam de Sacra Cœna doctrinam illibatam (b), conjiciebatur; In eo, per aliquod tempus ubi detentus fuisset, cum aliorum multorum non satis in fide constantium, tum præcipuè, Martialis illius Masurii, de quo jam diximus, suasu ac hortatu, quasi veritas non esset tanti, ut ejus asserendæ gratia vitæ periculum subire nos oporteat, eò deductus fuit, atque compulsus, ut doctrinæ assertæ renunciaret, eamque retractaret (c) solenniter,

(a) *Jaques Ponent*; conf. BEZE Histoir. Eccles. l. c. p. 6. & in Icon. lit. Z. i.
(b) Pour la pure doctrine de la Cene du Seigneur, laquelle en ce tems commença d'etre mise en avant. vid. *Martyrol. magn. Gall.* fol. 92. b.
(c) *Il fait amende honorable.* Beze l. c. Id verò factum fuisse Anno 1524. *le lendemain de Noël*, idem asserit: Quomodo autem quis apud Gal-

ter, quò scilicet carcerem liber ac salvus evaderet: Et videbatur omne jam periculum à capite ejus è carcere liberati, remotum, nisi conscientiæ vis & lumen eundem haud ita multò post impulisset, ut, pœnitentia & serio dolore, quem lacrymis & suspiriis continuis testatum faciebat, ductus, palam veritatem abnegatam ore & scripto profiteretur, ejusque defensionem coram ipsis Judicibus susciperet: Eà enim re factum est, ut altera vice in hostium, (quorum odium erat internecinum) potestatem redactus, & tanquam relapsus Anno 1525. in ipsa Parisiorum urbe vivicomburio fuerit sublatus (a):

Sed juvat ejus intueri propius Theses, propter quas & ipse, & qui earum defensionem sive apologiam edito singulari codice in se susceperat, *Matthæus Saunier*, itidem *Jacobi Fabri* discipulus, tum temporis à Sorbonistis A. 1525. ad abjurationem (b) sunt condemnati: Pavanes enim asseruerat, *non dari Purgatorium*, atque illud nec in sacris scripturis reperiri, nec ab Ecclesia Græca fuisse agnitum, quin potius, Sacerdotum solummodò avaritiæ esse acceptum ferendum, affirmaverat Saunierius. Deinceps, *Deum non ullo indigere vicario*, *nec eum habere*, quod ipse sit omnipræsens, atque omnia nutu suo gubernet ac dirigat, asseruerat uterque; Pavanes etiam præcepta ecclesiæ dicebatur parvipendisse, atque cumprimis ea, quæ *omnium peccatorum confessionem* coram sacerdote quotannis faciendam injungebant; Dixisse insuper, *non esse nimium credendum doctori-*

Gallos mulctam subeat honorariam, explicat RICHELET in dictionario p. 89. *Le criminel qui fait amende honorable, est en chemise, une torche ardente à la main, la corde au cou, accompagné du bourreau, de ses supposts & de la Justice En cet etat il demande pardon de son crime au Roi, à la Justice & au public.* conf. COLOMES. Melange Curieux p. 833.

(a) BEZE l. c. & Martyrol. Magn. fol. 93. Il fut emprisonné, condamné, & tost aprés brulé vif à Paris, en la place de Greve 1525. au grand honneur de la doctrine d' Evangile, & edification des plusieurs fidelles, qui pour l'ors ignoroyent le vray usage & institution de la Cene du Seigneur Jesus Christ.

(b) Extant Acta de his Propositionibus habita in Collegio Sorbonæ, atque inserta sunt à D. d' ARGENTRE Collectioni Judiciorum de novis erroribus Tom. II. p. 30——35. unde eadem depromere atque propter rei memoriam documentis nostris inserere Num. VII. voluimus.

bus Ecclesiasticis, quin imò, sprevisse illam Mariæ salutationem: *Salve Regina Mater misericordiæ* &c. atque statuisse, Non offerendas esse Sancto cuidam aut Sanctæ candelas: Sed &, fuerat inter Theses Pavani, quas defenderat Saunierius, *Missas nihil juvare in remissionem peccatorum*, atque sufficere, audire Verbum Dei, & pluris esse unam audire concionem ecclesiasticam, quam centum missas. Porro, *Bullas & Indulgentias Papales esse imposturas diaboli*, quippe cum nec Papa ulla remittere possit peccata, nisi Spiritu Sancto adjutus; Itemque: Baptismum nisi fide receptum nihil valere, etsim. Hæc illa erant enormia illa dogmata, quæ è Valdensium Wiclefitarum Bohemorum & Lutheranorum perniciosis erroribus extracta dicebantur & confecta, quæque, tanquam impia, denigrabantur, scandalosa, schismatica & à doctrina Christiana omnino aliena, ut ipse quoque *Jacobus Pavanes*, ultimum ignis supplicium eapropter subire debuerit. O tempora! o Mores!

§. XVIII. Eodem hoc anno 1524. Lotharingiæ Dux ANTONIUS (a) facto decreto, quoniam Lutheri doctrina damnata sit à Pontifice Romano & à Cæsare, & à celeberrimis Academiis, mandat suis, „ne quis pro concione aliquid ejus generis doceat, „item, qui libros habent ullos à Luthero scriptos, intra certum „diem exhibeant, iis, qui non parebunt pœnam constituit; „ Estque tum, cum *Wolfgango Schuch* quoque singularis sed tristissima acta fabula, in qua cum non minimæ fuerint Sorbonistarum partes, eandem huc paucis verbis referre, videtur opportunum.

Erat *Wolfgangus* SCHUCH (b) natione Germanus, sed qui in oppido Lotharingiæ cui à *S. Hippolyto* nomen est, pastorem agebat, atque cum Evangelii luce collustratus esset, ejus radios ad auditores suos transmittere satagebat, eumque in finem, ut superstitiones & idolomanias, quæ jam alte in animis populi radices egerant, eradicaret, omnem navabat industriam; Exigui itaque temporis spatio (c) & Quadragesimæ observationem, & imagines

(a) SLEIDAN. Historiar. Lib. IV. p. 62. b.
(b) vid. Martyrol. parv. Latin. p. 205. & Martyrol. magn. Gall. fol. 89. a.
(c) vid. PANTALEON in continuatione Foxi Martyrologii fol. 54. 55.

nes atque idola, ipsam denique Missæ abominationem abolevit, id quod non admodum fuit difficile, quod populum haberet ad disciplinam Evangelii obedientiamque accommodatum & paratum, & qui statim singulari quadam opinione ac voluntate in ipsum Wolfgangum affectus erat: At verò, rumor ea de re sparsus, adversariis opportunam dedit occasionem, eum criminandi & falsis calumniis deferendi apud eundem quem dicebamus *Antonium* Calabrorum Lotharingiæ atque Barri Ducem; Dux igitur ante omnia eam causam demandare Abbati (a) Sancti *Antonii Viennensis*, qui tum Vicarius erat generalis Cardinalis de Lotharingia, atque à sede Pontificia speciatim missus erat, ad extirpandas in Ducatu Lotharingiæ & vicinis partibus hæreses, & ad Fidem catholicam tuendam; Abbas autem ille, qui nihilo segnior erat in persequendis iis, quos hæreticas opiniones fovere suspicabatur, atque Dux ipse, sibi tamen soli diffidens, totam hanc rem, missis quibusdam articulis ex concionibus *Wolfgangi* uti videtur excerptis & quatuor libris ejusdem, deferre ad Sorbonistarum apud Parisienses Collegium hæretificum, quo suam de iis sententiam ad ipsum Ducem mitterent, & quid ab iis vel sperandum vel extimescendum haberet Ecclesia Lotharingica, declararent: Hi articuli, quod eos in Collectione Judiciorum de Novis Erroribus ex Archivo Sorbonistarum Parisiensi conservavit doctissimus dominus d'ARGENTRE (b), eosdem hic exhibemus.

1. Christum sub speciebus panis & vini Deo Patri à Presbyteris offerri pro peccatis vivorum & mortuorum, est falsum.

2. Christus in Missa non est oblatio seu sacrificium.

3. Qui simplici exemplo Christi innititur accipiendo Panem & Calicem, & benedicendo, absque pompa, relictis omnibus ab hominibus inventis, hæreticus non est, nisi Christus hæreticus sit.

4. Canon Missæ, deprecans, ut Deus acceptam habeat oblationem ac sacrificium &c. est blasphemus.

(a) ARGENTRE Tom. II. fol. 18.

(b) ARGENTRE l. c. T. II. fol. 18. 19. 20. Conf. RAAB. Martyrolog. Tom. V. pag. 153. sq.

5. Hodiernus Missæ usus, quo Sacerdos frangit, manducat & bibit, non congruit Evangelio, in quo nulla fit mentio quod Christus ederit vel biberit, sed quod fregerit & dederit.

6. In Missa debet Panis in multa frangi frusta, & dividi aliis. Si autem aliter fit, contra ordinationem Christi fit.

7. Qui hoc Sacramentum populis publicè ministrant, aut infirmis deferunt, melius omnibus Christum imitantur. Sunt enim aliorum Ministri sicut Christus.

8. Fatua est illa trifaria divisio hostiæ, qua datur una particula vivis, una animabus in Purgatorio existentibus, alia beatis.

9. Nemo potest pro alio missare.

10. Impium est fideles altera specie privare.

11. Contritio, prout Ecclesia Romana contritionem intelligit, non est necessaria, sicuti nec Auricularis confessio, quæ non cadit sub præcepto, sed est arbitraria, neque alia est satisfactio quam sit satisfactio passionis Christi.

12. Accessuri ad Sacramentum corporis & sanguinis propter peccatorum multitudinem non debent recedere.

13. In primi parentis nondum vitiati manu stabat vita & mors, nunc autem non amplius in nostra: nam omnes posteri Adæ nil boni possunt.

14. Omnia hominum opera, omnes hominum conatus, peccata sunt.

15. Omnes homines per vires naturæ semper peccatores sunt & peccant.

16. Populus Novi Testamenti habet perpetuum Sabbathum, ut videlicet neglecto & contemto sui studio, arbitrio, providentia, Justitia, sapientia, abneget semet ipsum, in nulla creatura fidat, sinat Deum operari, sibi providere, se sanctificare.

17. Sabbathum verum violant, qui liberum arbitrium prædicant, justitiam operum & humanas sanctiones.

18. Sola fides justificat & amicos Dei constituit sine operibus, sine meritis.

19. Non stabunt ulla opera coram Deo Judice.

20. Omnia hominum quantumvis laudabilia opera, planè sunt vitiosa & morte digna.

21. Fir-

21. Fidem & Dei verbum persequitur, qui rosariis Mariam honorat, & salve Regina legit aut decantat.

22. Pœnitentia illa, ad quam invitamur, nihil est, nisi mortificatio nostri, quæ in baptismo incipit & morte perficitur.

23. Scandalum inferunt mundo, qui prohibent matrimonium sacerdotibus.

24. Nemo excipitur à potestate seculari, sed debet quilibet Christianus obedire seculari potestati.

25. Nemo habet potestatem in animam nisi Deus, & ideò præscribere illi præceptum non debet nisi Deus, & qui id tentat, Dei regnum invadit, animas seducit & perdit.

26. Cærimoniæ in Missa ab Ecclesia observatæ, sunt extra Institutum Christi, nec necessariæ.

27. Arbitrarium est, confiteri Laico vel Sacerdoti.

28. Papa aut Generale Concilium non potuit clericis in sacris constitutis interdicere matrimonium.

29. Aqua benedicta non est utilis & proficiens Christi fidelibus.

30. Sacra unctio, qua inunguntur ordinandi ad Sacerdotium, & illa quæ datur infirmis, non sunt de necessitate salutis.

31. Liberi sumus ab externis humanis observationibus, cærimoniis, aut, si tales sunt, ut à nobis velut necessariæ exigantur ad salutem, omnino rejiciendæ, ut sunt Papisticæ leges & humanæ doctrinæ verbo Dei non fundatæ, ut interdictum ciborum, vota, auricularis confessio, oblatio, indulgentiæ, satisfactiones, doctrinæ de Invocatione Sanctorum, Purgatorio, Idolis, Templorum ornatibus, missis emptis, vigiliis, quibus frustra colitur Deus, & abominationes sunt Deo.

Quamnam in horum articulorum singulos exercuerint Sorbonistæ censuram (a) haud adeo difficile est hariolatu, neque ut eam hic repetamus, operæ videtur pretium: Est tamen id notabile, quod inter alia ad *articulum quartum* hanc pudendam sanè tulerint censuram; *Eum esse impium*, *schismaticum*, *&* IN SPIRITUM SANCTUM (QUO INSPIRANTE sacer Missæ CA-

(a) Habet has censuras singulas in eodem opere ARGENTRE l. c.

CANON (a) est editus) BLASPHEMUM: Prout articulum *decimum* pronunciant, *damnatum Bohemorum & Lutheri errorem.* & ad articulum *decimum septimum* annotant, „ quod, in quantum is prætendit liberum arbitrium in bonis operibus nullam „ habere actionem, is sit Manichæorum error per Lutherum „ renovatus, sitque hæreticus. „

Interea tamen, quomodo iidem Sorbonistæ suam illam deinceps Censuram clauserint, pervidendum est, idque propriis ipsorum verbis. (b) „ Præter præscriptas propositiones sive articulos, nobis oblati sunt quatuor libelli, manu ut dicitur ejusdem *Wolfgangi* scripti, è pestifera Lutheri doctrina desumti, „ unde prædictæ propositiones sunt exceptæ. Quorum *unus* in „ Johannem & primam epistolam Petri dicitur, in qua fidelium „ Orationes ad Sanctos & eorum Imagines, veluti simulacra aut „ idola damnantur, tollitur liberum arbitrium, aufertur ab Ecclesia Ordo sacerdotalis, neque discrimen aliquod ponitur „ Clericorum & Laicorum, Christianæ libertatis prætextu Sathanica Libertas statuitur & sacra ab Ecclesia instituta jejunia „ respuuntur. *Alius* est, in Ep. ad Galatas, qui non aliò tendit quam ad evertenda Ecclesiæ præcepta & leges, merita & „ bona opera & doctrinam sanam de auriculari confessione, satisfactione, delectu ciborum & cæteris consimilibus. Probare „ etiam nititur circumcisionem & cetera legalia, hac tempestate „ licere observari, decalogum esse abrogatum, & sola Christi fide manente, cætera omnia neque præcepta esse neque prohibita: *Alius* libellus dicitur Sermonum, qui ultra propositiones „ oblatas complectitur alia etiam virulenta, utpote quod idem „ est Sacerdos, Christianus baptizatus. Quod peccavit Martha „ sollicitudine in receptione Christi. Quod Idololatræ sint sacram Eucharistiam adorantes. Abolenda aqua benedicta. Ante „ crucem abusus est genua flectere, & pleraque alia erronea. „ In *ultimo* denique libello diversa continente, Missa negatur „ esse sacrificium. Ad Eucharistiam suscipiendam præparatio tan-
„ tum

(a) Quid Pontificii per *Canonem Missæ* intelligant. Vid. *Introd. in Histor. Ref.* §. CXIX. pag. 289.

(b) vid. Argentré l. c. p. 21.

" tum ponitur fides, seu fiducia in promissis Christi. Omnis Ju-
" risdictio asseritur esse secularis, nulla spiritualis ex Christi in-
" stituto. Psalmorum cantus in Ecclesia reprobatur. Rejicitur
" Purgatorium. Probatarum religionum vota refelluntur.

" Hos autem quatuor libellos, prænotatos errores & alios mul-
" tos continentes, qui ex exsecranda Lutheri officina trahuntur,
" impios, schismaticos ac variis hæresibus constat esse refertos:
" quare velut Reipublicæ Christianæ perniciosos censemus &
" ideò exterminandos & publicè exurendos, auctorem verò eo-
" rum ad illos canonicè abjurandos compellendum: "

§. XIX. Hanc Censuram cum ad dictum Abbatem & per eum ad Antonium Ducem Lotharingiæ misissent Sorbonistæ, accessit alia, eaque nova Papistarum criminatio, quasi *Wolfgangus* ille populum seduceret, eumque ab omni Principibus & Superioribus debita obedientia alienaret, eorumque auctoritatem ac potestatem conculcaret; Quæ calumnia tantò virulentior, quantò turbulentiora tum erant rusticorum in Germania & consilia & conamina, quam primum ad Principem delata esset, is gravissimam statim concipere offensionem atque indignari, quin imò minitari, se ipsam, in qua docebat non sine successu *Wolfgangus*, urbem, flamma ac ferro vastaturum esse: Hoc periculum, cum optimus ac fidelissimus pastor intellexisset, nulla in eo amplius erat mora, quin is ad Ducem Lotharingiæ gravissimam conscriberet Epistolam (a), in qua & fidei suæ rationem redderet, & quam nihil à doctrina sua atque auditoribus suis haberet verendum Dux Illustrissimus, apertum faceret; Ea scripta est & consignata d. 2. Januarii A. 1525. At verò, sive quod Epistola consilio satis improbo interciperetur, ut ad Principis manus haud veniret, sive quod plus apud eum valerent calumniæ, Princeps in consilio de vastanda penitus urbe S. Hippolyti perstitisse dicitur; Wolfgangus igitur, ut eam ab innocenti civitate averteret tempestatem, se inde recipere atque sua sponte se Nancejum conferre Lotharingiæ metropolin, in qua Dux præcipuam

(a) Hanc Epistolam ex Pantaleonis commentario rerum in Ecclesia gestarum Lib. II. fol. 55. sq. & ex Martyrol. Gall. magno fol. 89. a. depromere atque Documentis nostris Num. VIII. inserere volupe fuit.

puam habebat sedem; Eam urbem ingressus, nihil habebat antiquius, quam ut partim suæ fidei Confessionem doctrinæque rationem palàm ederet, partim, ut quam imminere civitati prævidebat tempestatem, in se solum atque unicum converteret atque derivaret; Neque tum diu cunctatum est, quin is in carcerem durum sanè ac graveolentem conjiceretur, atque per integrum annum detineretur, dum intereà temporis non semel inde extractus, ad Franciscanorum cœnobium duceretur, ut de fide atque doctrina subiret inquisitionem, quanquam vel ita nullis aut hostium minis aut promissionibus sed ne quidem precibus uxoris aut commiseratione liberorum, quos sex vel septem habebat, frangi potuerit, ut á fidei professione & veritatis Evangelicæ puritate divortium faceret;

Dicitur autem præ cæteris fuisse monachus quidam nomine Bonaventura (a), Provincialis ordinis Franciscani, homo tam ipso vultu & distento ventre horridus atque deformis, quàm in summa ignorantia, civilitatis etiam atque honestatis omnis contemtor: Is, quum præcipuas Confessoris partes apud Antonium Ducem obtineret; eoque non exiguæ esset auctoritatis in aula Lotharingica, quod omnibus liberam omnis libidinis ac voluptatis licentiam faceret; haudquidquam magis persuadere Principi conabatur, quàm ut doctos omnes ab aula suisque regionibus iret ejectum; nec quenquam ferret, qui plus consueto vellet sapere: quum ad salutem, ipso definiente, satis esset, scire, *Pater Noster*, &, *Ave-Maria:* Hoc igitur præside, Schuchius interrogatus fuit de fide sua; nec in disputando quidquam aliud ab isto prolatum aut eructatum; præterquam; *Tu hæretice*, *Juda*, *Beelzebub*, &c. Quo scilicet egregio disputandi artificio tandem obtinuit; ut Schuchius ad ignis supplicium condemnaretur: quâ quidem auditâ sententiâ, orsus est ille Psal. CXXII. *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus*; &c.

Dum verò ad supplicium duceretur, præteribat cœnobium Franciscanorum; qui foris exspectabant: ibi tum Cyclops ille Bo-

(a) Sunt verba Martyrologii parvi Latin. pag. 205. sq. cf. PANTALEON. l. c. p. 57. & Martyrol. Gall. magn. fol. 91. itemque *Acta Martyrum* in 4. pag. 51. b. 52.

Bonaventura, exclamans, *Schuchio* dixit: *Heus haeretice; exhibe honorem Deo, ipsiusque Matri, & sanctis ejus;* ostendens interim ei Idola, quae istiusmodi ferarum lustris in vestibulo praeponi solent, *Schuchius* autem illi respondens; *Heus*, inquit, *hypocrita, paries dealbate! perdet te Dominus, & fallacias ac imposturas tuas palam tandem faciet.*

Quum verò jam ad supplicii locum pervenisset, interrogabatur; *num poenam sibi mitigari vellet?* Ille verò negavit se velle; addens: *Deum sibi semper adfuisse; proinde ne tunc quidem defuturum, quando vel maxime eo opus haberet:* atque sermonem suum hisce tandem verbis conclusit: *Mandetur exsecutione sententia!* Deinceps incipiens Psal. LI. subivit locum fascibus stramineis atque lignis undique septum, & Psalmum eundem est prosecutus, donec fumo flammâque praefocatus obiit: quod factum d. XIX. Augusti, MDXXV.

Continuò verò post istud tale Martyrium *Schuchii*, judicium Dei palàm se exseruit, in nonnullis ipsius hostibus & acerrimis persecutoribus: in Commendatore nimirum S. Antonii Viennensis, Ecclesiastico (ut vocant) ejusdem *Schuchii* judice, & ipsius asseclâ Clari-loci Abbate, suffraganeo Metensi; quorum uterque subitanea morte correptus interiit.

§. XX. Caeterum, quaenam fuerit A. 1524. facies Ecclesiae Evangelicae in Gallia, &, quodnam ejus fuerit incrementum, sigillatim ex hisce *Gulielmi* FARELLI ad *Cornelium* SCEPPERUM literis (a) die secundo Aprilis ejusdem anni datis colligitur.

„ *Gallia* nostra jam Christi verbum quam letissime excipit.
„ Primarie urbes, in quibus floret & fructum facit, sunt *Meldensis*, in qua communis preceptor, Gerardus ille Rufus,
„ magno & ardore & spiritu Christum detonat pene in dies.
„ Sequitur *Alenconensis* & *Biturica*, per Michaëlem Arandum, vestratem, qui pauca Fabro contulit, ut de Sanctorum
„ cultu abrogando, rursus in multis à Fabro commonefactus.
„ Huic contigit, cum Bituris verbum ante Nativitatem an-

 „ nun-

(a) Eas nobis ex *Spalatini* autographo communicavit Cl. KAPPIUS in Spicileg. ad Histor. Reform. P. II. pag. 603.

„ nunciasset, in quadragesima Antichristo locum denegari, lata „ in omnes, ut dicunt, qui illum audituri essent, excommuni- „ cationis sententia, ac interminata huic, si pergeret, etiam car- „ ceris perpetui pena. Verum populus, & quidem mirum & in- „ auditum clerus, illum postulavit & à Rege obtinuit, quod „ fuere assecuti, non sine magno Episcopi malo. Nam cùm ob- „ jurgatione regia, pars, ut vocant, temporalis illi ademta fuit. „ *Lugdunenses* duos habent declamatores, Christiane verbum trac- „ tantes, quorum alter Jacobita & Theologus Parisius &c. „

Est verò etiam eodem illo anno 1524. cum *Petro* CAROLI (a) res gesta in Collegio Sorbonico; Cum enim *Petrus Caroli* in Ecclesia S. Pauli Parisiis Ecclesiasten ageret, atque (qui *novus prædicandi modus* tum appellabatur) Epistolam *B. Pauli* ad Romanos, loco Sermonis cujusdam in cathedra ecclesiastica legere inciperet, curaretque afferri à viris æque ac à mulieribus, Paulinas Epistolas, in vulgarem linguam de novo ut dicebatur versas, nec non & ipse Biblia Latina nonnunquam afferret, ac salutationem ita dictam Angelicam à consueto modo recedens mutaret; Ea res, non potuit non, quantocyus ad Natalem Beddam Facultatis Syndicum & curiosum planè novitatum percunctatorem, & hæreticæ pravitatis persecutorem, referri; Is pro solicito in pristinas superstitiones studio, statim eam causam ad Facultatem denunciare, simul verò postulare, ut *Petrus* ille coram Facultate compareret atque de articulis adversus ipsum formandis responderet: Annuit huic postulationi Facultas, atque ad diem 8. mensis Augusti 1524. Petrum Caroli citavit, ut in Majori Sorbonici aula compareret: Neque autem tum in mora fuisse dicitur *Petrus Caroli*, qui se & sistebat alacriter & promtè ad interrogata respondebat, dum intereà responsiones ejus ad certos articulos redactæ scripto consignabantur. Ea de re, cum deinceps inter Sorbonistas consultum esset, altera vice ad d. 27. Augusti citabatur Caroli, qui tamen jam quid ageretur suspicans, antequam se disceptationi ulteriori immitteret, simulac comparuerat, provocare ab hoc Judicio, tanquam foro non competente,

(a) vid. ARGENTRE lib. cit. Tom. II. fol. 2. sq. itemque DU PIN. in Biblioth. nov. Script. Eccles. Tom. XIII. p. 217.

te, atque simul illum famosissimum Beddam in jus vocare & coram Officiali Parisiensi injuriarum accusare. Enimverò, cum post aliquot altercationes tandem, denuò mense Octobri, non solum coram delegatis ex Facultate sed & coram Commissariis à Curia submissis respondisset Caroli; factum est, ut Facultas ipsi inhibitorium insinuaret, „ ne ulterius (ita se habebant verba) „ prædicaret præsertim in Diœcesi Parisiensi, in qua nullum ipsi „ esset animarum regimen, quod videretur solùm a factione „ Lutheranorum conductus esse: „ Neque tamen is huic mandato parere, quin potius in concionando persistere, usquedum post iteratas Beddæ atque Facultatis Parisinæ instantias, d. 24. Januarii anni sequentis, ab ipsò Officiali Parisiensi denuò, sub excommunicationis pœna eædem illæ conciones ipsi prohiberentur, isque iterum provocaret à Facultate; atque, cum Conciones ipsi essent prohibitæ, tamen publicas Lectiones discipulis suis haberet, quæ tamen & d. 13. Februarii ipsi interdicebantur. (a) Quando tandem, adversus ejus Propositiones in Collegio Sorbonico lata est sententia, ipseque earum auctor & assertor, condemnatus est ad publicam in locis ubi palam eas promulgaverat, abjurationem: Inter has propositiones, quas sua feriebant censura Sorbonistæ, cum etiam hæc reperiretur: Quod cum in Bibliis vulgatis, Genes. III. 15. legatur *Illa conteret caput tuum*, tamen in textu Hebraico reperiatur: *Ipsum* scil. *semen*, id est, *Christus conteret* &c. quodque ea assertio (b) non esset sola ipsius Caroli, sed etiam aliorum Virorum doctorum Hebraicam callentium &c. Tum illa (mirabile dictu) in eam lata est faceta dicam an infaceta censura: „ Cum hæc propositio Honori B. Virginis derogare „ videatur, & à communi usu Ecclesiæ Dei dissentiat, temera-

G 3 „ rie

(a) Memorabile est, quod cum ei hoc insinuaretur interdictum, ipsi tamen concederetur una adhuc lectio valedictoria, ad quam habendam is hanc affigi curabat Tabulam invitatoriam:

„ Pierre Caroli voulant obeir aux ordres de la Faculté, cesse de faire „ ses leçons, pour le recommencer quand il plaira à Dieu, à ces paro- „ les, ou il a fini: FODERUNT MANUS MEAS ET PEDES „ MEOS. v. Du PIN Biblioth. nov. Scriptor. Ecclesiast. Tom. XIII. „ p. 218. „

(b) v. ARGENTRE l. c. p. 27 b. sub fin. conf. Du PIN l. c.

„ rie & schismaticè populo prædicata est: certum est enim, rec„ tè legi ab Ecclesia, *Ipsa conteret caput tuum.* „ Porrò, cum in concionibus suis claré & perspicue distingui debere asseruisset, inter *fidem historicam*, quæ equidem vera agnoscit ac reputat omnia, quæ in verbo Dei referuntur, & inter *fidem*, quæ simul promissa Evangelii apprehendit omnia, atque iis confidit & innititur; Atque, cum de posteriori illa asseruisset, eam esse justificam atque vivificam, priorem verò non sufficere: Tum Sorbonistæ, præfatam distinctionem *fidei* in *historicam* & *fidem cum* (a) *confidentia*, dicunt esse insolitam apud Doctores Catholicos, & à Lutheri & Melanchthonis perfidia desumtam. Quin imò, cum in concionibus suis quoque astruxisset, *quod non posset depingi Trinitas*, atque hæc subdidisset verba: *Memini me legisse in S. Augustino, quod depingere Trinitatem nefas sit atque impium*, simulque addidisset, *quod aliquando in Ecclesia prohibitum fuisset depingere Trinitatem:* Tum in hanc ejus assertionem Sorbonistæ pro judicii sui plenitudine istam tulerunt censuram. „ Hæc propositio „ quantum ad hoc, quod non potest depingi Trinitas, in quan„ tum intendit reprobare imaginem beatissimæ Trinitatis, falsa „ est, schismatica, & probato Ecclesiæ ritui contumeliosa, & „ præfati hæretici Wiclef error, nec unquam de mente Augu„ stini fuit, vel Ecclesiæ, hujusmodi imaginem damnare, licet „ ad sacrilegum Anthropomorphitarum eliminandum errorem, „ potuerit ad tempus intermitti aut suspendi. „

At verò, quænam hujus Fabulæ fuerit catastrophe, relatum nobis non est, nisi quod idem ille *Petrus Caroli* (b) sequentibus temporibus Ecclesiam Reformatam magis turbasse quam ædificasse referatur, qua de re *Johannis Calvini* extat ad Grynæum Epistola (c), itemque *Gulielmi Farelli* ad Calvinum (d); Certè in Ecclesia Genevensi, Novocomensi & Lausannensi, varias per ipsum turbas suscitatas fuisse A. 1537. constat, quippe qui &

(a) ARGENTRE l. c. p. 28. b. Du PIN loc. cit.
(b) ARGENTRE l. c. p. 30. b.
(c) vid. Epist. Calvini p. m. 227. & 228.
(d) vid. Ep. Calvini p. m. 34. sq.

& apertè Farellum, Calvinum, & Viretum (a), at quantos viros, quasi de sacra Triade minus rectè sentirent, criminatus est; Qua de re cum A. 1537. Synodus haberetur Bernæ valde frequens & in ea damnatus esset calumniæ, accusator is postea defecisse dicitur atque ad Romanas sordes rediisse, quam tamen nunc non agimus causam.

§. XXI. Fuisse hac tempestate apud Basileenses quendam *Anemundum* COCTUM, equitem Gallum, sed qui Evangelio favebat, virum ut genere doctrinaque clarum (b), ita pietate humanitateque longè clariorem docemur; Is è Gallia (c) ob religionem profugus, *Lamberto Avenionensi* amicissimus, commentariis ejus in Minoritarum Regulam, Epistolam (d) præmisit; Neque verò de eodem hoc Anemundo quicquam annotatum reperimus, nisi quod Georg. Spalatinus in diario suo ad Annum 1523. annotat: Hujus anni vigilia (Pentecostes scil.) Lochaviam (quæ arx est & oppidulum prope Witebergam) Principem (Fridericum Electorem) visitatum venisse tres Gallos pios & eruditos, *Anemundum Coctum à Castellare Equitem, olim militem Rhodium, virum mire festivum & doctum & eloquentem, Spalatino egregiè à Doctore Martino Luthero commendatum, Franciscum Lambertum, alioquin Serranum, Avenionensem, Delphinates & Claudium à Tauro.* (e) Et, quod *Huldr.* ZWINGLIUS in Epistola ad *Petrum Sebevillam.* (f) Ecclesiasten Gratianopolitanum in Delphinatu, ita de eodem: „ factum est (scribit) ut ignotus ignotum, quod „ itidem ego nunc facio, bene precatus sis, atque id literis ad „ Annemundum Coctum missis, Virum ut genere doctrinaque „ clarum, ita pietate humanitateque longè clariorem. Qui ut „ nihil antiquius amicitia pietateque inter humana ducit, sic vicissim

(a) BEZA in Vita Calvini p. 368. conf. ANCILLON in Vita Farelli p. 172. sq.

(b) Ita HOTTINGERUS H. E. Sec. XVI. P. II. p. 584. eum describit ex mente Zwinglii. v. Epist. Zwingl.

(c) Conf. §. IV. pag. 12.

(d) vid. van der HARDT Autographa Lutheri T. II. p. 131. & T. III. p. 101. 133. & Oecolamp. fol. 191. b.

(e) v. SCHELHORN. Amœnit. Literar. T. IV. p. 333.

(f) v. Zwingl. & Oecolamp. Epistol. Lib. IV. fol. 191. b.

„ ciſſim ſuopte quodam jure (nam tanti viri imperio lubentes „ volentésque ceſſimus) compulit incultas illas ad te dare literas, „ quibus futurum ſperat, ut amicitia ſecundis avibus cœpta, „ eodem auſpicio in diem magis ac magis creſcat, ſed in eum „ modo uſum, ut pura illa veraque Chriſti religio amplie„ tur: „

Cæterum, ad Annum 1524. illud ante omnia commemorari meretur, quod habet Natalis BEDDA in ſua adverſus clandeſtinos Lutheranos Apologia. (a) „ Quibus conſentaneè agens ſuperiori „ æſtate Rex noſter Chriſtianiſſimus Franciſcus, cum ſub tene„ bris perditi quidam Lutherani, ſanctæ Dei genitricis execrabili „ blasphemia imaginem quandam Pariſii detruncaſſent, ſummam „ dedit operam, ut tam impii facinoris comperirentur auctores, „ ingentibus etiam donis promiſſis, revelantibus, & conſciis, ſi „ præcipuos accuſarent criminoſos, plena impunitate oblata: Ip„ ſe autem cum frequentiſſimo & perquam magnifico ducum, „ principum & primæ nobilitatis virorum, magiſtratuum quoque „ ac populi comitatu, maxima cum veneratione ſcandalum repa„ rare voluit, adeò ut manibus propriis incredibili pietate pro „ lapidea aut lignea imagine, aliam argenteam in priſtinæ locum „ obtulerit ac repoſuerit, perpetuò ibi permanſuram, quod qui„ dem religioſiſſimum & Chriſtianiſſimo Rege dignum Opus, „ Lutheranis non pauca ademit cornua, & præſertim quoniam „ apud Rothomagum urbem, de quodam Lutherano, qui diebus „ illis etiam ſanctorum imaginibus & pietati detraxerat, juſſit „ ſupplicia extrema & ſeveriſſima deſumi. „

§. XXII. Erat annus ſequens ejus ſeculi *viceſimus quintus*, quo Franciſcus Galliarum Rex, cum in prælio Ticinenſi d. 24. Februarii inferiores facti eſſent Galli, capiebatur à Carolo V. Imp. & in Hiſpaniam abducebatur, unde ſe tandem poſt tredecim cuſtodiæ menſes redimere debuit. Ea Regis abſentia, magis etiam inflammabat Sorboniſtas, ut poſthabito perſonarum reſpectu, in Viros graves & eximios, modò innovationis cujusdam in doctrina vel moribus eſſent ſuſpecti, calamum ſtringerent cenſorium

(a) Quæ edita eſt A. 1525. vid. *Argentré* l. c. Tom. III. P. II. fol. 11. b.

sorium, eosque coram suo tribunali hæreseos incusarent, favente cumprimis in hac causa Sorbonistis, Antonio du PRAT (a), Cancellario Regni Gallici, viro magnæ auctoritatis, sed qui purioris religionis Confessoribus semet infestum præbebat;

Accedebat, quod Francisci Mater Aloysia, summam rerum interea administraret, quæ retinendi Pontificis causa (b), cum aliis de rebus, tum, quo esset erga Romanam ecclesiam animo, quaque observantia, literis & internunciis illi significabat. Clemens igitur septimus, datis literis ad senatum Parisiensem (vulgò parlamentum vocant) „ex illa se cognovisse dicit, quemadmodum & „ per Galliam serpere jam incipiant impiarum hæresium mala, „ & ipsi prudenter atque providè quosdam delegerint, qui dent „ operam, ut in eos, qui fidem ac veterem religionem oppugnare conantur, animadversio fiat: hos ipsos ad eam rem de„ lectos, authoritate sua se comprobare etiam: in hoc nimirum „ tanto tamque gravi tumultu, quem Sathanæ malitia & satelli„ tum illius furor ac impietas excitarit, omnibus elaborandum „ esse, ut salús omnium communis conservetur, quandoquidem „ hæc rabies non religionem modò, sed omnem principatum, „ nobilitatem, leges, ordinesque confundere ac permiscere co„ gitet: se quidem nulli parcere nec labori neque curæ, ut me„ dicinam huic malo faciat: ipsos etiam, quorum virtus atque „ prudentia sit ubique memorabilis, debere in hoc esse totos,

(a) Conf. §. 5. fol. 7. Est verò is idem ille Cancellarius à Prato de quo RICHERIUS in Historia Concilior. General. Lib. IV. P. II. p. 55. sq. refert; quod ejus hortatu & consilio Bononiensia pacta sint cauponata, &, quod is hoc turpi atque infelici mercimonio viam sibi ad Cardinalatum perpetuamque legationem in Galliis straverit; Sed, quod is nunquam dehinc gratus fuerit Regi Francisco: Veluti in eum per omnes vicos & plateas urbis affixum esse aliquando sequens epigramma, tradit GENEBRARDUS in Chronologia:

Prata, Leo, Mulier, frendens Leo rodit utrumque.
Prata, Leo, Mulier, sulphuris antra petant
Prata, Leo, consorte carent, Mulierque marito,
Connubio hos jungas, cerberus alter erunt.

Per *Leonem* Pontifex, per *Mulierem* Regis Mater, per *Pratam*, Cancellarius ille, de quo agimus, indigitabatur.

(b) SLEIDAN. Histor. Lib. V. p. 83. a.

„ ut non solum veritas & recta fides, verum etiam istius regni „ salus, & ipsorum ordinis dignitas, à domesticis periculis & ca„ lamitatibus custodiatur, quas hæc perniciosa & pestifera hæ„ resis ubique disseminet: ipsos quidem hortatione non indige„ re, qui suæ sapientiæ documenta jam ostenderint, sed tamen „ pro suo, quod obtineat, munere, proque ea, qua complecta„ tur ipsos, benevolentia, voluisse hoc etiam addere: nam & „ placere sibi vehementer quæ adhuc egerint, & hortari, ut in „ posterum, simili animo atque virtute, pro gloria Dei & pro „ totius regni salute, contra impiam hanc hæreticorum pestem, „ diligenter excubent: hoc & Deo fore longè gratissimum, & „ apud homines etiam maximis laudibus celebratum iri: se quo„ que suam ipsis operam omnem in eo communicaturum esse. „ Hæ literæ, xx. die Maji Roma scriptæ, senatui redditæ sunt Luteciæ, xvii. die Junii.

Sed &, Rex Angliæ HENRICUS VIII. tum cum Aloysia fœdus pepigisse refertur (a), cujus hoc primum erat caput, „ ut „ & Turcarum impetus, & pestifera secta Lutherana profliga„ retur, à qua non minus periculi sit quam à Turcis. „

Ad hunc annum refertur illud quod Parisienses in *Ludovici Berquini* & *Desiderii Erasmi*, aliorumque libros à *Lud. Berquino* (b) in vernaculam conversos, tulerunt Judicium satis violentum, asserendo, eos esse errorum & scandalorum fermento plenos, atque complecti seminaria & incentiva fœditatum & vitiorum (c): Itemque illud, quod d. 6. Novembris tulerunt in Librum (d), cui titulus: *Epistolæ & Evangelia ad usum Diœcesis Meldensis*; Quem librum totum saluberrimis planè & utilissimis monitis refertum, comburendum judicarunt cum omnibus similibus, & qui illum composuerunt, aut legi seu prædicari populo fecerunt, publice ad scandali reparationem, eundem execrari debere & condemnare, sciverunt; Uti inter alia, cum Liber ille incul-

(a) SLEIDAN. l. c. conf. POPELINIERE Hist. de France L. I. p. 28. b.
(b) ARGENTRE l. c. fol. 40. & 43. sq.
(c) ARGENTRE l. c. fol. 46. b.
(d) ARGENTRE l. c. fol. 35. sq. & DuPIN Biblioth. Nov. T. XIII. p. 219.

culcasset, quam nihil extra Scripturam Sacram pro doctrina fidei populo Christiano esset instillandum, id falsum esse pronunciant & schismaticum, & Ecclesiæ, sanctis doctoribus & Verbi Dei prædicatoribus, injurium & sapiens hæresin, quin imò, in Spiritum Sanctum, qui semper Ecclesiam regit, blasphemum.

Quid? quod, tum quoque iidem illi Sorbonici, denuò *Jacobum Fabrum* Stapulensem, senescentem, & libros sacros (a), ut hominem Theologici ordinis insignibus cohonestatum decebat, liberiore censura castigantem, depravatæ religionis reum, identidem postularent, non dubia demum spe victoriæ, cum Rege capto & abducto, cujus auctoritas & perpetuus in literatos amor, non semel eum ante protexerat, opportunam opprimendi hominis occasionem sibi offerri judicarent; nisi denuò Princeps, intercedente *Margarita Navarrena*, coecas istorum artes & consilia elusisset, datis ad Senatum literis (b), quibus causæ totius cognitionem ad se transferebat;

Verum etiam deinceps, cum in libertatem suumque Regnum restitueretur Franciscus, ea inter Cæsarem & ipsum d. 14. Januarii 1526. singulari scripto sunt transacta, „ut & Christianæ religionis hostes & sectæ Lutheranæ (c) extirpentur hæreses .... „utque legatis eum in finem mittendis plena indulgeatur potestas „quæ videbuntur esse commoda, tum suscipiendo bello Turcico, „tum profligandis hæreticis hostibus Ecclesiæ.„ Vixdum vero etiam restitutus erat, quin novam comminiscerentur rationem veritatis hostes, ad persequendum Evangelii confessores, per calumniam scilicet, omnem afflictionum, quæ Regem presserant, rationem & culpam rejicientes, in eos, qui à veritate catholica divortium fecerant, eoque divortio Dei singularem provocaverant iram (d)

 tan-

(a) Sunt verba SAMMARTHANI in Elogiis Gallor. p. 3.

(b) Summam illarum literarum SLEIDANUS exhibet Lib. V. extremo p. 83. b.

(c) SLEIDAN. Histor. L. VI. p. 86. a. conf. POPELINIERE l. c.

(d) vid. BEZE Histoir Eccles. T. I. p. 7. Fuerunt tamen etiam, qui omnia alia proferrent, quo *Gul. Postelli* spectant in ejus Apologia ultima verba à v. Cl. Magno CRUSIO allegata ex MSt. Bibliothecæ Regiæ Parisiensis: *Et quia ut debebat, solus Rex Franciscus nomine illo Primus* non

tantò ferventiorem, quantò Rex antehac ergo eos fuerant lenior, nec satis rigidam uti ipsis videbatur in eos exercuerat censuram, ut asperioribus jam consiliis videretur opus ad sopiendam Numinis iram, & ad extinguendam hanc malorum, uti calumniabantur, lernam.

Quidquid sit, Natalis Bedda, fax & tuba persecutionum, hoc anno 1525. Apologiam edere, adversus clandestinos (uti libri titulus habebat) Lutheranos (a), in qua ante omnia, eundem illum *Fabrum Stapulensem*, sed & *Erasmum Roterodamum* gravissima invectiva invadere non dubitat, atque ea prætereà nobis subministrat documenta, quibus comprobatur, quod nihil magis promoverit doctrinam Reformationis in Gallia, quam ejusmodi inconditi clamores, & miserrimæ causæ planè desperatæ defensiones ac Apologiæ; quum è contra, *Jacobi Fabri* & *Desiderii Erasmi* scripta mirum in modum rem Evangelii promoverent ac suffulcirent:

Interea tamen Rex, istis clamoribus & incitamentis Cancellarii Pratensis irritatus, abinde, quò tantò rigorosius adversus hæreticos instituerent processus, curare, atque inprimis mandare, ut causæ circà hæreticos vel convincendos vel puniendos cognitionem haberent in prima quoque instantia (b) Judices atque Magistratus seculares, quod cum hæresi (uti ajebat Pratensis) blasphemia esset conjuncta; Tum verò indies magis magisque, ipsa quoque Tribunalia Regia atque inprimis Senatus Parisiensis, Natalis Beddæ & Gulielmi de Quercu sollicitationibus, inflammari cœperunt in Evangelicæ veritatis asseclas, atque multam cum asperitatem tum acerbitatem in purioris religionis confessores exercuerunt.

Cer-

non fecit, sicut à Gallicanæ Ecclesiæ Concilio Turonis facto statutum erat, sed loco castigationis Pseudo cruciatam & Concordatum, duo maxima in mundum, maxime in Germaniam & Galliam induxit (mala) *captivus in Hispaniam ductus in summas demum calamitates conjecit orbem*, CRUS. Diss. Epistol. p. 52.

(a) Eam suæ de novis erroribus Collectioni Judiciorum inseruit Doctiss. Do. d. ARGENTRE Tom. III. P. 2. fol. 2. & sqq.

(b) BEZE l. c. p. 9.

Certè, eodem hoc anno 1526. Erasmi Colloquia (a) familiaria unanimi consensu damnavit Facultas Parisiensis, quæ & anno proximo 1527. (b) die 17. Decembris aliam in alios Erasmi libros edidit censuram.

§. XXIII. Antonius autem Pratensis Cancellarius, infensissimus Reformationis hostis, nihil reliqui faciebat, quò & Regi suo & Senatui supremo adversus Lutheranos odium instillaret atque asperitatem, suoque in persequendis & retundendis Evangelicæ Veritatis asseclis litaret genio; Quum igitur Cardinalis esset & Archiepiscopus Senonensis, commodam sibi videbatur nactus occasionem Evangelii cursum remorandi? Erat enim in Concilio Constantiensi ante omnia Episcopis injunctum, ut Metropolitani subinde provincialia Concilia convocarent, ad medendum abusibus, qui vel in doctrina vel in disciplina atque moribus irrepserant, utque sollicite cum suis providerent, ne quid Ecclesia detrimenti caperet; Huic igitur decreto ut satisfaceret, is, juxta veterem supputationem A. 1527. juxta nostram, A. 1528. indicere atque celebrare *Concilium*, dictum *Senonense* (c), quod Archiepiscopus esset Senonensis, licet etiam feratur eum per omnem vitam ne quidem Ecclesiam Senonensem oculis unquam usurpasse, sed verè *Parisiense*, à loco ubi celebrabatur; In hoc ex tota provincia Senonensi Episcopi, (nisi quod Aurelianensis saltem Chor-episcopum (d) *Petrum de Stella* eò misisse referatur congregati à d. 3. Febr. usque ad d. 9. Oc-

(a) v. LAUNOJ. de Scholis celebriorib. Opp. T. IV. P. I. fol. 126. conf. Du PIN Biblioth. nov. Script. Eccl. T. XIII. p. 220.

(b) LAUNOJ. l. c. fol. 127.

(c) vid. HARDUIN. Acta Concilior. Tom. IX. pag. 1925. & sqq. ubi & hujus Concilii Acta ex editione P. CRABBE leguntur, cum hac inscriptione: *Concilium Senonense, Parisiense potius à Loco dicendum, contra Lutheranorum hæreses, & pro Reformatione ecclesiæ celebratum Lutetiæ Parisiorum, sub reverendissimo Domino, Antonio à Prato, tituli sanctæ Anastasiæ Presbytero cardinali, Senonensi Archiepiscopo, Galliarum ac Germaniæ Primate, nec non Albigensi Episcopo, Franciæ Cancellario, inchoatum anno Domini 1527. & consummatum anno sequenti, tempore Clementis Papæ VII.*

(d) *François le Maire* histoire de l'Eglise & diocese d'Orleans fol. 231. edit. Aurel. 1648. fol. conf. Acta Concilior. Hard. l. c. p. 1951.

tobris, Lutheranam quam dicebant hæresin confixerunt, sedecim Decretis de fide (a) editis. Primum erat *de unitate & infallibilitate Ecclesiæ.* 2. *Quod Ecclesia non sit invisibilis.* 3 *De auctoritate sacrorum conciliorum.* 4. *Quod ad Ecclesiam spectet determinare qui libri sint Canonici.* 5. *Aliqua esse firmiter credenda*, definit, *quæ non continentur expresse in Scriptura S.* 6. *De Constitutionibus humanis.* 7. *De Jejuniis Ecclesiasticis.* 8. *De Cœlibatu Sacerdotum.* 9. *De Votis & præsertim Monasticis.* 10. *De septem Ecclesiæ Sacramentis.* 11. *De Sacrificio Missæ.* 12. *De Satisfactione, Purgatorio & commemoratione defunctorum.* 13. *De Veneratione Sanctorum.* 14. *De Veneratione Sacrarum Imaginum.* 15. *De Libero arbitrio.* 16. *De Fide & Operibus.*

Porrò, *hæreticos & pertinaces & à communione fidelium separatos* declarant, *universos, qui aliter, quam Romana* (b) *credit & prædicat ecclesia, credere & pertinaciter asserere attentant.*

Deinceps, contendunt, quod *Ecclesia etsi diversa & nonnunquam pugnantia* (quod sæpius neoterici hæretici objiciant) proposuerit decreta, nihil tamen sit in tanta decretorum multitudine, quod fidei orthodoxæ adversetur; Sed, quod ab uno eodemque Spiritu edocta fuerit, ut ita pro conditione temporum (c) statueret, ut visum fuerit conducibilius.

Lectione librorum Lutheri & Lutheranorum sub pœna excommunicationis omnibus interdicunt. Et, ne cum Lutheranis ullam rem haberent Galli, aut ullam colerent familiaritatem, præcipiunt. Lutherum priscis hæreticis & cumprimis Manichæis comparant, institutis inter (d) Manichæos & eum comparationibus, propter negatam arbitrii humani libertatem, operum bonorum à salute exclusionem, & assertam justificationis ex sola fide doctrinam:

Sed

(a) NATAL. ALEX. ad Sec. XVI. pag. 122. 123. item Du PIN Biblioth. nov. Script. Eccl. T. XIII. p. 189——194.

(b) Acta Concilior. apud HARDUIN. p. 1932.

(c) Hæc fermè conveniunt cum *Nicolai Cusani* effato: *Explicandam Scripturam esse juxta currentem Ecclesiæ ritum, qua sententiam mutante, Dei etiam judicium mutetur*; Quod in Introd. ad Hist. Ref. §. XVII. p. 32. exagitavimus.

(d) vid. HARDUIN. loc. cit. p. 1927. 1928.

Sed & cum *Luthero Melanchthonem*, *Carlstadium*, *Lambertum*, *Zwinglium*, *Oecolampadium*, quos omnes appellabant conjurationis exsecrandæ consortes (a) licet etiam ceteroquin in quibusdam capitibus à se invicem diffiderent, condemnabant, seque ideò eos ex nomine citare dicebant, ne pestiferos illorum libros quis legere auderet, ne vipereis dogmatibus inficiatur.

„ Circa hæreticos ita definiunt: Damnati de hæresi (b), „ si ad unitatem fidei catholicæ redire noluerint, maneant de „ foro ecclesiæ, & ad agendam perpetuam pœnitentiam in „ pane doloris & aqua tristitiæ, perpetuo carceri deputen- „ tur. Damnati de hæresi, si eam abjurare noluerint, si lai- „ ci sunt, statim sunt judicio sæculari relinquendi. Si Clerici, „ præsente potestate sæculari, sunt à suis ordinibus degradandi, „ & pronunciandum est, ut eos sæcularis judex in suum forum „ recipiat. „ Inprimis verò etiam in eo Concilio ad Reges Christianos & præcipuè ad Regem Christianissimum, convertitur Oratio, „ ut à suis terris & dominiis universis hæreticos con- „ festim repellant, exterminentque hanc tetram & diram luem „ hæreticorum, quæ indies magis ac magis pullulet, . . cum „ alioqui periculum sit, ne *Petri Navicula* (c) operiatur fluc- „ tibus ac demergatur in profundum; cum nunquam sic undis „ jactata sit ecclesiæ navis, sic ventis validis (id est, vanis doc- „ trinis) impulsa, sic undique procellis agitata. „ Ultimo loco, ne non Reformationi studuisse viderentur hi Senonenses, quadraginta circa emendandos mores (d) canones condiderunt, qui

(a) HARDUIN. Act. Concil. l. c. p. 1930.

(b) HARD. Act. l. c. p. 1932. 1933. ubi simul definitur quinam pro relapsis in hæresin fuerint habendi.

(c) Act. Concil. l. c. p. 1934. & p. 1949.

(d) Breviter hujus Concilii summam MEZERÆUS Compend. To. IV. p. 561. Le Chancelier du Prat, depuis peu Cardinal & Archeveque de Sens, assembla un Concile Provincial de ses sept suffragants dans le Couvent des Augustins de Paris, ou il fit plusieurs beaux Decrets pour arrester, le cours de ces opinions, *& pour reformer le Clergé, dont la dissolution avoit donné lieu à ces scandales.*

qui tamen ut plurimum circá externas ecclesiæ cerimonias versantur, atque circà το ἔξωθεν τȣ ποτηρίȣ και της παροψίδος purificandum, dum interea το ἔσωθεν replebatur ἐξ ἁρπαγης και ἀκρασιας (a).

Sed &, iisdem diebus d. 21. Martii A. 1528. *Franciscus Turnonius* Archiepiscopus Bituricensis, Aquitaniæ Primas, Provinciale Concilium (b) indicere atque celebrare judicavit opportunum adversus dogma Lutheri (uti habet titulus (c),) ejusque sequacium, ad reformationem morum, nec non pro decimarum solutione &c. In eo cumprimis fuit decretum factum, „ quod „ damnatum dogma Lutheri & sequacium à sacrosancta sede A- „ postolica jampridem reprobatum, in publicis concionibus lo- „ cis & temporibus opportunis, prout expediens Ordinariis lo- „ corum videbitur, generaliter tantum sit reprobandum, non „ declaratis sigillatim erroribus, nisi locus aliquis fuerit ad quem „ pervenerint damnati aliqui errores; „ Porrò Decr. II. Curatis & parochiarum rectoribus injungitur, ut si quos Lutheranos in sua parochia invenerint, eos revelent Episcopo aut ejus vicario, sub incursu pœnæ arbitrariæ per Ordinarios decernendæ; Deinceps Decr. III. prohibentur Libri Lutherana hæresi & sequacium infecti: itemque Decr. IV. libri etiam divini à Latino sermone in linguam vernaculam pridem & ab annis octo versi, ne scil. vendantur vel emantur, nisi fuerint ab Ordinariis locorum recogniti. Injungitur quoque Decr. XVIII. litterarii studii magistris, ne suis auditoribus legant auctores revocantes à divino cultu, ecclesiæ cærimoniis, & religionibus sive institutis ab ipsa ecclesia approbatis, sed potius ut legantur scriptores ad animi cultum & linguæ splendorem conducentes.

§. XXIV. Fuit autem ex iis, qui tum pro pura Evangelii doctrina Meldis mortem animo magno pertulerunt, quidam *Dionysius*

(a) Math. XXIII. 25.
(b) NATALIS ALEX. ad Sec. XVI. p. 122.
(c) Apud HARD. in Act. Concil. l. c. p. 1919. ubi ejus decreta leguntur, quæ Ph. LABBEUS descripserat ex veteribus chartis pæne situ obsitis; Conf. Du PIN in Biblioth. nov. Scriptor. Eccles. Tom. XIII. pag. 186. sq.

nysius de Rieux, quod palam asseruisset (a) *Missam esse certissimam Passionis & mortis domini Jesu Christi abnegationem:* Is enim A. 1528. die tertio Julii condemnatus fuit, ut vivus combureretur. Intereà verò dum ad supplicium crate traheretur, continuò locutus, ac populum cohortatus fuit, ut ad suscipiendam veram vitæ salutisque doctrinam converteretur. Ad supplicii tandem locum pertractus, lento igne, magnoque cum tormento ac dolore fuit combustus, quod insigni tamen constantia Deum ad ultimum usque spiritum vitæ invocans ille pertulisse dicitur.

Floruit ea tempestate Parisiis *Maturinus* CORDERIUS, gente *Normannus*, vir literatus, atque scholarum Præfectus prorsus eximius variisque scriptis scholasticis inclytus, quibus non ad doctrinæ solum, sed & ad morum emendationem suos instigabat discipulos; Uti sic ejus ad pueros adolescentésque studiis literarum dicatos (b) extat obtestatio. „ Obsecro vos benevolentissimi pueri, vosque ingenui adolescentes, per Jesum Christum, „ communem nostrum omnium Præceptorem simul ac Servatorem; Primum, ut bonis moribus, deinde bonis literis detis „ operam, utrumque ad Deum optimum maximum referentes, „ ut in ejus ædificium vivi lapides paulatim possitis assurgere. „ Nemo prohibetur Christianam pietatem cum studiorum ele„ gantia conjungere, si modo ille faveat, citrà cujus favorem „ nihil fit unquam boni. Valete, & bonarum literarum mo„ rumque præceptores amate perpetuò. „ Hunc præceptorem in Collegio primum Marchiano deinceps Navarreno habuit *Joh.* CALVINUS (c) qui literis tum humanioribus operam navabat; Idem ille cum annus supra millesimum quingentesimum vicesimus octavus ageretur, in Theologicum Navarræ sodalitium admissus est, atque jam tum purioris religionis gustum habuit; quanquam etiam relicto studio Theologico se literarum studiis totum

(a) BEZE l. c. p. 7. conf. *Martyrol. parv. Lat.* p. 219.
(b) In præfat. ad Commentar. puerorum de quotidiano sermone &c. citante *Johanne* LAUNOJO in Historia Gymnasii Navarreni Cap. XLIX. Operum T. IV. P. I. p. 624.
(c) vid. BEZA in Vita Calvini l. c. fol. 366.

veluti daret; Unde deinde relicta Lutetia Noviodunum Æduorum ad Ligerim concessit, ubi anno 1534. 1535. & 1536. Grammatices Professorem egit; Tandem verò, cum totus in Reformatam à *Calvino* doctrinam secederet (a), Lausannam (b) primo & deinceps Genevam se recepit, ubi Scholæ Rector constitutus in antiqua humaniorum artium professione vitam perduxit & anno ætatis 85. eodem anno, quo *Calvinus* (c) scil. 1564. ad immortalem vitam transivit.

Erat tum *Stephanus* quidam MACHOPOLIS ex mendicantium ordine, qui luce veritatis tactus Saxoniam ad videndum & audiendum Lutherum se receperat; Is in Galliam redux, Nonnaji in agro Vivariensi, in Septimania (Languedoc) veritatem quam hauserat libere publicè privatimque profitebatur, seque superstitioni quæ plurimorum animos obsederat acriter opponebat: Erat verò ibidem famosissima quædam cistula, quam divina virtute pollere credebant, quæque miram sanctarum reliquiarum portionem innumeris ut credebatur miraculis conspicuam asservabat; Hanc cistulam ex alto suspensam (d) prono vultu atque animo simplex de longinquo aspiciebat ac venerabatur populus, neque tamen ulli ut eam introspiceret erat permissum, quod sacerdos quidam referretur aliquando eam improvidè inspexisse, sed qui è vestigio omni fuisset orbatus oculorum usu. Demittebatur equidem ea in festo Ascensionis, sed magna cum pompa, quando supra quam dici potest, populi esset concursus & solennis processus, in quo his diebus evenerat, ut cum processus castellum prætervehereet, quotquot

(a) LAUNOJ. l. c. fol. 624. qui inter alia ita: *Tunc quæ exortæ sunt de religione & de emendanda Ecclesia controversiæ, virum reipsa pium & tenerioris conscientiæ interturbarunt. Johanni Calvino, quem ad humaniores literas informarat in collegio Marchiæ, nimium credulus fuit. A discipulo Magister recti specie deceptus, Genevam se recepit.*

(b) Certè *Calvinus*, cum Lausannensis scholæ moderatorem ageret Corderius, ei commentarium in Ep. I. ad Thessalonicenses in grati animi testimonium dedicavit.

(c) BEZA in vita *Calvini* fol. 366.

(d) BEZE Hist. Eccles. I. p. 8. 9.

quot captivitate detenti erant, liberi emitterentur, exceptis solis iis quos Lutheranos appellabant: Adversus hanc igitur superstitionem A. 1528. masculè Stephanus ille noster declamare, sed ita, ut simulac ab his squamis quidam sanarentur, is loco decedere debuerit: At vero, qui *Stephano* huic succedebat, ei non æquè feliciter ea res cedebat; *Stephanus* enim *Reinerius* (a), itidem ex mendicantium ordine, cum semet eidem illi opponeret superstitioni, atque etiam ultrà progrederetur, atque in hac causa perseveraret, haud ita multo post captivitati est datus, quin imo, sanguine doctrinam suam confirmare debuit, quando eum vivum comburendum, apud Viennenses (subjacet enim tractus ille Vivariensis Archiepiscopo Viennensi) igni tradiderunt; Post eum *Jonas* quidam, Scholæ Rector, vir magnæ cum eruditionis tum pietatis, ibidem eandem cum instillaret doctrinam, factum est ut carceri quidem mancipraretur, sed edita confessione prorsus eximia amicorum quorundam ope faucibus ipsorum eriperetur, qua re Archiepiscopus (b) vehementer offensus, circiter viginti quinque homines Viennam abduci jubebat, quorum alii languore ac timore perierunt, alii soluta ingenti mulcta, per singularem (uti jactabant hostes) gratiam liberi tandem dimissi sunt.

Inprimis autem hic nobis est commemorandus *Ludovicus* ille BERQUINUS (c), Vir Nobilis & in aula Francisci cujus erat consiliarius spectatæ auctoritatis; Is enim, quod jam monuimus, cum singulari ferretur studio in Evangelii doctrinam repurgatam, & omnem moveret lapidem eam ad plures proferendi, eo ipso Sorbonistarum & præcipuè Natalis Beddæ & Gulielmi à Quercu, & tertii cujusdam, odium incurrit, eosque tanquam totidem crabrones irritavit; Neque sanè prosperè id ipsi tandem successit; Semel enim atque iterum hæreseos accusatus, in eorum tribunal vocatus, atque de suis laboribus ac scriptis correptus,

(a) BEZE l. c. p. 9.
(b) BEZE l. c. & *Martyrol. magn. Gall.* fol. 96.
(c) ERASMI ad *Carolum Utenhovium* Epistolam de hoc Martyrio prorsus memorabilem inter Documenta huic volumini subjecta retulimus Num. IX. Conf. *Martyrol. magn. Gall.* fol. 96. 97. & *Actiones Martyrum* in 4. A. 1560. fol. 57——59.

tandem succumbere debuit, ferali affectus supplicio, in æternum eorum qui id ipsi procurarunt opprobrium.

Fuerant jam superioribus annis A. 1523. & 1525. ex ejus scriptis, quæ vel composuerat vel ab aliis composita in vernaculam transtulerat, articuli quidam excerpti & anathematis fulmine tacti; Ipse quoque, quod non unius anni certamine cum voce tum scriptis ipsam Facultatem sacratissimam, monachos & Beddaicos reos egerat impietatis, & arcana quædam in eorum scriptis deprehenderat, in carcerem ductus erat atque reus hæreseos periclitabatur: At Judices, ubi viderant causam esse nondum satis gravem, quippe cum primarius articulus esset, „ quod admo„ dum incongruè in concionibus *B. Maria* invocaretur pro Spiri„ tu S. eaque non satis apte vocaretur, *fons gratiæ spes* & *vita no„ stra* &c. „ cumprimis etiam, ubi perspexerant, Regem ipsum, quo minus ipsi ægre facere possent, intercedere, absolverant hominem; Et potuisset, se litium molestia liberare, modo consilium Erasmi fuisset secutus, qui ipsi, ut vel à Rege Legationem sibi expeteret, vel suopte motu peregrinationem in alias terras institueret, tum enim Theologos forte passuros esse, ut lis illa conquiesceret; At verò, cum *Berquinus* ad instar palmæ, adversus deprimentes extolleret animum & sibi potiorem ex his litibus polliceretur triumphum, tum factum est, ut tandem delatorum artibus debuerit succumbere. Hi enim operæ atque labori non parcebant, quò suam in *Berquinum*, qui Regis patrocinio fretus editis duodecim adversus *Beddam* propositionibus eum veluti in jus vocaverat, effunderent animi malitiam, eumque denuo in suas casses pertraherent, adeò ut A. 1529. equidem prius iterata vice in ejus libros vibrarent fulmen, statim verò etiam procurarent ut à duodecim Judicibus eam in rem delegatis ea res inquireretur, hique reciperent pronunciandi ejus sententiam auctoritatem, sicque eundem, cum instaret dies, iterum carceri manciparent: Et pronunciatum tum fuit, ut exustis libellis & abjuratis articulis, lingua illi ferro perfoderetur, mox perpetuo carceri dederetur. Is autem audita præter expectationem atroci sententia, Regem appellavit & Pontificem: Judices indigne ferentes appellandi verbum: Si non recipis, inquiunt, hanc sententiam, effi-

cie-

ciemus ne posthac quoquam appelles, & postridie (a) pronunciarunt, illum flammis tradendum: Is fuit exitus viri præclari & multis nominibus de puriori doctrina promeriti, cujus singulare Elogium conscripsit in Iconibus *Theodorus* BEZA, quod ut hic legatur operæ judicavimus pretium;

„ In *Ludovico Berquino Atrebate*, quem vere possumus εὐγενῆ „ simul & ἔξοχον appellare, Gallia fortassis alterum esset Luthe„rum nacta, si qualem iste Saxonum Ducem, talem hic Fran„ciscum primum ejus nominis Galliarum Regem esset expertus. „ Nec enim ei vel doctrinæ, vel promovendæ veritatis studium „ defuit: adfuit autem animi tanta generositas, ut maxime om„nium tunc metuendos crabrones in ipsis eorum cavis, Beddam „ videlicet, & a Quercu (de quibus scripserat procul illos con„figens Erasmus, Lutetiæ Betam sapere, & Quercum concio„nari:) Matæologorum ejus seculi principes, in ipso eorum „ sterquilino sit ausus non modo utcunque lacessere, sed im„pietatis etiam accusatos non unius anni certamine tum voce „ tum scriptis strenue exercere. Sed tunc quidem, ut postea „ sæpe (Christo nimirum non nisi sub cruce in Galliis trium„phaturo) damnata in Berquino veritate, quum delecti judices „ exurenda ipsius scripta ipsomet cernente, & præterea perpetuis „ carceribus, excepta Regis venia, ipsum coërcendum pro„nuntiassent: At ego, inquit ille, mortem subire, quam veri„tatis damnationem vel tacitus approbare malim. Sequuta igi„tur ut in contumacem severiore sententia, strangulatus, ac „ deinceps crematus *Berquinus*, qua constantia scribere & loqui

 „ con-

(a) Illam contrà *Ludovicum Berquinum* sententiam A. 1529. à Curia Parisiensi latam ex authentico exemplari descripram se MSS. possidere affirmat V. Cl. *Magnus Crusius* in Dissert. Epist. ad Cl. *Wormium* pag. 55. Cæterum, cum idem ille Berquinus, æque *Erasmi* libros & *Carolostadii* theses & *Lamberti Avenionensis* scripta, atque etiam *Lutheri* Tractatus quosdam in Gallicum idioma transtulerit, suaque propria scripta iis addiderit, in quibus nihil quod magis pro Lutheri quam pro Zwinglii aut aliorum Reformatorum dogmate haberi queat, reperitur, facile apparet, quam inanis iterum sit Cl. LOESCHERI lib. cit. p. 60. eum pro Lutheri assecla & homine γνησίως Lutherano habentis & venditantis, conatus.

„ consueverat, eadem mortem perpessus, vere de adversariis, „ qui victores videbantur, judicum sententia veluti cœlitus re- „ scissa, triumphavit: frugibus nocte post interitum illius pro- „ xima (qui fuit undecimus dies Novembris anno Domini 1529.) „ in tota Gallia frigore perustis, & gravissima tum fame tum „ etiam peste consequuta. „

§. XXV. Erat idem hic annus, quo Cameraci (a), oppido Belgicæ, conveniebant Margarita Caroli Cæsaris amita & Francisci Regis mater Aloysia, multique alii proceres, ac in his Cardinalis Episcopus Leodiensis, Erardus Marchianus, & pacem Augusto mense faciebant, & illud ante triennium in Hispania factum de Lutheranis extirpandis decretum, ut supra docuimus, repetebant ac denuo confirmabant.

At verò sequenti anno 1530. gravior adhuc imminere videbatur doctrinæ purioris in Gallia asseclis tempestas, siquidem adversarii omnem navabant operam, ut causam & professionem Evangelii multis calumniis gravarent, & passim in summum odium adducerent: Certè *Petritius Fraccianus*, vel, quicunque sub eo nomine delitescit, eodem hoc anno ex Gallia ad Argentoratensium Tredecimviros dare literas (b), quas hi per Landgravium d. 2. Januarii 1531. Saxoni communicant, ejus argumenti: „ Evangelicos per ipsos Germanos quosdam in Gallia miris modis „ denigrari, & atrocissimis calumniis onerari, ut verendum quoque „ sit ne Rex alioqui Evangelio non infestus, ejusmodi rumoribus, „ cum quotidianæ accedant Prælatorum Gallicorum instigationes, „ eò se deduci patiatur, ut Cæsari adversus eos auxilia submittat: „ Et fuisse superiori mense Augusto Legatum quendam ipsius Cæ- „ saris ex nobilitate Burgundica (*Noircarmium* vocat) in aula Re- „ gia, qui palam, dixerit; Germanos id agere sub prætextu Re- „ ligionis, ut bona possideant ecclesiastica, magnamque eorum „ par-

(a) Conf. *Histor. Reform. Belg.* §. XXIII. p. 64. cf. SLEIDAN. p. 102. b.

(b) v. SECKENDORF. Histor. Lutheranismi L. III. Sect. I. §. I. pag. 3. itemque FRICKII Seckendorf. German. Lib. III. §. III. p. 1170. qui & refert has literas etiamnunc in Archivo Vinariensi Reg. H. fol. 15. lit. O. asservari. Conf. SALIG. Hist. Aug. Conf. T. II. p. 231.

„ partem jam inter se partitos esse, atque ne unquam ad restitutio-
„ nem cogi possent, eos demoliri ædificia sacra atque cœnobia:
„ Esse hanc ab omnibus ferè receptam doctrinam, quæque de pul-
„ pitis doceatur; Bona debere esse communia, æquale jus & Do-
„ minium competere omnibus, sustolli debere Principes &c. His
„ sermonibus commotum fuisse Regem, qui ne similia subditi sui
„ recipiant admodum vereatur. Porrò, dici, eos, quotiescunque
„ velint, dirimere conjugia, prætenso Spiritus S. quodam impulsu:
„ Illam quoque de Eucharistia controversiam odiose admodum de-
„ scribi, & invidiosissime exponi cum magno infirmorum in Gal-
„ lia scandalo. Atque referri innumeras esse Evangelicorum sec-
„ tas, unde quis facile conjicere possit, quam nihil sani ab iis sit
„ expectandum: Regem quoque per Conjugem suam non parum
„ exasperari, quæ magno quidem ducatur zelo, sed parum habeat
„ scientiæ, aliaque plurima; Sibi itaque videri magnoperè profu-
„ turum, si quam ad Regem Christianissimum legationem mittant
„ Principes, refutandis illis calumniis utilissimam.„

Et profectò vix satis mirari licet proterviam mentiendi, post editam Augustæ sub ejus anni principium Confessionem, si ista à Legato Cæsareo Regi significata sunt.

A Legatis igitur auctor demonstrari vult, obsequium à subditis Evangelicis longè exactius post reformationem quam antea præstari; minui lites forenses, aliasque discordias; exerceri charitatem & eleemosynas; & hanc esse, quam suadeant, bonorum communionem, ut alter alteri pro facultatibus suis ad levandam inopiam succurrat, absque ulla dominii aut proprietatis confusione, bona Ecclesiæ non rapi aut profanari, sed ad meliorem usum transferri. Quæ verò de adulteriorum licentia sive uxorum permutatione sparsa sint, falsissima & absurdissima commenta esse; nec veriora, quæ de sectarum multitudine jactarent. Fuisse ab initio disquisitiones, studio indagandæ veritatis enatas, quæ jam cessaverint, aut non ejus sint momenti, ut unitatem fidei lædant. De Sacramento, quod nimia superstitione Gallos venerari non tacet, caute loquendum esse monet, & agnoscendum quod magna illi insint mysteria, neque aliud agi quam ut Missarum abusus tollatur, & ceremoniæ ad formam Apostolicæ Ecclesiæ reducantur. Inter Legatos

tos, *Zwinglium*, *Oecolampadium*, *Lutherum*, *Carolstadium* mitti dissuadet, reliquorum neminem invisum futurum esse, arbitratur, præstare tamen, ut mittantur, qui Gallicæ linguæ periti sint, aut unum saltem, qui verba pro cæteris faciat. Commendat quendam *Simonem Tornacensem*, *Farelli* familiarem, & Argentoratensibus non ignotum. Suggerit, quæ loqui debeat, ad defensionem causæ Evangelicæ, & invidiam adversariis concitandam. Describit Regis ingenium, laudat humanitatem, sed & ambitionem notat, & quod flexilis sit, & facile sibi persuaderi patiatur, regiam potestatem se amissurum esse, nisi Lutheranismum inter suos supprimat. Dissimulari tamen id vult à Legatis, & Regem excusari, quod ignorantia rerum rigorem adversus veritatis professores exercuerit, rogandum etiam, ut cognita jam causa à sævitia illa cesset. Nominat inde quosdam Evangelicæ doctrinæ addictos, sed occultè, quorum notitia planè celanda sit. Narrat sororem Regis Reginam Navarræam jam veluti in custodia teneri, nec ullum in aula esse, qui veritatem commendare audeat. Magnum tamen aulæ Magistrum, quamvis non Christianum, id est, Evangelicum, moderate de Protestantibus sentire, Regique dicere solere, non obesse doctrinam Evangelii rationibus ejus. Cavere jubet, ne in literis Legatorum fiduciariis, mentio fiat religionis, sed ut tantum admissio petatur, difficile alias futurum esse, ut publice audiantur, si statim appareat de religione eos locuturos esse.

Ad Angliæ etiam Regem legatos expediendos esse putat, illum enim jam malè affectum esse Cæsari, ob divortium, quod cum Regina illius matertera, moliretur. Narrat, causam illam à Rege, Doctoribus Sorbonicis propositam fuisse, numero centum, ex his LIV. pro divortio respondisse, inter quos minimum duodecim fuerint Nicodemi, id est, in occulto Lutherani; XLVI. divortium improbasse. Multus est in suadenda Protestantium concordia & conjunctione, neque peccare eos putat, si de defensione cogitent, & irritatos adversum se Reges placare studeant. Conqueritur de Admiralii sævitia in Evangelicos, & orandum esse Deum monet, ut illius potentiam opprimat. Monet, ut cauti sint in literis ad Gallos scriben-

bendis. Farellum enim in carcere detineri, ob interceptam Argentoratensis concionatoris ad eum epistolam.

Profuit hæc relatio Protestantibus (a) in literis ad Regem concipiendis, quanquam de Legatione mittenda tunc nihil statuerint. Quæ verò idem ille auctor de discidio Protestantium monet, tanquam primario impedimento felicioris Evangelicæ doctrinæ successus, ea hoc eodem anno confirmabantur per *Martini Buceri* (b) Theologi Argentinensis Epistolam d. 25. Augusti datam ad *Martinum Lutherum*, ubi inter alia ita: „ Accepimus nuper „ literas à fratribus ex Galliis, qui scribunt admodum feliciter „ apud se Evangelium gliscere, sed ita cursui ejus obstare infe- „ lix hoc nostrum discidium, ut, nisi componatur, haud spe- „ rent unquam futurum, ut Galliæ Evangelium publicitus au- „ diant. At si contingeret illud sedari, bona eis spes est, brevi „ fore, ut Christus publicum apud ipsos obtineat. Nam Rex „ à veritate alienus non est, & jam recuperatis liberis, non adeò „ à Pontifice & Cæsare, hac quidem in causa pendebit. Tum „ nunquam suo officio deest Christianissima illa heroina Regis so- „ ror. Quin & procerum magnus numerus jam veritati accessit. „ In quadam Normandiæ regione adeò multi jam Evangelium „ profitentur, ut hostes ceperint eam vocare parvam Aleman- „ niam. Interim autem, dum, ut fieri solet, nobis dissentien- „ tibus, alii nostram, alii vestram de Eucharistia sententiam, quæ „ tamen revera eadem est, licet discrepantibus verbis proponi „ hactenus consueverit, sequuntur, multi alioqui sanabiles ab „ Evangelio abalienantur: & præbetur telum hostibus, quo „ veritatem nuperam impugnent: Ipsi tamen, inquiunt, inter „ se non consentiunt, quod ii non solent, quos agit Spiritus „ Christi. Hac ergo de causa, fratres qui illic sunt & redem- „ tionem Israëlis expectant, persancte nos hortati sunt, idque „ jussu Reginæ Navarræ, ut quam liceat, diligentem operam „ demus, ut hoc tandem dissidium sopiatur: in quo certè ultrò „ currentibus calcar addiderunt. „

§. XXVI. Fœderis Smalcaldici inter Principes & Civitates

(a) SECKENDORF. l. c. pag. 3. b.
(b) v. BUCERI Opera Anglicana fol. 693.

Germaniæ Proteſtantes ſub finem A. 1530. initi, conſortes etiam id inter alia definiverant, ſcribendum eſſe cumprimis & Galliæ & Angliæ Regi, ne deteriora de ſe ſuſpicentur, nec ſibi eas de Evangelica doctrina quæ ſpargebantur calumnias perſuaderi patiantur; Id igitur, ut exſequantur, circà hujus anni principium navant operam: Eſtque tum ſtylo *Philippi* MELANCHTHONIS conſcripta & d. 16. Februarii à Principibus & civitatibus quibusdam Germaniæ communi nomine ea conſignata Apologia, quam ad Galliæ Regem pariter atque ad Angliæ miſerunt, quæ ſinceram continet relationem (a) omnium Actorum in cauſa religionis ab origine usque ad nuperum edictum Auguſtanum, & in qua egregie depelluntur omnes calumniæ de cupiditate invadendi bona Eccleſiaſtica & ſubvertendi jura magiſtratuum. „ Scire ipſos Reges haud dubie, profitentur, veterem eſſe multorum querimoniam de vitiis eccleſiaſticis, quæ multi ſæpe viri præſtantes, & recenti fere memoria, per Galliam, *Joannes Gerſon* (b), per Angliam, *Joannes Coletus*, graviter notarint atque reprehenderint. Idem his proximis annis accidiſſe Germaniæ. Cum enim expiationes illas, quæ vulgò dicuntur Indulgentiæ, monachi quidam ibi circunferrent, & magna cum contumelia Chriſti, ſummoque diſcrimine ſalutis hominum, illas celebrarent, & infamem ex ea re quæſtum ubique facerent: admonitos fuiſſe leniter à viris aliquot eruditis atque bonis, ne ſic agerent. Illos verò non ſolùm non abſtinuiſſe, verumetiam atrociter damnaſſe monitores: ita quidem, ut hi veritatis tutelam atque patrocinium ſuſcipere cogerentur. Per eam occaſionem alia multa neceſſariò fuiſſe reprehenſa. Verum adverſarios, qui cauſam dederant offenſioni, impudenti ſua nundinatione, non prius conquieviſſe, quam hæc doctrina, ipſorum oppoſita nugis & impoſturæ, ſine legitima cognitione damnaretur ut impia: quoque totam opprimerent, in ſummum odium adduxiſſe apud Cæſarem aliosque reges. Veruntamen, effulgeſcente veritatis, tanquam ſolis radio, quum eſſent in omnium aſpectu multa, neque negari poſſent, quæ „ de-

(a) SECKENDORF. l. c. pag. 5.
(b) SLEIDAN. Lib. VIII. à principio.

„ depravatis iudiciis obrepserant in Ecclesiam, ordines Imperii,
„ in eo conventu, quem primum Cæsar egit Vuormaciæ, plu-
„ rima illi edidisse gravissimáque postulata: quorum emendatio-
„ nem dicerent esse necessariam. In aliis deinde conventibus
„ Imperii, quum diu multumque res inter ordines ac Cæsaris
„ legatos agitata fuisset, componendi dissidii nullam esse viam
„ expeditiorem aut meliorem, quàm per liberum orbis Christia-
„ ni concilium, una omnium voce judicatum fuisse. Cæsari
„ quoque rationem hanc, ubi cognovit, placuisse: deque con-
„ cilii tum loco tum tempore deinceps deliberatum esse: quem-
„ admodum decretis tunc factis doceri possit. Quum autem ex
„ Hispaniis Cæsar per Italiam venisset in Germaniam, ad Au-
„ gustæ comitia, totum in hoc fuisse, ut sine concilio res com-
„ poneretur: quod quidem bono ipsum animo fecisse putent.
„ Itaque se doctrinæ suæ confessionem in eo conventu palàm
„ tunc recitasse, & illi exhibuisse, & si majori opus esset ex-
„ plicatione, detulisse. Contrarium deinde scriptum suæ con-
„ fessioni, fuisse recitatum. Ejus ubi petiissent exemplum à
„ Cæsare, non impetrasse, propter adjectam conditionem, quæ
„ sibi periculo futura erat atque fraudi. Pòst, ex omni numero
„ quosdam esse delectos utrinque velut arbitros & conciliatores.
„ Verùm ne sic quidem convenisse, licet ipsi profiterentur,
„ quicquid omninò salva conscientia possent, sese facturos. Cæ-
„ sarem deinde proposuisse nonnulla, quæ servarent interea dum
„ fiat concilium: sed ejus generis, ut si recepissent, & con-
„ scientiam suam ipsi læderent, & Deum gravissimè offende-
„ rent. Cum autem edictum posthac Cæsar faceret valde du-
„ rum, se necessariò provocasse ad concilium pium atque libe-
„ rum. Et quanquam ita res habeat, licet iste sit rerum status,
„ etsi nihil ipsi magis optent, quam ut legitimè de causa cog-
„ noscatur, tamen audire, suos adversarios in hoc esse totos, ut
„ Cæsarem aliosque reges contra se variis calumniis accendant.
„ Dogmata quædam circunferri, quæ sibi falso tribuantur. Nec
„ enim esse tantum à sacris literis aliena, verumetiam abhorrere
„ à sensu communi. Siquis etiam ad hunc modum suos intra fines
„ doceret, non illi futurum impune. Quantis autem ipsi ver-

„ ſentur in periculis, ob hujus doctrinæ profeſſionem, nemi-
„ nem eſſe qui non videat. Quæ ſanè diſcrimina minimè ſubire
„ velint, niſi certo ſcirent, hanc ipſam doctrinam eſſe conſen-
„ taneam verbo Dei, & propter gloriam nominis Divini reti-
„ nendam. Illud etiam ſpargi ab adverſariis apud exteros, qua-
„ ſi doctrinæ genus hoc receperint, non quidem ulla pietate,
„ ſed ut per eam occaſionem invaderent in bona ſacra. Sed hanc
„ calumniam & anteactis conventibus eſſe refutatam, & fore,
„ ut in totius orbis concilio magis confutetur. Homines etiam
„ prudentes atque iudicio præditos, comparatione facta pericu-
„ lorum atque commodorum, facilè videre, non minus abſur-
„ dam & ineptam hanc eſſe, quam acerbam & odioſam crimina-
„ tionem. An enim ullæ ſuis in finibus tantæ queant eſſe fa-
„ cultates Eccleſiarum, ut exiſtimationem, famam, dignitatem,
„ conjuges, liberos, denique fortunas omneis atque vitam ip-
„ ſam, in præſentiſſimum periculum idcircò devocare velint?
„ An ulla commoda ſibi tam arridere, & chara eſſe poſſint, ut
„ non & Cæſaris, & ipſorum, laudatiſſimorum videlicet Re-
„ gum, benevolentiam atque gratiam, his omnibus longè præ-
„ ponant? Suos nimirum majores atque parentes, quum ex iis
„ bonis nihil attingerent, & domi cum dignitate vixiſſe, &
„ ſumptus etiam publicos toleraſſe, nec id modò, ſed Eccleſias
„ etiam partim inſtituiſſe novas, collatis eò magnis vectigalibus,
„ partim locupletaſſe veteres ac magis exornaſſe. Suæ quidem
„ ditionis Eccleſiarum opes eſſe mediocres, ac licet neceſſariæ
„ ſint miniſtris, qui populo præſunt erudiendo, quorum ſanè
„ proventus annui ſint admodum acciſi: non ſe tamen recuſare,
„ quo minus in pios uſus, arbitratu concilii conferantur: modò
„ concilium illud, tale ſit, in quo præjudiciis & affectui non
„ ſit locus. In calumniis etiam hanc eſſe primam, hoc nomine
„ ſe deferri potiſſimum & accuſari, quaſi doctrina, quam pro-
„ fiteantur, improbet Magiſtratum, & legum dignitatem ener-
„ vet, ſed ſcriptum ſuum recitatum & exhibitum Auguſtæ re-
„ ſpondere huic criminationi. Hoc quoque verè poſſe dici, huius
„ temporis viros doctos ornaſſe Magiſtratus atque legum digni-
„ tatem, magis quam ulla ſuperior ætas fecerit. Sic enim pror-
„ ſus

„ fus erudiiffe mentes, ut & Magiftratus intelligat certoque „ fciat, fuum vitæ genus atque ftatum effe Deo pergratum, & „ populus invicem agnofcat, honorem & obfequentiam fe de- „ bere Magiftratui, propter mandatum Dei, qui poteftatis or- „ dinariæ contemptum non dimittat impunitum. Præterea, „ quum ipfi beneficio Dei præfint etiam aliis, cujus hoc effet „ dementiæ, tolerare doctrinam, quæ frena laxaret hominibus, „ & obedientiam diffolveret, & populum in fe concitaret? Quid „ etiam de præfectis ecclefiarum fentiant, in fuo illo fcripto lu- „ culenter explicaffe, nam & ecclefiaftici ftatus adminiftratio- „ nem legitimam fibi probari, & minifterium Verbi feu pote- „ ftatem clavium fummo fe ftudio venerari. Jam vero, quum „ hæc & id genus alia crimina in fe conferri audiant, & verò „ publicè multum referre putent, ut ipfi, tanta prudentia & „ authoritate reges, caufam ordine & rectè intelligant, ideò fe „ purgandi fui caufa, voluiffe hæc ad ipfos perfcribere, & ora- „ re plurimum, ne calumniis illis fidem habeant, neque fini- „ ftram ullam de fe concipiant opinionem: fed integrum fer- „ vent judicium, donec publicè purgandi fui locus detur, quod „ imprimis cupiant. Orare etiam, Cæfarem hortentur, utprop- „ ter caufæ magnitudinem & Ecclefiæ totius utilitatem, con- „ cilium pium atque liberum in Germania, primo quoque tem- „ pore cogat: neque gravius quid contra fe ftatuat, donec le- „ gitime difceptata res fuerit atque definita. Nam & hucusque „ femper officium fe præftitiffe fuum Reipublicæ Imperii, & „ nunc doctrinam iftam profiteri, eoque nomine in difcrimen „ vocari, nulla certè cupiditate vel protervia, fed propter man- „ datum atque gloriam Dei. Quo magis etiam fperare, non ip- „ fos effe defuturos fuis precibus. Nam in fumma laude ponen- „ dum, fi quidem hoc authoritate fua perficiant, & interceffio- „ ne, ne ferro decidantur & armis hæ controverfiæ, fed rectum „ fiat judicium, & fanentur morbi, & Ecclefiæ concilientur, „ & vis nulla fiat hominum confcientiis: poftremò, fi de ipfo- „ rum erga fe voluntate per literas cognofcant, longè id fibi „ fore gratiffimum.„

§. XXVII. Has literas Fœderatorum ad Regem detulit vir

honeſtus *Mathæus Reinholdus*, civis Belzigienſis, Gallicæ linguæ peritus, qui & reſponſum Regis reportavit: Rex enim d. 21. Aprilis ad ſuperiores illas literas reſpondit; Nihil ſe optare vehementius (a), quam totius Europæ concordiam: & pergratum eſſe, quod ipſi etiam eò propendeant, quodque concilium fieri cupiant. Hoc enim ſibi non utile modo, ſed & neceſſarium videri: & quoties de ſananda Republica ſermo incidit, ita ſemper judicare, nullum eſſe firmius fundamentum, quam ſi veri monſtrator & almus ille Spiritus, primas in ea re partes obtineat. Quod ſi cæteri etiam idem ſtatuant, & ſi concilio deligatur locus ab omni periculo vacuus atque ſuſpicione, quo quidem in loco ſuam cuique ſententiam libere pronuntiare liceat, nec affectibus aliquid detur, tunc nimirum optimè ſperandum eſſe de ſumma rei. Quod autem ſoliciti ſint, ne criminationibus adverſariorum alienior ſit factus ab ipſis, non eſſe quod vereantur: ſuo enim quodam inſtituto atque diſciplina non ſe conſueviſſe, ne de inimicorum quidem fama temerè ſtatuere. Quum verò tanta ſit, tamque vetus inter Galliæ reges ac Imperii principes neceſſitudo, cujusnam hoc eſſet inhumanitatis, de propinquis & amicis ullam ſiniſtram concipere opinionem, indicta videlicet cauſa? quantum enim ipſe tribuat huic amicitiæ jam olim initæ, vel ex eo poſſe videri, quod etiam tunc, quando forte bellum geritur cum Cæſare, Germanis tamen & civibus Imperii tutus in Galliam acceſſus & exitus illinc pateat, ut non ſecus, quam ſi domi eſſent, negotiari ipſis ibi liceat: ita quidem, ut Germaniæ principum atque civium domicilium, Gallia rectè nominari poſſit. Hæc quidem eſſe nota & pervulgata, ſed tamen non adeò magna, quin ipſorum cauſa, quandocunque res ita dabit, multo ſit facturus majora, præſertim, ſi, quod profitentur, pii liberique concilii decreta non repudient. Ut enim diſceptatione potius, quam ferro dirimatur controverſia, quod quidem ipſi petant, idem ſibi quoque videri, eſſe tum honeſtum magis, tum Reipublicæ ſalutare, quæ triſtiſſimam ſubitura ſit fortunam, ſi res ad arma veniat.

Cæterum idem ille Reinholdus, inter alia referebat; Se à Prælato

(a) SLEIDAN. Lib. VIII. pag. 125. b.

lato quodam in aula fuisse interrogatum, num verum esset, quod uxores Lutheranorum copiam sui facerent viris alienis, qui dicerent, se Spiritus S. impulsu concubitum appetere? aliaque multa non minus absurda sibi objecta esse, ad quæ verè & ingenuè responderit: à Rege autem gratiose admodum se fuisse receptum, quippe qui & sub abitum honorario quinquaginta aureorum eum donaverit.

§. XXVIII. Eodem hoc tempore tres primariæ Galliæ civitates (a), eæque Academiis illustres, Evangelicæ doctrinæ gustum acceperunt, Aurelia, Tolosa & Avaricum, sive Bituriges, ut abhinc, quicquid fuit aquarum cœlestis doctrinæ Galliam irrigantium tanquam ex tribus hisce fontibus promanaverit; Estque Deus in his aperiendis fontibus usus opera cum *Johannis* CALVINI, tum *Julii Cæsaris* SCALIGERI, Virorum eximia virtute ac doctrina præstantium;

In Academia Aurelianensi Professorem agebat *Petrus Stella* Jure consultus celeberrimus, & Professorum totius Galliæ nemini secundus; In ejus disciplinam uti se quicquid fere erat ingeniorum politiorum tradebat, ita varii quoque illuc confluere, ut ex ejus doctrina tantum haurirent, quantum satis erat illis, qui jam veritatis cognitione & amore imbutum pectus gerebant, & tamen amplius informari cupiebant. Inter hos *Franciscus Daniel* erat causarum patronus & *Nicolaus à Via* (Chemin) qui commensales alebat; Præ reliquis autem, *Johannes Calvinus*, tum viginti trium annorum Juvenis: Mirum verò erat & pæne incredibile, quantoperè brevi tempore Calvinus proficeret, adeò quidem (b) ut quum sæpissime obiret ipsorum doctorum vices, Doctor potius quam auditor haberetur, eique discedenti Doctoratus insignia, absque ullo pretio, summo docentium omnium consensu, quasi optimè de Academia merito, offerrentur; Interea dum sacrarum literarum studium simul diligenter excoleret, quippe in quo tantum is promovisse tum refertur, ut quicunque in ea urbe aliquo purioris Religionis cognoscendæ studio tangebantur, ad eum etiam percontandum ventitarent, ejusque tum eruditionem tum ardorem admirarentur. In

(a) SCULTET. annal. T II. p. 381.
(b) v. BEZA in Vita Calvini p. m. 366.

In Academia verò *Bituricensi*, quæ *Margaritæ Valesiæ Navarrenorum* Reginæ parebat, cum *Andreas Alciatus* non minori cum eruditionis laude Jurisprudentiam doceret, & eum quoque sibi audiendum esse *Calvinus* æquum judicaret, factum est, ut Evangelicæ doctrinæ veritas simul ad ipsos Biturigas devenerit, iique in *Calvino*, non tam Jurisprudentiæ vel discipulum vel doctorem quam potius Religionis purioris & Doctorem haberent & restauratorem: Certè quum eò migrasset (a) amicitiam iniit & religionis & literarum nomine, cum *Melchiore Volmaro*, *Germano Rotvilensi*, Græcarum literarum publico tum illic Professore, cujus maximi viri doctrinam, pietatem, ceterasque virtutes, admirabilem denique in erudienda Juventute dexteritatem nemo satis prædicarit; Hoc auctore & adjutore Græcas literas didicit *Calvinus*, cujus beneficii memoriam omnibus postea testatam esse voluit, consecratis ipsius Nomini commentariis, quos in alteram ad Corinthios (b) Epistolam edidit. In his verò cum studiis versaretur *Calvinus*, & sacras tamen literas assiduè tereret, is non tantum in veritatis studio corroborabatur indies sed & ut aliis eadem illucesceret veritas operam navabat, nonnullas interdum conciones habendo in agro Biturigum, in oppidulo quod Linerias vocant, præsente & probante illius Domino;

Apud *Tolosates* autem, ut Christus innotesceret, *Julius Cæsar Scaliger*, Summus ille suo tempore Philosophus, Literator atque Medicus, *Josephi* SCALIGERI, quem eruditorum coryphæum agnoscunt omnes, Parens, fecit, cui non Aginni modo civitas in qua consedit, sed Aquitania pæne ipsa (c) (piis ipsius domo tanquam

(a) BEZA loc. cit.

(b) BEZA in Iconibus lit. X. ii. inter alia de Volmaro hoc: *Majores* inquit, *multò fructus inde collectura Gallia*, *nisi partim sævities adversus pios recrudescens*, *partim Ulrici Ducis Wurtembergensis eum invitantis auctoritas*, *illum Tubingam A.* 1535. *evocasset*. . . . Deinceps, se à pueritia profitetur eum unicum esse nactum præceptorem, & vivum ceu parentem alterum semper coluisse, & mortui memoriam celebrasse. ibid.

(c) BEZA in Iconibus lit. X. i. conf. Bez. Histoir. Eccles. Tom. I. pag. 24 ubi singularis *Julii Cæs. Scaligeri* cura & patrocinium pro Evangelii confessoribus quibusdam Lutheranismi accusatis vel suspectis refertur.

quam hospitio utentibus, eoque vicissim sua auctoritate pro viribus, illos, quantumvis asperis temporibus adjuvante) veræ pietatis instaurationem magna ex parte debet;

Quidquid sit, non deerant in ipsa Francisci Regis aula, Principes Viri atque Fœminæ, qui renascenti Evangelio favebant; Principisque animum sæpenumero versatilem & in Evangelicos minus faventem emollire annitebantur: Nam & in urbe Parisiorum & Scholis publicis erant, qui apertè Evangelicorum sacris addicti erant, In quorum numero *Johannes Sturmius* præcipuè connumerari meretur, atque *Petrus Ramus*, alter philologiæ & literarum humaniorum, alter philosophiæ & literarum severiorum restaurator:

De *Johanne* STURMIO (a), qui ejus vitam descripserunt, referunt, quod ab A. 1529—1537. per integrum octennium apud Parisienses humaniores literas fuerit professus, usque dum Argentinam veniret Lutetia ex Gallia (b) evocatus:

De *Petro* RAMO (c) res non minus est nota, quanquam is ad seriora spectet tempora;

§. XXIX. Erat annus tricesimus secundus, quo Tolosæ *Johannes* CADURCUS (d) Licentiatus legum, Limoxiis, non ignobili Occitaniæ oppido natus, quemque jura humana docentem admirata erat Tolosa, jus divinum asserentem eadem est abominata; Accusabatur enim, *quod* in urbe Lemovicensi exhortationem Lutheranam die omnium Sanctorum instituisset; porrò, *quod* in vigilia trium Regum auctor fuisset, ut populus loco vulgaris illius acclamationis, *Vivat Rex*, exclamaret: *Christus regnet in cordibus nostris*; denique, *quod* loco saltationum aliarumque vanitatum post cœnam ex scriptura quædam proposuisset; Propter hæc igitur omnia, *quod*que Anno Domini 1532. in aliquot piorum (e) hominum cœtu, *Bacchanalia*, quæ in Epipha-

L

(a) Conf. BRUCKERI Templum Honoris Num. XLII. p. m. 174.
(b) Ita ipse STURMIUS in Anti Pappo IV. pag. 17.
(c) Historiam ejus pertractat BÆLIUS in diction. Conf. SAMMARTH. Elog. Lib. II. n. XXI p. m. 100. sq.
(d) BEZA Hist. Eccles. l. c. p. 11. SCULTET. Annal. T. II. p. 391.
(e) BEZA in Iconibus lit. Aa. i.

phaniæ festo celebrari consueverant, ausus esset liberius & redarguere & emendare, carceri inclusus & sub initium mensis Junii anni sequentis vivus ille combustus est;

Cum degradaretur, ut vocant, h. e. dignitate Licentiati Juris exueretur, & *Jacobinus* quidam pro more sermonem ad populum habiturus, verba *Pauli* ex ad 1 Tim. IV. 1. sq. recitasset, in quibus Spiritus Sanctus disertim prædicit, *ultimis hisce temporibus aliquos contradicturos fidei, adhærentes Spiritibus erroris & doctrinæ dæmoniorum*, atque ibi substitisset; Factum est, ut *Cadurcus* alta voce clamaret, *ad sequentia, ad sequentia textus*; Quo clamore audito, *Jacobinus* ille cum tantum non obstupesceret, *Cadurcus* noster pergere; Si tu non vis, inquit, ego pergam, statimque addidit sequentia; *Dicentes mendacia in hypocrisi, habentes conscientias cauteriatas, prohibentes conjugia, jubentes abstinere à cibis quos Deus condidit* &c. simul verò etiam horum verborum explicationem adjungere non est veritus;

Et fertur idem ille, quando mortis sententiam in palatio adversus se pronunciatam audivisset, exclamasse vocibus Latinis, *O curia iniquitatis! o sedes injustitiæ*, mortem vero deinceps summâ constantiâ subivisse. Siquidem ex pyra etiam, quasi ex pulpito (a) habita divinissima concione, veritatem, quam suo ipsius sanguine sanciebat, is ita asseruerit, ut, quum in eam longè frequentissimam Academiam ex omnibus Galliæ partibus confluere maximus studiosorum numerus consueverit, non modo Tholosæ, verum etiam in universa Gallia, purum verbi Dei semen sparsisse meritò videatur.

De *Alexandro* CANO apud Lugdunenses in Gallia Evangelicam veritatem annunciante in *Actis martyrum* (b) sequens extat relatio: „ Memorabile nobis exemplum *Alexander* CANUS *A-*
„ *vrincensis*, constantiæ suæ reliquit; Is enim ejurata Domini-
„ calium familia, in qua annos aliquot antea vixerat, locum
„ quærens ubi profligata superstitione regnare cœpisset Evan-
„ gelium, eoque nomine ad Allobroges profectus, & annos ali-
„ quot in comitatu Neocomensi commoratus, venit Genevam,
„ quo

(a) BEZA in Icon. l. c.
(b) vid. Acta Martyrum de A. 1560. 4. pag. 62. b. seq.

„ quo in loco *Gulielmus* FARELLUS cum aliis nonnullis fidelibus Dei ministris Evangelium verè profiteri cœperat, maximo motu ac tumultu Canonicorum, Presbyterorum & Monachorum, qui tum ibi summam rerum omnium potestatem gerebant. Quorum omnium insectatione commotus potissimum *Alexander*, urbe cedere, eoque modo saluti suæ consulere cogitur. Itaque profectus per *Segusianos* in Galliam, venit Castilionem Ducatus Borboniorum oppidum, indeque Matisconum, tandem Lugdunum, quibus omnibus locis iter faciens, Evangelii doctrinam spargebat animo maximo: eoque tanto, ut neque rem ullam suam, neque sanè vitam respicere videretur. *Lugduni* quidem fideles omnes qui tum aderant, hortatus sæpe fertur maxima contentione animi atque verborum, Christianisque Cerealibus ac item postridie concionem habuisse frequentibus auditoribus quibusdam aurificibus, qui Lugduni tum habitantes ei negotio non interessent tantum, sed etiam homini præstò semper existerent. Vix autem ibi diutius egerat, cum Præfecti judiciorum illius ecclesiæ, facti certiores ipsum comprehendunt; comprehensum è vestigio post morte mulctandum censent; provocat *Alexander:* Lutetiam adducitur: sæpius ad quæstionem abripitur impetu tanto, ut effracto demum crure altero exclamaret, *ô Deus! postquam istorum animi misericordia moveri nequeunt, at respexeris ipse me Deus misericors.* Nec desunt qui testentur gemebunda ac lamentabili voce dixisse quoque illum, *Num quis Gamaliel tandem, qui mitigandæ tantæ crudelitatis atque sævitiæ locum apud istos quærat?* Sanè tantam tamque excellentem sanctissimi viri in omni genere patientiam & æquabilitatem animi, quum præsentes omnes admirabantur; tum quidem unus propter eximiam ejus eruditionem & authoritatem valde gratiosus, Num, inquit, sat hactenus in miserum hunc sævitum est? num cruciatuum istorum plus satis adhibitum? Ego quidem ipse non video quid ex eo præterea expectare, quorsum pergere debeatis. Horum honore verborum quievit tormentum; quod idcirco fuerat iteratum sæpius, ut indices exprimerentur. Decuria tota Parisiensis admirabili viri perseveran-

„ tia ſtupens atque commota, martyriſque conturbandi locum
„ undique & occaſionem captans, ſiſti judicio jubet: præſen-
„ tem judicat præter morem atque legem, qua (ut nunc qui-
„ dem eſt) cavebatur, reos omnes quibus mortis ſupplicium ir-
„ rogaretur, ad phylaciſtam rejici oportere. *Alexander* autem
„ audita de ſe palam dicta ſententia, majorem adhuc quam un-
„ quam antea, fortitudinem animi præ ſe ferre videbatur. Bre-
„ viter, infulis omnibus ſacerdotalibus ritu Papiſtico Alexander
„ exauguratur: ſilentium facit. Verebatur nimirum ne ſingul-
„ tus eſſet in ſermone, & quemadmodum ei fuerat indictum, lin-
„ gua ſibi præcideretur. Execrata linguarum exputandarum in-
„ ventio hoc primum anno invehi & in conſuetudinem induci
„ cœperat. Ac etſi ne verbum ille quidem, tamen & geſtu &
„ vultu, & interjecta plerumque ſubriſione facilè quam parvi
„ ceremonias hujuſcemodi penderet, populo declarabat. San-
„ nionis habitu veſtitus exclamat, Proh tuam, ô Deus, fidem!
„ mihine majorem honorem haberi potuiſſe, quam inſigne mihi
„ hodie deferri ei ſimile, quod quondam apud Herodem Filius
„ tuus unicus accepit? Ad locum igitur ſupplicio delectum,
„ Malbertinam aream, plauſtro delatus, populum ad Chriſtum
„ agnoſcendum, & ad pœnitentiam hortatur, circumſtantium
„ Dominicanorum tricis enectus, Quid? méne, inquit, eo adi-
„ gere, ut ipſum ejurem Chriſtum, ſceleſti, vultis? Faceſſite
„ impoſtores. Poſtea ad *Joannem Morinum* Comitiorum quæſi-
„ torem converſus, petiit ut ſibi cum populo pauca quædam
„ agere liceret. Morinus id velle quidem ſe, dicere; quod ip-
„ ſum tamen ex *N. Molini* Baſilicæ præcentoris ac choragi (ade-
„ rat enim) ſententia fieri poſſet. Molinus, id ipſum velle ſe
„ quoque: at obſecrare, jam ſatis ut haberet tam multis eate-
„ nus egiſſe. Illud autem eò ſubjiciebat Molinus, quoniam ex
„ quo plauſtrum conſcenderat *Alexander*, nunquam ferè popu-
„ lum erudire, & ut ſe colligeret aliquando commonere deſiiſ-
„ ſet; eoque ventum eſſet, ut etiam exiſterent, qui quidem il-
„ lum iniquiſſimo judicio perfuſum & oppreſſum affirmarent.
„ Antequam igitur ad patibulum raperetur, impetrata liberè lo-
„ quendi facultate, concionem habuit bene longam, ſed vibran-
„ tem,

„ tem, sed eruditam, sapientissimisque sententiis, & gravibus „ verbis ornatam atque perpolitam: qua concione vir constans „ & sapiens fidei suæ totius, ac imprimis Cœnæ Domini nostri „ Jesu Christi, rationem exposuit tanto studio, tanta conten- „ tione, ut plerique qui tum fortè ibi aderant, ipsumque alias „ audiverant tonantem, nunquam illum neque tam eleganter, „ neque tam feliciter sibi visum esse dicere faterentur. Porrò „ qui sermonem exceptum literarum monimentis mandaverunt, „ illi quidem hanc seriem ejus perpetuationemque tradiderunt.

„ Clarissimi viri, lectissimæque fœminæ, qui quæque omnes „ in hunc locum convenistis, ut supplicium miserè damnati ho- „ minis spectaretis, intelligite, justè id effectum quidem, si com- „ munes hominum offensiones consideremus; at, si legem & „ consuetudinem hominum, inde maximè profectum esse, quod „ cum de multis ad salutem hominum pertinentibus rebus, tum „ verò *de Cœna Domini* nonnihil attulerim asseruerimque præ- „ ter popularem hominum opinionem. Quam Cœnam, inquam, „ Dominus noster Jesus Christus instituit pridie quam pro salute „ mortalibus restituenda ad mortem (& quidem crucis) profici- „ sceretur, ut eosdem universos Deo Patri reconciliatos, arro- „ gandos in filios ejus, suosque cohæredes instituendos, & na- „ talibus quasi restituendos curaret. Id quod est ipse morte pro- „ pria cumulatissimè sine dubitatione consecutus. Cujus rei con- „ templatione & memoria sempiterna Cœnam instituit: Apo- „ stolosque docuit, hæc quotiescunque facerent, in sui com- „ memorationem esse facturos. Atque hoc illud est quod ipse „ quoque vult Paulus, Quotiescunque manducabitis panem hunc „ & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec ve- „ niat. Hoc autem dicebat Christus, panem distribuens: vult- „ que ut accipientes illum panem, tanquam monimentum & „ signum mortis suæ, mortem eandem suam annuntiemus, & in „ eadem charitate universi voluntateque vivamus. Itaque pro- „ bare nos ipsi debemus, antequam ad mensam illam sanctissi- „ mam accedamus: nempe fidem integram & perennem habere „ debemus, proque nobis Christum mortuum esse ducere. Nam „ aliter, sumptum indigne tantum panem in condemnationem

„ noſtram converteremus, ut inquit idem Paulus: ſic enim ille, „ Probet ſeipſum homo: & ſic de pane illo edat, & de calice „ bibat. Quæ omnia cum ita mihi nota putarem, ut de iisdem „ meo jure quodam mihi viderer aliquid poſſe pronuntiare, ſanè „ tenui, *panem illum* exhibitum nobis eſſe *tanquam ſignum ac* „ *ſymbolum mortis Domini* noſtri Jeſu Chriſti: *non* autem in „ illo *veram* Chriſti *perſonam atque corpus* exiſtere putavi. Re- „ liquas res, de quibus accuſor, ad ipſius Dei optimi maximi „ judicium defero, quem unum, obſecro, precemur ut menti- „ bus omnium Chriſtianorum lumina ſua præferat, ut & Ver- „ bum ejus purè perſpicueque nuntietur, & Spiritu ſancto ſuo „ Eccleſia illuſtretur, jacuit enim perdiu nobis ipſe Jeſus Chri- „ ſtus. Ad extremum autem, ô viri, peto etiam atque etiam „ à vobis ea charitate, cujus in Chriſto, vinculo conjuncti ſu- „ mus, Deum oretis, ut ſicut ejus Filius Jeſus Chriſtus pro me „ mortuus eſt, ita etiam ego pari pro illo conſtantia mori hîc „ hodie poſſim; mox, eamus, inquit. Itaque orandi munere „ perfunctus, ſublatis in cœlum oculis, medioque rogo exi- „ ſtens, Rogemus, inquit, Chriſtum ut noſtri miſereri, & ad „ finem usque perſeverantem animum meum ſuſcipere dignetur. „ O Redemptor, miſerere mei; ac tum denique vitæ diem extre- „ mum morte confecit.

„ Porrò Senatusconſulto conſtitutum erat, ut erumpen- „ te ſenſim igne, exureretur. Ac cum & reflaret ventus, & „ martyre ipſo trochlea ſuſpenſo, diſiectus ignis huc illuc „ evaneſcere potius, quam ferri ſublimè rapique videretur, „ lictor fune ſucciſo, confoſſum harpaginibus, & faſcibus „ virgultorum oppreſſum interemit, ſpectantium hominum „ maximo luctu & fletu, martyris longè ſanè magis inno- „ centiam, quam ullam aut humanitatem, aut affectum animi „ leviorem aliquem innuente. Quibus omnibus ita confectis re- „ bus, erant, vel monachi, qui dicerent, Si hic ſalvus non eſ- „ ſet, neminem ſalvum fore mortalem. Alii verò diſcedentes „ percutiebant pectus, dicebantque gravem illi factam injuriam, „ qui totus in Dei ſolius commemoratione fuiſſet. Alii deni- „ que, legi ſuſtinendæ ſuæ pertinaciter immortuum: mirum-

„ que

„ que sibi videri, istiusmodi viros quotidie passim, dum legis „ illius suæ conscientiam ipsi vitæ, nedum rebus omnibus hu„ manis anteponunt, adeò fideliter, adeò constanter ad ignem „ ruere voluntarium. Atque hæ quidem erant una de re singu„ lorum hominum variæ discrepantésque sententiæ. „

Et hæc quidem instauratæ Lugdunensis Ecclesiæ felicia (a) fuerunt exordia!

§. XXX. Erat annus hujus seculi *tricesimus tertius*, cum CLEMENS septimus Pontifex Romanus, arctiori se vinculo cum Galliarum Rege conjungere cupiens, neptem suam, fratris filiam *Catharinam Mediceam* elocavit *Henrico Valesio*, *Francisci Regis* filio, natu secundo, postmodum Galliarum Regi: Ea res, cum ferè spem omnem atque expectationem Pontificis superaret, & plerique disparitatem conjugii mirarentur, & Clemens ipse, num serio Gallus id ageret, subdubitaret, magno certè Galliæ infortunio & rerum Reformatarum detrimento perfecta tandem est hujus anni autumno: Ipse igitur Clemens, simulac resciret in Hispaniam Cæsarem rediisse, rogatu Galliæ Regis (b) per mare Ligusticum venit Massiliam d. v. Octobris; Henricus Princeps erat quindecim, Catharina verò tredecim annorum: Rex eodem se conferre cum *Henrico Filio* & totius aulæ comitatu, neque quidquam eorum (c) omittere, quæ ad benevolentiam Papæ sibi conciliandam facere poterant: Ordiebantur consilia sua à negotio Religionis veteris conservandæ, quem in finem Pontifex, ut extirparentur qui Galliam infestare credebantur hæretici, cumprimis urgebat. Progrediebantur ad causam contrahendi matrimonii;

Est verò memorabile, quod equidem à SLEIDANO (d) tribus tantum verbis traditur, atque à Scriptore *Legendorum* (e) *S. Catha-*

(a) BEZA in Iconibus lit. Aa. ii.
(b) SLEIDAN. Histor. Lib. IX. p. m. 139. b.
(c) le Pere DANIEL Hist. de France Tom. V. p. 295.
(d) SLEID. l. c. dicit: *Clementem non prius credidisse rem agi seriò, quam in complexus illi venissent.*
(e) Legenda S. Catharinæ p. m. 15. *de quibus tamen nuptiis nihil unquam sibi persuaserat Pontifex, antequam sponsos unà concumbentes vidisset.*

Catharinæ Mediceæ repetitur, ſed à SCEPPERO (a) in literis ad *Joh. Dantiscum* diſertius exponitur; „ Clementem ſcilicet, „ adeò auribus ſuis hic credere noluiſſe, ut cum matrimonium „ illud celebraretur, quoque voluerit, ut, ſe, & Galliarum Re- „ ge inſpectante, nudus cum nuda coirent in opere, atque ſic „ opere exercerent matrimonialia: „ Dignum profectò Pontifice atque Rege ſpectaculum!

Cæterùm, hoc anno PHILIPPUS *Haſſiæ* Landgravius in Galliam profectus erat, quo *Ulricum Ducem* Wurtenbergium in provinciam ſuam, pulſis Auſtriacis, reſtitueret, eumque in finem à Rege Galliæ certam pecuniæ ſummam expeteret, atque pro ea agrum Mompelicartum Regi oppignoraret, ea lege, niſi intra tertium annum ille luat (b), ut tum ſit regni Galliæ hæreditarius. Hanc igitur occaſionem commodam non prætermitti debere cum judicaret ex inſpiratione Pontificis Franciscus, is cum Haſſiæ Landgravio, ut à Concilio petendo deſiſterent Proteſtantes, agebat, quando Pontifex unà cum Rege aliam conciliandis diſſidiis rationem inituri erant: Enimvero, quantum illud officium diligenter exſequeretur Rex, à Landgravio (c) tamen impetrare non poterat quod Pontifex poſtulabat, quod ille Germanicæ nationis everſionem, & funeſtiſſimum in ea bellum civile, nulla alia quam unius Concilii via antevertendam, fidenter aſſeveraret, licet ſimul ſpem faceret, contentos fore ſe & fœderatos, etſi non in Germania, ſed ſaltem extra Italiam, aut in finibus ejus haberetur.

§. XXXI. De MARGARITA *Regis* Sorore Navarrena, ejusque in Evangelicos ſtudio ſingulari atque favore jam plus ſemel diximus; Neque tamen ea magis eluxerunt quam his iisdem temporibus, quando ea totis viribus impedivit ne plane extingueretur hoſtium vi & fraudibus Evangelica veritas, quin potius effecit, ut ea indies majora caperet incrementa (d), nec tutum ſolummodo in ſuis

(a) vid. Ill. de WESTPHALEN Monumenta rer. Cimbricar. Tom. III pag. 434. & Acta Erudit. nov. A. 1744. p. 438.
(b) SLEIDAN. l. IX. p. 140. a. it. POPELINIERE Hiſt. de France Lib. I. p. 33.
(c) Paulus SARP. in Hiſtor. Concil. Trident. Lib. I. p. 59.
(d) BEZE Hiſtoir. Eccleſ. pag. 14.

ſuis ditionibus haberet receptaculum, ſed & ad plures per univerſum Galliæ regnum manaret; Suntque ejus rei non Proteſtantium ſed & Pontificiorum (a) Scriptores, luculenti teſtes; Hæc eadem, tum quoque A. 1533. Librum edidit, cui titulus, *Le Miroir de l'ame pechereſſe*, ſive *Speculum animæ peccatricis*. In eo libro, cum ſibi deprehendiſſe viderentur Sorboniſtæ, quædam à ſuorum placitis diverſa, quippe cum nulla quoque (b) inibi Sanctorum Sanctarumve recurreret mentio, nulla Meritorum, neque aliud ſtatueretur Purgatorium præter Chriſti ſanguinem, quin imò Preces illæ ordinariæ quæ ſub titulo *Salve Regina* venditantur, immutatæ eſſent, atque in Gallicum idioma tranſlatæ atque ad ipſum Jeſum Chriſtum applicatæ; Tum factum eſt, ut eò temeritatis progredi non vererentur hi vitio creati librorum cenſores, ut eundem in prohibitorum numerum referrent: Quid? quod eò quoque tum proceſſerint Bedda & ejus ſodales, ut non deſtiterint publicis ſermonibus in eum inſurgere (c); Nam & ad Calendas Octobris, quo anni tempore pueri qui à Grammaticis ad dialecticam demigrant, exerceri agendis fabulis ſolent, acta eſt in Gymnaſio Navarræ fabula, felle & aceto plusquam mordaci conſperſa. Inductæ ſunt perſonæ. Regina (d) muliebriter nendo intenta, & nihil aliud quam colum & acus tractans. Tum Megæra illi faces admovens, ut acus & colum abjiceret; Illa aliquantulum reniti & obluctari; ubi vero Furiæ ceſſiſſet, Evangelia in manus accepit, ex quibus omnia, quibus ante aſſueviſſet, & pæne ſeipſam dediſceret. Demum extulit ſe in

M tyran-

(a) Certè *Florim. de* REMOND Hiſt. de l'Hereſie &c. L. VII. c. 3. inter alia: Cela eſt notamment marqué par tous les Hiſtoriens de l'un & de l'autre parti, que cette Princeſſe ſeule fut cauſe, ſans y penſer mal, de la conſervation des Lutheriens François, & que l'Egliſe, qui depuis s'eſt attribué le nom de Reformée, n'en euſt eté eſtouſée dans le berceau. De noſtris ſcriptoribus res eſt nota. Conf. BÆL. in Diction. V. Navarre not. F. p. 467.

(b) BEZE Hiſtoir. Eccleſiaſt. pag. 14.

(c) BEZE ibid. pag. 13.

(d) CALVIN. Epiſt. ad *Fr. Danièlem* in Epiſtolar. volum. pag. 1. & 2.

tyrannidem, & omni genere ſævitiæ miſeros & innoxios vexavit. Multa ejusmodi figmenta addiderunt, indigna prorſus ea Regina, quam non figurate nec obſcurè convitiis ſuis proſcindebant. Res in aliquot dies eſt ſuppreſſa. Poſtea vero re ad Reginam delata, viſum eſt ſtatui peſſimum exemplum eorum libidini, qui rebus novis inhiant, ſi impunitas daretur huic improbitati. Prætor ſtipatus centum apparitoribus Gymnaſium (a) adiit, & ſuis juſſis domum circumſidere, ne quis elaberetur, ipſe cum paucis ingreſſus, Comicum non reperit. Ajunt eum minime id conſilio providiſſe, ſed quum forte in amici cubiculo eſſet, tumultum prius exaudiſſe quam perſpici poſſet, atque ita latebras quæſiſſe, è quibus per occaſionem effugeret. Prætor tamen pueris actoribus manum injecit; cui dum vult obſiſtere Gymnaſiarcha, inter eorum altercationes lapides à nonnullis pueris conjecti ſunt. Ille nihilominus eos arripuit, & quod pro ſcena recitaſſent, juſſit repetere. Omnia excepta ſunt. Quando auctor ſceleris deprehendi non potuerat, proximum erat de iis inquirere, qui quum prohibere poſſent, permiſiſſent, & tamdiu etiam diſſimulaſſent. Quidquid ſit eos (erant enim uno plures) poſtea deprehenſos atque carceri mancipatos, vel arreſto ſaltem, uti dicitur, gravatos conſtat:

At verò, cum Regina etiam reſciviſſet, librum ſuum eſſe relatum in eorum numerum à quorum lectione interdictum vellent, queſta eſt apud Fratrem Regem (b), profeſſa ſe auctorem. Rex per literas Magiſtris Academiæ Pariſienſis imperavit, ſibi teſtarentur, an librum recenſuiſſent in numero eorum quos judicaſſent improbatæ religionis, quod ſi ita haberet, ſibi rationem ſui judicii redderent. De ea re Nicolaus Copus Medicus, tunc Rector, retulit ad quatuor artium collegia, Medicinæ, Philoſophiæ, Theologiæ, Juris Canonici. Apud Magiſtros artium, inter quos locum dicendi primum habuit, longa & acerba oratione

(a) Mirum eſt quod omnem hanc cauſam in Hiſtoria Gymnaſii Navarreni ſilentio præterierit *Johannes* LAUNOJUS, niſi forte ea de re nihil in actis annotatum legerit.

(b) CALVINUS in ead. Epiſtola.

tione invectus est in eorum temeritatem, qui sibi id juris in Majestatem Reginæ usurpassent. Dissuasit, ne se inmiscerent tanto discrimini, ne Regis iram experiri vellent, ne in Reginam virtutum omnium & bonarum literarum matrem arma sumerent. Postremo, ne hanc culpam in se recipientes, improbitatem eorum alerent, qui parati sunt quidvis semper agendi sub prætextu hujus nominis, ut dicant Academiam fecisse, quod ipsi injussu Academiæ perpetrant. Omnium sententia fuit, factum abjurandum. Idem censuerunt Theologi, Canonici, Medici. Rector renunciavit ordinis sui decretum, post Decanus Medicinæ, tertius Canonici Juris Doctor, quartus Theologus, ultimus verba fecit *Clericus* (a) Parochus sancti *Andreæ*, in quem omnis culpa derivabatur, aliis à se amolientibus. Primum magnificis verbis extulit Regis integritatem, qui Fidei se animosum protectorem hactenus gesserit. Esse aliquos sinistros homines, qui hunc egregium animum conentur pervertere, qui etiam conspiraverint in exitium sacræ Facultatis: sibi tamen certam spem esse, nihil obtenturos esse adversus talem constantiam, quam in Rege esse novisset. Quantum attineret ad negotium quod esset in manibus, se quidem fuisse delegatum Academiæ decreto ad eam provinciam, nihil tamen minus sibi in animo fuisse quam adversus Reginam quidpiam moliri, fœminam tum sanctis moribus tum pura religione præditam, cujus rei argumento esse poterant justa quæ matris suæ manibus post mortem persolvisset. Se pro damnatis libris habuisse obscœnos illos, Pantagruelem & Sylvam amorum & ejus monetæ. Hunc interim inter suspectos reposuisse, quod sine Facultatis consilio editus esset; magna fraude arresti, quo vetitum erat, inconsulta Facultate quicquam edere, quod ad Fidem spectaret. Denique, sibi hoc esse præsidium, mandato Facultatis factum, quod in quæstionem vocabatur. Omnes esse culpæ affines, si qua esset, quantumvis culpam abnegarent. Atque hæc omnia Gallicè, ut omnes intelligerent, præfabatur; omnes tamen fremebant eum obtendere ignorantiæ suæ hanc speciem. Aderant autem Episco-

(a) Is est *Nicolaus Clericus* cujus mentionem injicit LAUNOJUS in Historia *Gymnasii Navarreni* Opp. LAUNOJ. T. IV. P. I. pag. 411.

pus *Sylvanectensis* (a), *Stella*, & quidam ex præfectis aulæ regiæ. Ubi finem fecit dicendi Clericus, *Parvus* (b) dixit, lectum â se librum, nihil se dignum litura comperisse, nisi oblitus esset suæ Theologiæ: Demum postulavit, ut ederetur decretum quo Regi satisfieret. Copus Rector pronunciavit (c) „ Academiam non agnoscere Censuram illam, qualis qualis fuisset, „ quo libellus censitus esset in libris aut damnatis aut suspectis, „ non probare neque in se recipere, viderent qui id fecissent, „ qua ratione se defensuri essent, „ paratas fore in tempore literas quibus se Academia Regi excusaret, ageret etiam gratias, quod tam benigne paterno more compellasset.

§. XXXII. Est autem non ita multo post factum, ut *Nicolaus* ille *Copus* ex more recepto ad Kal. Novembris, quo die à Pontificiis Panagia celebrantur, haberet Orationem; Hanc ei suggerebat *Johannes Calvinus*, quo cum ipsi usus erat ac familiaritas, quique eopse tempore, propter parentis obitum Lutetiam se receperat; In ea (d) purius & apertius quam antea consuevissent, de Religione disserebatur: Hoc verò cum Theologi ferre non possent, nec probaret Senatus, quem Parlamentum vocant, citatus est Rector; Is autem cum nihil mali suspicaretur, se in viam dare atque præsentissimum incurrere periculum, nisi ab amicis in itinere fuisset admonitus, qui, quid in ipsum molirentur adversarii, indicabant; Tum verò is domum reversus, ex ipso haud ita multo post Regno excedens Basileam se contulit. Itum vero est tum in Gymnasium, quod Fortretum vocant, ubi *Calvinus* sibi Domicilium delegerat, quo forte domi non reperto, deprehensis inter schedas multis amicorum literis, nil propius factum, quam ut plurimi in maximum vitæ discrimen incurrerent; Ita tum erant

(a) Is erat *Gulielmus* PARVI, itidem Sorbonensis Doctor & Episcopus Sylvanectensis, Regisque Francisci Confessionarius: de quo BEZA in Hist. Eccles. p. 13. *Guillaume* PARVI, docteur de Sorbonne, Evesque de Senlis, & confesseur du Roy; lequel pour la (loquitur de Regina) gratifier, & non pour vray zele, qu'il eut à la religion, feit imprimer les heures en Francois &c.

(b) Idem scil. ille, Episcopus Sylvanectensis.

(c) Ea omnia sunt CALVINI verba in Epistola citata.

(d) BEZA Vit. Calvini p. 367.

erant (a) acres illi admodum adversus Ecclesiam Judices, & in his quidem præcipuè *Johannes* quidam *Morinus*, cujus adhuc nomen ab insigni sævitia celebratur. Sed hanc tempestatem Dominus, Reginæ Navarrensis intercessione dissipavit (b), misso in aulam, ibique perhonorifice ab ea accepto & audito *Calvino*;

Intereà tamen, quænam superioris illius fabulæ fuerit catastrophe, non adeò perspicuè relatum est à Nostris, & Pontificii scriptores eam totam silentio involvunt, nisi quod tamen ex iis quæ in Historia Gymnasii Navarreni annotavit *Johannes* LAUNOJUS ad eundem hunc annum 1533. satis liquido colligi possit, quod & *Nicolaus* ille *Clericus*, & *Franciscus Picartus*, & *Natalis* quoque *Bedda* in carcerem fuerint dati, suæ temeritatis & violenti erga veritatem animi (quanquam has causas dissimulet *Launojus*) pœnas daturi, tametsi paulo post exinde quoque denuò referantur liberati; Juvat ipsa *Launoji* (c) adducere verba, quæ ita se habent: „ Anno 1533. *Franciscus Picartus*, cum adhuc esset Baccalaureus, contra Lutheranos occultos in Quadragesima prædicavit, & illorum insidiis in exilium missus est, ut manuscriptum quoddam Cœnobii S. Victoris diarium testatur. Sed res paulo aliter narratur in Actis Facultatis Medicinæ Paris. ad d. 21. Novembris. *Quod ad secundum articulum supplicavit* quidam Doctor Theologus cognomento Luillier, ut mitterentur Oratores ad Regem nomine & expensis totius Universitatis, pro liberatione *Natalis Beddæ* & *Nicolai Clerici*, Doctorum Theologorum, qui tunc de mandato Regis detinebantur captivi in carceribus D. Parisiensis episcopi, & cujusdam etiam licentiandi Theologi cognomento *Picart*. Ad hanc supplicationem respondit Facultas unà cum aliis Facultatibus, rem maturo consilio tractandam esse, neque ita præcipitanter Regem pro hujusmodi negotio adeundum esse, ne oleum adderemus camino & moveremus camarinam. Parata tamen fuit Facultas omnem favorem, & quod posset auxilium

 „ illis

(a) BEZA in Vit. Calvini p. 367.
(b) BEZA ibid.
(c) LAUNOJ. Hist. Gymm. Navarr. l. c. p. 411.

„ illis impertiri, data occasione. *Clericus* & *Picart* liberati sunt
„ post aliquot dies, sed *Bedda* missus est in exilium. „

Quidquid sit, eodem hoc tempore allatum quoque fuisse diploma Regium docemur ad Sorbonnam (a), quo posthabita Facultate Theologica, Parisiensi Episcopo permittitur præficere quos velit singulis parochiis concionatores, qui prius pro libidine Sorbonistarum eligebantur, ut quisque erat clamosissimus & stolido furore præditus, quem illi zelum vocant.

Neque tamen Parisienses solum adversus Reginam Navarrenam suum proferebant furorem, sed & sub iisdem diebus apud Bituriges simile quid contigisse refert *Franciscus* JUNIUS, eximius ille Theologus Leidensis, qui Biturigum metropolim habebat patriam: Verba ejus (b) hæc sunt: „ Est Uxelloduni (hoc nomen
„ secundarii apud Biturigas oppidi vino lanitioque celebris) in
„ suburbio Cœnobium Franciscanorum: cui pater Gardianus
„ (uti appellatur vulgo) præerat quidam Frater Tossanus, vir
„ impurissimi oris & corporis, & ad omne flagitium paratissi-
„ mus. Iste autem de Navarrena Regina Margarita (quæ Dux
„ quoque erat Biturigum (c)) palam concionari non dubitave-
„ rat, Lutheranam eam esse, dignam quæ obvoluta sacco in
„ profluentem jaceretur, atque alia id genus. Hæc quum diu-
„ tius Gardianus iste, quamvis monitus, pergeret pronunciare,
„ non potuit magistratus loci bona fide dissimulare factum. Quæ-
„ stio habetur, audiuntur testes, ad Regem perscribitur. Hic
„ Rex indignari: hominem ad supplicium, cui sororem addixe-
„ rat, plane deposcere; rescribere Magistratui, ut comprehen-
„ datur & quamprimum adducatur ad se. Regina pro sua cle-
„ mentia intercessit, suppliciumque lenius in hominem pessimè
„ de se meritum statui procuravit, ut biennium scilicet remi-
„ gio daret in mari mediterraneo ex decreto Regis. „

Cæterum, quod ipsa Regina Sacram Scripturam legendi esset avidissima, eam ut sibi prælegerent lingua Gallica, in quam rudi

(a) CALVIN. Epist. cit. sub finem. Conf. BAYLE v. Navarre p. 468.
(b) Franc. JUNIUS in Vita sua §. III. in *Scrinio* nostro *Antiquar.* sive *Misc. Gron. nov.* Tomi I. P. II. pag. 211.
(c) La Duchesse de Berry.

di licet ſtylo ea tum quoque jam tranſlata erat, qui pone ipſam erant, curabat (a); Quin imò etiam in ipſa Pariſiorum urbe Lutetia tres inſignes fovebat Verbi Divini Miniſtros, qui negotium Chriſti plurimum promovebant, *Gerardum Rufum* Magiſtrum quidem Sorbonicum, ſed pietatis ſtudia magnopere tunc adjuvantem, duosque alios Auguſtiniani Ordinis Monachos, alterum *Bertaldum* alterum *Coraldum* dictum: Qui tamen omnes (b) brevi poſt adverſariorum nutu & apud Regem clamoribus, à munere publice concionandi deſiſtere debuerunt, atque ex pulpito deturbati in carcerem ſunt conjecti: Ex quo tamen cum brevi poſt evaderent, *Bertaldus* deinceps à veritate divortium fecit, factus Canonicus Eccleſiæ Biſuntinenſis, *Rufus* in ditiones Navarrenas ſeceſſit, atque tandem ad Epiſcopatum Oleronenſem eſt evectus; *Coraldus* autem ſolus in veritate conſtans apud Genevenſes Gulielmi Farelli collega miniſterium obivit.

Neque ſane multum aberat, quin Margarita noſtra, cum iteratis ſuaſionibus & pro Evangelicis interceſſionibus, tum exemplo ſuo, *Francisci* Regis animum in mitiorem deflexiſſet ſententiam, quippe quæ ita non deſiſtebat per Aquitaniam & Benearniam res reformatas promovere, ut quoque in iis regionibus jam haberentur cœtus, crearentur paſtores, & Sacra Domini Cœna Evangelico ritu celebraretur (c) ita ſcilicet, ut poſt habitam con-

(a) *Florim* REMOND loc. cit. p. 849. apud BAYL. l. c. p. 467. qui & ante omnia addit Bertrandi Eliæ teſtimonium in Hiſtoria Comitum Fuxenſium, quod fol. 103. ita ſe habet: *Cujus* (ſcil. Reginæ) *etiam manibus ſanctiſſimum illud Veteris novique Teſtamenti volumen, quod Bibliam appellant, nunquam vel rarò exit, ſemper divinis, ut verè Chriſtianam decet intenta libellis: nihil unquam niſi divinum cogitat ſuadetque, adeo ut ipſe etiam meminerim, me aliquando ob ea cum Appamyam veniſſet, humaniſſimè ſubmonitum, juſſumque, partem aliquam vel Veteris vel Novi Teſtamenti maximo affectu, orationis inſtar quotidie legere, quo ſane ut ipſa ajebat, noſque etiam poſtea experti ſumus, noſtra mens à vitio averteretur, & ad virtutes facilius accederet.*

(b) BEZE Hiſt. Eccleſ. p. 14. & 15. it. in Vita Calvini p. 367.

(c) vid. du PIN Biblioth. nov. Scriptor. eccleſiaſticor. Tom. XIII. p. 174.

concionem, S. Cœnam, quam *Manducationem* (a) vocabant, vero Pane & Vino, ad exemplum & præceptum Christi, sumerent. Quid? quod ipsa Regina, *septem* tum quoque potissimum *capita* prorsus immutanda Regi proponere non vereretur (b), *primò*, ut nullæ essent Missæ sine communicantibus, *secundò*; Ut nulla fieret Hostiæ elevatio, *Tertiò*, ut nulla esset ejusdem adoratio, *quartò*, ut communio sub utraque specie fieret, *quintò*, Ut in Missæ solemnibus nulla fieret B. Virginis nec Sanctorum commemoratio, *sextò*, Ut communis panis frangendus & populo distribuendus adhiberetur, & *Septimò*, Ut presbyteri ad cœlibatum non adigerentur. Quanquam hæc omnia (*Missam septem capitum*, *la Messe aux sept points* dixerunt) & fastidiose sint rejecta & in spongiam incumbere debuerint.

§. XXXIII. His ferè diebus monachi Franciscani cruentum ac funestum ediderunt ludum in Galliis, Aureliæ (c). Res verò sic se habet. Prætoris uxor ejus urbis, testamento caverat, ut sine pompa sepeliretur atque strepitu. Cùm enim è vita quis excessit in Galliis, præcones funebres, ad hoc conducti, per urbis loca frequentiora circumeunt, & cymbalis excitato sono multitudinem convocant: deinde nomen ejus qui decessit atque titulos edunt, & hortati populum, ut pro mortuo Deum precentur, quandò sit & ubi sepeliendus, pronuntiant. Cum autem funus defertur, adhiberi solent plerunque monachi mendicantes, & multa præferuntur luminaria. Certatim ista fiunt, & æmulatione quadam, & quò magnificentior est apparatus, eò major est populi concursus & admiratio. Sed ea, quam dixi, fœmina, nihil earum rerum sibi fieri voluit. Maritus ergò, qui conjugis memoriam diligeret, morem ei gessit, & Franciscanis, quorum in templo sepulta fuit juxta patrem & avum, muneris loco dabat

(a) PERIZON. Hist. Sec. XVI. pag. 237.

(b) Has Propositiones à *Gerardo Rufo* & ejus sociis esse profectas, atque à Regina, Fratri propositas ad sui ipsius exculpationem, quippe quæ diceretur, omnem Missam abolevisse aut abolere velle, tradit du PINIUS loc. cit.

(c) SLEIDAN. Histor. Lib. IX. fol. 141. a. b. & SCULTET. Annal. Tom. II. p. 463. conf. BEZE Hist. Eccles. p. 17.

bat ſex tantum aureos, cum illi multò ſperaſſent majorem prædam. Et cum deinde ſylvam cæderet atque divenderet, petentibus illis ligna ſibi dari gratis, denegabat. Tulerunt hoc valdè graviter, & cum antea minus illum probarent, ulciſcendi rationem hanc excogitabant, ut dicerent ipſius uxorem in ſempiternum eſſe damnatam. Architecti erant hujus tragœdiæ Colimannus & Stephanus Atrebatenſis, ambo Theologi doctores. Et ille quidem erat exorciſta, totumque ſuum apparatum, in ejusmodi rebus adhiberi ſolitum, habebat in promptu. Rem verò ſic adminiſtrant. Novicium quendam adoleſcentem ſupra teſtudinem templi collocant. Is intempeſta nocte, cum ad demurmurandas preces illi more conſueto venirent, magnum excitat ſtrepitum. Adhibentur adjurationes & exorcismi: ſed nihil ille proloquitur. Juſſus edere ſignum, quo declaret, num ſit mutus ſpiritus, denuò tumultuatur & perſtrepit: id erat loco ſigni. Eo jacto fundamento, cives aliquot, & celebres quidem, ac ipſorum ſtudioſos adeunt: narrant ſibi triſte quiddam accidiſſe domi, neque tamen quid rei ſit, exponunt: ſed rogant, ne graventur adeſſe nocturnis precibus. Cum hi veniſſent, & precationum eſſet factum initium, ille de ſuperiori loco turbam excitat. Rogatus quid vellet, & quis eſſet, ſignificat non ſibi licere loqui. Jubetur ergò per ſigna reſpondere ad interrogata. Foramen autem erat factum, per quod, admotis auribus, exorciſtæ vocem haurire poterat & intelligere. Deinde tabulam habebat ad manum, quam interrogatus feriebat, ſic ut infrà poſſet exaudiri. Primum itaque rogatur, num ſit ex eorum numero, qui ſint ibi ſepulti, poſtea multis ordine recitatis nominatim, quorum erant ibi corpora condita, venitur tandem ad uxorem Prætoris. Ibi dato ſigno, ſe ſpiritum ejus eſſe demonſtrat. An ſit damnatus, & quonam ſuo merito ſeu delicto? num propter avaritiam, aut libidinem, aut ſuperbiam, aut non præſtitam charitatem, an verò propter nuper natam hæreſim, & Lutheranismum? deinde, quid ſibi velit illo ſtrepitu & inquietudine? num, ut corpus loco ſacro ſepultum effodiatur, alioque transportetur? Ad hæc omnia, ſicut juſſus erat, per ſigna reſpondet, quibus aliquid vel affirmabat vel negabat, prout bis

aut ter tabulam feriret. Cum autem & suæ damnationis causam esse Lutheranam hæresim, & effodiendum esse corpus significaret, monachi petunt à civibus, quos adhibuerant, ut iis, quæ coram vidissent, dent testimonium, & actis, quæ jam erant confecta superioribus diebus, subscribant. Hi re deliberata, ne Prætorem offenderent, aut molestiam sibi crearent, id facere recusant. Illi nihilominus panem azymum, quem vocant hostiam & corpus Domini, cum reliquiis omnibus Divorum, aliò transferunt, & Missas ibi suas peragunt. Quod lege Pontificia fieri solet, cum locus aliquis propter infamiam & prophanationem est expiandus. Nam certa quædam ejus rei capita sunt ipsorum comprehensa libris. Episcopi autem vicarius judex, Officialem vocant, ea re cognita, ut propius omnia cognosceret, venit eò, comitatus honestis aliquot viris: & exorcismos fieri se præsente jubet, ac deligi nonnullos petit, qui supra testudinem ascendant, & videant, num spectrum aliquod appareat. Ibi Stephanus Atrebatensis admodum repugnat, & valde dehortatus ne fieret, ajebat non esse turbandum spiritum. Et quanquam is, quem dixi, vicarius multum instabat ut adjurationes fierent, tamen impetrare nihil potuit.

Interea Prætor, ubi reliquos judices urbanos, quid fieri vellet, docuisset, ad Regem profectus, rem omnem commemorat. Et quia suis privilegiis ac immunitatibus freti, judicium Monachi declinabant, Rex è Senatu Parisino deligit, qui de causa cognoscant, iisque plenam potestatem atribuit. Facit idem Cancellarius, Antonius Pratensis, cardinalis & legatus per Galliam pontificius. Itaque, cum nullam haberent exceptionem rei, traducti Lutetiam, coacti sunt respondere: sed nulla potuit ab eis exprimi confessio. Positæ singulis erant custodiæ separatim: & novicius quidem tenebatur in ædibus Fumæi senatoris: ac sæpe solicitatus nihil voluit fateri, metuens ne post interficeretur ab illis, ob inustam ordini maculam & factam ignominiam. Sed, cum judices & impunitatem ei promitterent, & fore dicerent ut in ipsorum potestatem minimè rediret, totam actionem ordine recenset: & adductus ad illos, idem affirmat. Illi, quanquam erant convicti, & in ipso propè maleficio deprehensi, recusabant tamen judices,

ces, ac privilegia sua jactabant. Verum id frustrà fuit, & de communi consilio lata sententia damnati sunt, ut Aureliam reducti & in carcerem conditi, publicè deinde producerentur ad primarium templum, & ad eum urbis locum, ubi supplicia sumuntur de maleficis: atque ibi suum scelus ipsi profiterentur. Sed his ipsis ferè diebus incidit in Lutheranos persecutio, quæ res in causa fuit, quò minus ea sententia, licet admodum lenis pro tanto flagitio, veniret in executionem. Nam quia Lutheranorum nomen erat odiosissimum, metus erat, ne si quid gravius fieret, non tam illis debita persoluta pœna, quam Ordini facta putaretur injuria: & quicquid eis accideret, Lutheranis id jucundissimum fore spectaculum plerique judicabant. Franciscanorum autem Ordo magnam habet ad vulgus opinionem sanctimoniæ: & quum illi jam damnati Lutetia deportarentur Aureliam, fœminæ quædam, impulsæ misericordia, multis cum lachrymis atque suspiriis, ad portam eos usque sequebantur. Ubi venissent Aureliam, in singulos carceres abducti, rursus immunitatem ac privilegia sua jactabant & tandem post diuturnam custodiam, nulla graviori pœna mulctati, ac soluti vinculis evaserunt. Dum essent captivi, nihil eis deerat, & tam ad victum, quam ad comparandum patrocinium atque gratiam, abundè subministratum eis fuit, à fœminis præsertim. Nisi persecutiones illæ, quas attigimus, & incendia rem impedivissent, constituerat Rex, ut quidem ferebatur, ædificium illorum omne diruere ac æquare solo.

Cæterum in regno Pontificio creberrima solébant esse spectra. Nam demortuorum spiritus, ut credebatur, tumultuantes à funere quamobrem vel essent damnati, vel ad tempus, igni purgatorio, sicut vocant, affligerentur, exponebant, & proximos, agnatos vel amicos, ut miseris opem ferrent, solicitabant. Frequens autem erat, ut aut vota, quæ Divis fecissent, persolvi, vel pro sui liberatione, Missarum aliquem certum numerum atque sacrificia fieri postularent. Ea res & opinionem purgatorii mirabiliter auxit, & Missis authoritatem summam conciliavit, & sacrificis erat supra modum quæstuosa.

§. XXXIV. Sed ut illarum persecutionum Anno 1534. quem

annum eapropter ſingulari nomine Programmatum & inſcriptorum (*l'An des placards*) denominarunt, ſuſcitatarum graviſſimarum rationem & cauſam paulò altius rimemur, eſt neceſſe;

Erant Fideles quamplurimi, qui, cum viderent apud Pariſienſes doctoribus Evangelicis etiam privatam docendi rationem prohiberi, ſeque adeò planè concionibus deſtitutos in mero luctu & ſqualore verſari, præcipiti quodam animi impetu, facto inter ſe conſortio rem ad Allobroges deferebant, illorum expetentes ſibi quid facto opus eſſet conſilium.

Itaque *Feretum* quendam (a) famulum tum pharmacopolæ Regii, ad eam expeditionem deligunt, delectum expediunt, qui Neocomum profectus ſub id fere tempus, cum *Gulielmus Farellus* Evangelium auſpicatò Genevæ profiteri cepiſſet, programmata quædam in Miſſæ deliria & rituum hujusmodi Papiſticorum ludibria characteribus excudi curavit. Quibus inſcriptionibus Lutetiam deportatis, deductisque in deliberationem, proferrine eas an omnino comprimi oporteret? Couraldus ipſe quidem „ minimè proferri cenſebat oportere, hinc enim & motum maximum populi fore, & hujus totius facinoris invidiam in odium „ atque caput fidelium hominum redundaturam eſſe. „ Ad extremum autem placuit, optimis quidem illis & ſtudioſis hominibus, at fervidioribus, uſuque rerum minus quam illa tempora poſtularent eruditis, ut non modo proferrentur, ſed etiam compitatim affigerentur.

Erant ea programmata libellive (b) illi ſtylo confecti vibrante quodam & incitato, atque potiſſimum in Miſſam tanquam turbinem & funus Sacroſanctæ Cœnæ D. N. J. C. impetu rapidiſſimo ferebantur. Sparguntur igitur illi libelli in vulgus, quinimò etiam compitatim Lutetiæ affiguntur, idque menſe Octo-

(a) Acta Martyrum 1560. 4. fol. 64. b.

(b) Hos articulos ſive libellos, propter rei memoriam, referemus inter Documenta huic volumini ſubnexa Num. XI. idque tantò lubentius, quod, cum in iis inprimis transſubſtantiatio & ubiquitas corporis Chriſti in S. Cœna negetur & rejiciatur, exinde conjecturam nobis facere licet, quam, tametſi *Lutherani* vulgato nomine dicerentur hi Chriſtiani, longiſſimè tamen abfuerint, à priva Lutheri circa cauſam Euchariſticam doctrina.

Octobri A. 1533. in ipso ostio Palatii Regii Fontis Bellaqueensis ubi tum Aula commorabatur. Id verò non poterat non indignè ferre Rex, ceteroquin non adeò amplius ab ipsis alienus, sed hac agendi ratione nimium quantum exacerbatus; Neque sanè ulla tum erat mora, quin atroci edicto, omnes qui in tenuissimam aliquam suspicionem incidebant, feriret, atque comprehendi juberet, sed & nullus erat modus aut finis suppliciorum (a); Unde miserabilis ecclesiæ facies & luctuosæ multorum mortes sunt consecutæ:

Et sunt memorabiles plane *Johannis* STURMII, qui tum Lutetiæ vivebat, ea de re literæ pridie Nonas Martii 1534. datæ ad *Philippum Melanchthonem*, dignæ quæ hic legantur (b): „ Si in amicorum negotiis tibi aliquando literæ meæ „ fuerunt gratæ, si unquam bonorum virorum res salvas esse „ cupivisti; eò majori curæ tibi hæc esse debent, quò ma„ gis in communi salute & tranquillitate retinenda versantur. „ Ut in turbulentissimis maximeque perniciosis tempestatibus „ jactamur, ex optimo & pulcerrimo statu, cujus nobis viri „ prudentes auctores fuerunt, in maximas calamitates & sum„ mas ærumnas ineptissimorum hominum consiliis delapsi sumus. „ Scripsi tibi superiori anno, quam pulcrè staremus, quam be„ nè de Regis æquitate sperandum esset: gratulabamur tum no„ bis in vicem: sed eam occasionem homines furiosi propè om„ nem abstulerunt. Per Mensem enim Octobrem, quod non „ satis esse putarunt, læta fieri principia: quod metuerunt, pa„ rum multos fore suarum partium, nisi astutis, ut ipsis vide„ batur, sed ut res indicat, stultissimis & seditiosissimis rationi„ bus regna & gentes perturbarent; libellos uno tempore de „ *Ordinibus Ecclesiasticis*, de *Missa*, de *Eucharistia*, per uni„ versam ferè Galliam nocte in omnibus angulis affixerunt, im„ manibus & tragicis exclamationibus. Ante Regis etiam con„ clave agglutinarunt, quo certiora & magis perniciosa pericula „ crearentur. Nam perturbatus hac re populus, territæ mul-

(a) vid. CAMERAR. Vita Melanchth. p. m. 145.
(b) Apud SCULTET. Annal. T. II. p. 443. sq.

„ torum cogitationes, concitati magiſtratus, inflammatus Rex, „ graviſſima judicia conſtituerunt. Nec immeritò, ſi tamen ea „ in re ſervari modus poſſet. Ex conſciis quidam deprehenſi, „ pœnas dederunt, quidam maturè ſibi conſulentes, aufuge„ runt. Qui ad ſe ea pericula non ſpectare putabant, qui non „ contaminati erant eo ſcelere, hi etiam in partem pœnarum „ veniunt. Delatores & quadruplatores publicè comparantur: „ cuilibet ſimul & accuſatori & teſti in eadem cauſa eſſe licet. „ Non vana ſunt, quæ ſcribo, & ſic habeto, me nec omnia „ ſcribere, nec ita ſcribere, ut ipſarum rerum luctuoſiſſima con„ ditio requirit. Octodecim uſtulati ſunt; plures capti idem „ ſupplicium expectant; Serpunt quotidie latius pericula, ne„ que quisquam eſt, qui bonus ſit, qui neque extimeſcat ca„ lumnias ac judicia, neque dolore indigniſſimorum ſpectaculo„ rum conficiatur. Regnant adverſarii veſtri, & eò magis, quod „ juſtis de cauſis obtinuiſſe videantur, ut in pacandis ſeditioſe „ concitatis rebus regnent. In tot tantisque malis ſolum hæc „ ſpes nos jam reficit. Si immanis iſta ſeveritas populo diſpli„ cere incipiat, ſi Rex intelligat, nimium ſitire calamitoſorum „ hominum ſanguinem, à quibus alieniſſima deberet eſſe vindic„ tæ cupiditas, (odio enim magno, non æquitate agere viden„ tur,) ſi videat μιαιφόνους hominum mentes; inclinabit, ut ſpe„ ramus, ejus animus, & meliora capiet conſilia. Eſt hoc exi„ guum ſolatium; ſed tamen non diffidimus Deum eſſe, qui mo„ deraturus ſit has tempeſtates, & portum aliquem perfugium„ que oſtendat, qui nobis viros bonos adhuc reſervat, qui gra„ tia & autoritate plurimum poſſunt, qui aliquando liberè, quod „ cogitant, audebunt dicere. Hujus rei nobis iſtud eſt indi„ cium. Per Langios, quorum familiam tibi notam eſſe credo „ obtinuimus, quo in nos qui Germanici nominis ſumus, mi„ nus odioſè animadverteretur. Edixit Rex, ut quicunque ex „ Germanis coërcerentur, in re capitali, una cum cauſa & ac„ tis, in Germaniam, quisque ad ſuum principem remittan„ tur. „

§. XXXV. Quidquid ſit, inquiri cœptum eſt, atque inveſtilicium nonnulli, quidam verò per ſuſpicionem

com-

comprehensi (a), habita quæstione vivi cremantur, horribili sanè spectaculo. Nam ad machinam alligati, & in altum sublati, deinde in ignem è sublimi demissi, & rursus adducti: carnifice demum abscindente funem, in subjectam flammam corruebant. Iis etiam qui paulò videbantur eruditiores, antequam producerentur, lingua resecta fuit, ne vel supplicii causam, vel suæ doctrinæ summam ad populum explicarent. Erat autem hujus rei perquam idoneus administer, *Joannes Morinus*, proprætor. Etenim, ut sagacissimè noverat eos odorari & pervestigare, de quibus erat aliquid suspicionis: ita etiam, quum deprehendisset, in irrogandis pœnis atque suppliciis omnem propè sensum humanitatis exuebat.

Prodiit nihilominus hoc tempore libellus authoris incerti, Gallica lingua conscriptus in pontificios mercatores atque caupones: facetus quidem, sed serius & gravitate conditus. Ac primò quidem, inquit ille, „ mercatura, vitæ genus est & exercitium, „ non illiberale nec inutile Reipublicæ, modò fraus absit & „ avaritia. Nam Christus ab hoc hominum genere similitudi„ nem sumpsit, quandò jussit exerceri talentum acceptum, ut „ fieret fructuosum. Qui quidem locus est intelligendus mysti„ cè. Pastores enim & Ecclesiæ ministros nihil minus decet, „ quam vel ulla suspicio sordidi quæstus. Veruntamen Deus ho„ minum sceleribus offensus, in Ecclesiam suam invadere per„ misit atque grassari, non solum mercatores prædivites & am„ plos, verumetiam fures. Quis enim non furem esse dicat eum, „ qui vel alienam vel adulterinam mercem, pro sua, proque „ sincera divendit? annon emptor pulchrè decipitur? Sed hoc „ nobis jam olim accidit. Nam loco pastorum insinuarunt se „ lupi supra modum rapaces. Et quanquam nullius ingenium „ aut lingua satis explicare possit illorum artes omneis, tamen „ nonnullas attingam. Negotiatores igitur hi, de quibus lo„ quimur, callidi sunt supra modum, suamque mercaturam sic „ amplificarunt, ut nullus omnino sit locus vel angulus, quem „ non suis repleverint tabernis: & hæc quidem omnia, specie

„ qua-

(a) SLEIDAN. Lib. IX. fol. 145. sqq. it. POPELINIERE Hist. de France L. I. p. 33b.

„ quadam ſimulata ſanctimoniæ. Veſtitu verò differunt à reli-
„ quis, & ſunt plerique raſo vertice: nec enim ulli, qui non
„ magnæ illius beſtiæ characterem habeat & inſigne, mercatu-
„ ram exercere conceditur. Hi ſoli vendunt, revendunt, per-
„ mutant, & quidem omni tempore. Nam cæteri mercatores,
„ diebus feſtis, præſertim celebrioribus, planè ceſſant: Deinde,
„ plerique ſectantur & exercent unum aliquod mercaturæ genus.
„ Aut enim lanam, aut ſericum, aut frumentum, aut vinum,
„ aut pecora vel metalla diſtrahunt: hi verò nullum anni tem-
„ pus intermittunt, & omnis generis merces tractant, nihilque
„ eſt, quod ipſorum manus effugiat, non viri, non mulieres,
„ non infantes, tam nati, quam naſcituri. Quæſtum enim fa-
„ ciunt ex omnibus rebus in univerſum. Servit ipſorum cupidi-
„ tati cælum, infernus, terra, tempus ipſum & omnes planè
„ creaturæ, tum animatæ tum inanimes, vinum, panis, oleum,
„ linum, lac, butyrum, caſeus, aqua, ſal, ignis, fumigatio-
„ nes. Ex his, inquam, rebus omnibus norunt elicere aurum
„ & argentum, incredibili ſanè cum populi diſpendio, tum for-
„ tunarum, tum animæ cumprimis, vitiata nimirum & prorſus
„ extincta vera de Deo doctrina. Quid? eſtne ſubtilis cujusdam
„ artis, vendere aliquid, & carè quidem, unde nihil ad emp-
„ torem perveniat, præter ſolum aſpectum rei venditæ? Mer-
„ catores alii, quando ſuas merces exponunt, proverbio dicere
„ ſolent, Exhibitæ rei conſpectum eſſe gratuitum, & omnibus
„ communem: hi verò noſtri longè ſecus faciunt. Decedit quis-
„ piam è vita: mox tibi præſto ſunt, rogant, velisne mortui
„ corpus ad ſepulturam deferri, ſtragula honeſtiori contectum,
„ an ſordidiore vel mediocri? velisne crucem elegantem, an ve-
„ rò minus pulchram anteferri? Nam prout delegeris, dandum
„ erit pretium. Obſecro te, quid habes, quid aufers præter
„ intuitum? nam mercem oſtentatam reponunt, & poſtridie al-
„ teri tantidem vendunt. Ejusdem eſt artificii, quod ex merca-
„ toris etiam veſtitu pretium augetur. Quam enim Abbas de-
„ cantat aut Epiſcopus, multò conſtat majoris, quàm alicujus
„ monachi ſeu vicarii, Miſſa. Qua quidem in re nihil differunt
„ à meretricibus. Nam hæ, quò ſunt ornatiori cultu, eò carius
„ tur-

„ turpitudinem suam vendunt. Huc pertinet, quod eandem rem,
„ eodem temporis puncto, pluribus divendunt in solidum, &
„ quidem insciis emptoribus præsertim iis locis, ubi maior est
„ hominum frequentia. Venit ex nobilitate quispiam in ædem
„ Dominicanorum, & Missam deposcit: annuit monachus. Mox
„ alius idem petit, & item tertius, eòque plures. Prodit tandem
„ ille personatus, & Missa peracta, pecuniam à singulis accipit
„ integram. Hoccine tu nihil esse putas? Ingenio certè res ista
„ non caret: ac ferè videas, non illis ad faciundum quæstum
„ aliqua majori opus esse materia. Nam vel ceræ particulam
„ sibi fructuosam faciunt. Fortè in templum ingreditur mulier-
„ cula quæpiam, & cereum ante Divum aliquem affigit. Adest
„ è vestigio meus hic venditor: corripit cereum, extinguit, &
„ compluribus deinde aliis ordine vendit. Ceram autem pleri-
„ que omnes exercent, tenuiores quidem, sic ut jam diximus,
„ majores autem in literis atque diplomatis: cujusmodi sunt, qui
„ vulgò dicuntur Officiales, copistæ, sigilliferi, datarii, & id
„ genus alii. Magnificus autem ille, qui cæteris omnibus præ-
„ stat, & sanctissimi nomen sibi sumit, non quidem utitur ce-
„ ra, sed mirabili quodam artificio plumbum convertit in au-
„ rum. Deinde pileos maximo vendit, præsertim purpureos,
„ quibus amplificati emptores, passim in hominum cœtu sese
„ ostentant, & alacres per omnia loca volitant, Regumque fe-
„ re sectantur aulas, & maximis fruuntur prærogativis. Obti-
„ nent enim quotlibet sacerdotia, & sine sumptu quidem atque
„ dispendio: deinde sunt ejus ordinis, unde proximus est ascen-
„ sus ad summum dignitatis gradum atque sedem. Horum exem-
„ plo, Sorbonistæ Lutetiani suos etiam pileos divendunt theo-
„ logiæ candidatis, eorumque sumptu epulantur spendidissimè.
„ Sed hic scire velim, quando quidem *Joannem* ejus nominis
„ octavum, fuisse fœminam, & tertio pontificatus anno filium
„ peperisse tradunt, scire, inquam, velim, primum, an Spiri-
„ tus sancti numine fuerit electa? Deinde, num ejus acta debeant
„ haberi rata? quandò videlicet aut cardinalatus aut episcopa-
„ tus aut abbatias vendidit. Postremò, quid sentiendum sit de
„ charactere sacerdotali, quo fuit insignita?

„ Sed ad inſtitutum redeo, quod eò pertinet, ut oſtendam, hoc
„ negotiatorum genere nihil eſſe magis aſtutum aut captioſum in
„ orbe terrarum. An non videmus, quemadmodum imperia, reg-
„ na, provincias, urbes ac poſſeſſiones ampliſſimas ad ſe traduxe-
„ rint? An non ſæpe reges principesque viros redegerunt in ordi-
„ nem, & ſpoliatos rebus omnibus in ſummas conjecerunt angu-
„ ſtias? Nunc autem eò potentiæ devenerunt, ut hæc omnia vi
„ poſſideant, & cælum terræ miſceri potius velint, quàm pati
„ ſibi quicquam auferri. O lupos inſatiabiles? quam accurate vos
„ depinxerunt multis antè ſeculis, tum Prophetæ, tum Apoſto-
„ li, *Paulus* imprimis atque *Petrus*. Negotiatores reliqui ne-
„ minem adigunt ad ſuarum mercium emptionem: hi verò co-
„ gunt invitos, ut emant: & ſi quis recuſet, hæreticum eſſe
„ clamitant Moritur quiſpiam re valde tenui, relictis liberis &
„ uxore. Lamentabilis nimirum caſus: & vidua mulier libera-
„ litate aliqua meritò ſublevanda. Quid autem iſti? Non modò
„ non miſerentur, ſed mox ad prædam oculos adjiciunt, & de-
„ murmuratis cantionibus atque Miſſis, epulum ac pecuniam
„ depoſcunt. Quid autem eſt iniquius, quam vendere rem non
„ ſuam, imò vendere iis, ad quos ea propriè pertinet, & qui-
„ dem compluribus rem unam? Cedo, campanas quis fieri cu-
„ ravit atque conflari? Solum & area templi ad quem, obſe-
„ cro, pertinet? Num illorum eſt patrimonium? minimè. Cur
„ igitur ſonitum campanæ, cur ſolum alienum tam care, tam-
„ que ſæpe divendunt? Dicent, opinor, hoc eſſe jus Eccleſiæ.
„ Fateor: ſed non ejus, quam Chriſtus lavit, inſtituit, ſancti-
„ ficavit: verum ejus, in qua verſantur ipſi, quæ furtis, rapi-
„ nis, & omnis generis eſt accumulata flagitiis. Nam Chriſtus
„ jubet hæc omnia conferri gratis. Periucundum eſt autem &
„ elegans valde ſpectaculum, videre decertantes inter ſe vultu-
„ res de cadavere. Quum enim aliquis re lauta deceſſit è vivis,
„ mox illi convolant, & in prædam pro ſe quisque totis viri-
„ bus incumbunt: hi præcipuè, qui vulgò nomen habent à
„ mendicitate, monachi. Nam Franciſcani cum Dominicanis,
„ Carmelitæ verò cum Auguſtinenſibus non rarò digladiantur,
„ condendi corporis atque ſepulturæ cauſa. Genus hominum
„ vi-

,, videlicet ignavum, iners, & non inutile modò, sed etiam
,, grave cumprimis, & meritò pellendum è Republica. Hæc
,, quæ dico, negari non possunt, & palàm conspiciuntur: &
,, tamen sic infatuati sunt miseri mortales, ut quo ducantur illi
,, spiritu, non intelligant. Quum sacerdotium aliquod vacat
,, aut præfectura, Deus bone, quæ solicitatio, qui concursus,
,, quam diligens inquisitio de proventibus annuis, quid absenti,
,, quid præsenti conducat: quantum ex infantium Baptismis,
,, ex matrimoniis, ex Divorum, quas vocant, reliquiis, ab an-
,, niversariis exequiis, è sepulturis, ex legatis atque testamentis
,, corradi possit. Optimum verò est aucupium ex Divis illis,
,, qui propter opinionem alicujus potentiæ sunt formidabiles, &
,, tanquam Vejoves conciliantur donis atque votis. Quid ad ista
,, tam nefaria & impia connivetis viri principes? Cur tantam
,, indignitatem, tam patienter, tam longo tempore dissimula-
,, tis? Recusant illi quidem vestram cognitionem: sed tamen
,, habetis in ipsos revera, velint, nolint, imperium. Vobis enim
,, à Deo traditus est gladius, & coercendi potestas. Quin eam
,, exercetis igitur, & in raptorum genus hoc immanissimum vin-
,, dicatis? Requirit hoc à vobis officium Deus, & neglectum
,, non dimittet impunitum. Utinam in ejus celebranda gloria
,, tam sitis vigilantes & excitati, quam sunt hi suis in negotiis
,, tractandis. Nec enim ullam prætermittunt occasionem. Stant
,, in perpetuis excubiis vigiles & erecti, nec minus oculati,
,, quam Janus pater aut Argus. Quod si campanæ sonitus ali-
,, cubi exauditur, mox illuc accurrunt: si quis locupletior ægro-
,, tet, ingerunt sese, neque discedunt nisi ablata præda: si nup-
,, tiæ peragantur, adsunt, & super thoro geniali suas preces
,, expediunt. Casti scilicet homines ac imprimis temperantes,
,, qui in turpissimo cœlibatu vivunt, ut eò licentius in omni
,, nequitia bacchentur. Cæterum, quod de istis diximus, ad
,, mercatrices quoque pertinet, quarum non unus est ordo: mo-
,, niales & nonnæ vulgò dicuntur. Omnis autem ista colluvies,
,, dici non potest, quantam & quam fœdam invexerit idolola-
,, triam. Exurge tandem Deus, & nominis tui gloriam, in
,, cujus societatem nemo venire debet, ipse vindica. ,,

§. XXXVI. Quum verò iſtius lanienæ factum eſſet initium Novembri menſe, Lutetiam Rex Januario poſt venit, & placandi Numinis divini cauſa, publicam decernit ſupplicationem (a) cui unà cum liberis ſuis tribus nudo capite ardentem facem quaſi expiationis (b) cauſa geſtans interfuit: Colitur Lutetiæ Sancta quædam Genovefa, urbis patrona: Ejus tum quoque ſimulacrum, quod non niſi duriſſimo fieri conſuevit tempore, in illa pompa geſtatum fuit: „ Geſtatur illud autem à laniis, priſtinà
„ conſuetudine, qui dies aliquot ante jejuniis atque precibus ad
„ eam rem ſeſe comparant; & præſto ſunt apparitores (c) atque
„ miniſtri publici, qui vix magno molimine viam patefaciunt.
„ Nam ſumma religione concurritur ad ſimulacrum, quandò
„ circumfertur, & bene ſecum agi putant, qui vel extremo di-
„ gito, vel pileo, vel linteo poſſunt illud contingere. Peracta
„ Miſſa, quum in vicina epiſcopi domo Rex prandiſſet, præ-
„ ſentibus liberis exterisque legatis, & omni circumfuſa nobili-
„ tate, orationem habuit plenam affectibus, dolorem ſuum quem
„ ex impiorum hominum audacia cepiſſet & improbitate, teſti-
„ ficatus. Deinde, quum de ſua in eccleſiam obſervantia pro-
„ lixe diſſeruiſſet, hortatus omneis, ut ab hac tàm peſtifera ſec-
„ ta ſibi caverent. Nec enim ulli fore impunè, ſi quid depre-
„ hendat: & ſi quam ſui corporis partem iſta contagione ſciret
„ infectam, revulſurum illam eſſe dicebat, ne longius ſerperet. „
Expiationis verò cauſa producti fuerunt eo die ſex, qui machinis illigati, ſicut antè dictum eſt, diverſis locis quà Regi domum redeunti faciundum erat iter, exuſti fuerunt, illo ipſo tem-

(a) BEZA in Vita Calvini fol. p. 367.

(b) Eum proceſſum planè mirabilem ita deſcribit in Chronico abbreviato Regum Galliæ p. 310. TILIUS. *Pour laquelle mechanceté* (ita Proteſtantium appellat factum imprudens magis quam malignum) *faire ſatisfaction envers Dieu, le Roy commende qu'on face proceſſions generales: auxquels aſſiſtant lui meſme en perſonne, il marche devotement a nue teſte depuis l' Egliſe s'Germain pres du Louvre, jusques à l' Egliſe notre dame avec grand ſolemnitez de luminaires accompagné d' un grand nombre de Cardinaux, Eveſques & Gentilhommes.*

(c) SLEIDAN. lib. cit. fol. 147 b.

temporis puncto quum Rex prætervcheretur, igni ſuccenſo, & ipſis miſericordiam illius atque gratiam implorantibus. Galliæ fert conſuetudo, ut poſt meridiem ſumantur ſupplicia, de quibus oportet. Ibi tum facto ſilentio, recitantur animadverſionis cauſæ. Quum autem ob Lutheraniſmum, ſicut ipſi vocant, in aliquem. vindicatur, ſi videlicet de juſtificatione fidei non operum, de non invocandis Divis, de Chriſto ſolo pontifice & advocato generis humani, verba quis fecit: aut ſi quis fortè diebus vetitis carnem edit, nihil ejusmodi pronuntiatur: ſed generatim & univerſe Majeſtatem læſiſſe Divinam, & in Mariam virginem reliquosque divos fuiſſe contumelioſus, & eccleſiæ, communis omnium parentis decreta violaſſe dicitur. Itaque vulgò creditur, id genus hominibus in orbe terrarum nihil eſſe nocentius, nihil ſceleroſius: & fere fit, quum jam flammis illi torrentur, ut populus etiam fremat, & in mediis cruciatibus, velut impios & aſpectu ſolis indignos, execretur.

Cæterùm, & anno 1534. invehi primum & in conſuetudinem induci cœpit exſecrabilis illa linguarum exputandarum (a) inventio, ne pii ſcilicet martyres bona verba ad populum Chriſtianum ejusque corroborationem & in fide confirmationem facere poſſent.

Inter hujus anni Martyres autem præ ceteris (b) *Barthelotus Milonus*, *Johannes à Burgo*, *Nicolaus Valletonus*, *Henricus Cuberonenſis*, *Stephanus Forgeus* (c) atque alii recenſentur, quorum fere gravius crimen non erat, quam quod Evangelium ab hominum doctrinis repurgatum ſibi expeterent, vitæque pietatem ac puritatem ſectarentur.

§. XXXVII. Quum autem hoc ipſo tempore Legati Turcici eſſent in Galliis, eoque nomine Rex in odium & ſuſpicionem vocari ſeſe per Germaniam audiret, & illa quoque ſupplicia multos offenderent, Kalendis Februarii A. 1535. dat literas ad Imperii Principes

(a) Acta Martyrum in 4. pag. 63 a.
(b) Acta Mart. l. c. p. 65 a. b.
(c) Hunc CALVINUS in Inſtructione adv. Libertinos Cap. IV. collaudat, atque dicit, *ejus recordationem, ut ſancti Chriſti martyris inter fideles ſanctam eſſe debere.*

pes & Ordines (a), illudque de Turca primum excusat, Post, alterum criminationis caput diluit, &, vel contra suum institutum atque naturam se severum fuisse dicit, in homines quosdam audaces atque facinorosos, qui sub religionis prætextu Reipublicæ moliebantur excidium. Itaque ne longius hæc contagio serperet, graviter in illos vendicasse more majorum. Jam verò, si quis in eo numero fuisset deprehensus homo Germanus, eodem loco se habiturum fuisse illum quo etiam cæteros. Etenim, si qui suæ ditionis atque gentis in ipsorum finibus aliquid simile perpetrassent, non se recusare, quò minus in ipsos acerrimè vindicetur. Sed neminem esse repertum Germanicæ nationis, affinem huic inpiæ societati, quod sibi perjucundum acciderit. Itaque suum regnum atque domicilium ipsum patere Germanis non minus quam Gallis. Hujus autem obtrectationis auctores id agere solùm, ut Galliam à Germania divellant astuto nimirum & insidioso consilio, ut per dissidium illud & in his offensionibus, ad optatum ipsi finem perveniant & utrisque dominentur.

Neque autem his contentus erat *Franciscus*, qui eodem adhuc mense d. XXV. novas ad Principes Protestantes potissimum, exarare literas, ad commendandum (b) Concilium Generale in quo circà Religionem motæ difficultates omnes componerentur.

Sed & d. X. Septembris denuò ad Convocatos Imperii Ordines Eslingæ congregatos (c), de concordia inter dissentientes Ecclesiasticos instituenda, perscribit, atque cumprimis ad ea quæ Legato suo atque Oratori *Gulielmo Bellajo* Dominò *Langejo* in mandatis dederat, oretenus latius ipsis explicanda provocat, cui ut benevolas velint concedere aures expetit.

Enimverò LANGÆUS ille, vir eximius & Regis Galliarum Orator facundissimus, publicam in conventu imperii *Smalcaldensi* d. XIX. Decembris ad Fœderatos Orationem pronunciare, atque in ea omni virium contentione ipsis persuadere annitebatur, non esse Re-

(a) SLEIDAN. l. c. Has literas Latinè nobis conservavit in Collectione scriptorum Germanicorum FREHERUS Tom. III. fol. 354. sq. & Germanicè HORTLEDERUS Tom. I. Lib. I. c. 18.

(b) v. FREHER. loc. cit. fol. 358.

(c) v. FREHER. loc. cit. fol. 359.

Regem suum (a) tam infesto in Protestantes animo, quam quidem publicè referretur:

„ Illum equidem animadvertisse in suæ ditionis quosdam, sed
„ hoc ad ipsorum injuriam nullam pertinere, tametsi malevoli
„ dicant, quum illos è medio sustulit, ipsorum quoque causam
„ veluti præjudicio quodam condemnasse. Rogat autem, ne
„ tam ineptis calumniis moveantur, & rem omnem diligenter
„ secum expendant. Etenim in Germania multos ab ipsorum
„ doctrina prorsus abhorrere, quosdam non omnino subscribere:
„ sed & ipsos qui sint ejusdem doctrinæ, non semper idem sen-
„ sisse. Quod nunc autem idem profiteantur, pergratum esse
„ Regi, non se dubitare tantam ipsorum esse modestiam & hu-
„ manitatem, ut nemini velint præscribere, neque hoc sibi su-
„ mant aut arrogent, ut ad suam religionem etiam invitos adi-
„ gant. Regem solere de ipsis amanter & perhumaniter loqui,
„ & ab ipsis agnoscere quædam esse sanctissimè declarata, sed
„ moderatius quædam fieri voluisse. Videre quidem illum, &
„ longinquitate temporis, & hominum indigentia, & supersti-
„ tione ceremonias in Ecclesiam obrepsisse quasdam inutiles at-
„ que superfluas, verum ut omnes idcircò promiscuè tollantur,
„ absque decreto publico, minus ei placere. Ceremonias enim
„ esse veluti adjutrices atque pedissequas religionis, & singulis
„ fuisse temporibus, & in eos, qui violassent, graviter atque
„ severè semper esse vindicatum. Et quum rusticorum seditio-
„ nem ipsi totis viribus oppresserint, quum Anabaptistas coer-
„ ceant, quum sine causa nihil facere videri velint, cur non
„ idem de Rege amico statuant? cur non cogitent, graves om-
„ ninò fuisse causas & summam necessitatem, quamobrem in
„ suos animadverterit, etiam si fortè quidam minus fuerint no-
„ centes? Cujusmodi enim sint illorum flagitia, non esse hujus
„ loci commemorare. Quædam enim plerunque fieri, quæ, ne
„ cum facta quidem sunt, scire ab omnibus expediat, cur ita
„ facta sint: & pro temporis conditione remitti, nonnunquam
„ etiam

(a) Hanc LANGÆI Orationem pro Galliarum Rege Apologeticam totam suæ collectioni inseruit FREHERUS loc. cit. fol. 360. sq. uti hic brevem ejus summam SLEIDANI verbis conceptam exhibemus.

„ etiam augeri pœnam. Ipsi quidem Regi, cujus tam latè pa-
„ teat Imperium, non ad præsens modò tempus, sed ad futu-
„ rum etiam respiciendum, & providendum fuisse, ne sua leni-
„ tate plurimorum improbitati fenestram patefaceret. Cumque
„ natura sit & educatione mansuetus & perhumanus, necessitate
„ coactum vicisse naturam, & aliam ad tempus induisse perso-
„ nam. Et sicut differentes de quaque re libenter audiat, sic
„ etiam illis offendi, qui temerè quid moliuntur, nec ad eos re-
„ ferunt, quorum est definiendi potestas. Illos verò, de qui-
„ bus pœnam sumpsit, non idem quod ipsi, verum longè sen-
„ sisse diversa. Jam, quod ad ipsorum attinet doctrinam, Re-
„ gem existimare, quicquid ejus rei fecerint, communi factum
„ esse consilio: cujusmodi verò sint ipsorum dogmata, in me-
„ dio relinquere. Nam in rebus tam arduis nolle sibi judicis
„ personam præ cæteris arrogare, & utrobique esse aliquid,
„ quod & probari possit & improbari. Nimirum sic esse com-
„ paratum, si penes eundem sit & asseverandi & judicandi po-
„ testas, ut falli quis & errare possit. „ Benevolentiam deinde
captat, & illos refellit, qui Germanis dicebant esse cavendum
ab exteris legationibus: nam ad ipsorum hoc pertinere detri-
mentum atque servitutem demonstrat. „ Etenim nullius populi
„ tantas esse vires, ut diu stare possit atque florere, nisi finiti-
„ morum sit amicitia munitus & societate. Sed perantiquam
„ esse Galliæ Regum & Imperii Principum conjunctionem, &
„ utriusque gentis eandem esse stirpem & originem, & propter
„ situm atque propinquitatem, non usui tantum atque præsidio,
„ sed & ornamento invicem esse posse. Regem igitur, quum
„ Germanis inter se minus convenire audit, dolere plurimum,
„ & quantum quidem ipse possit, conciliationi studere. Non
„ semel etiam esse veritum, ne dissidium hoc religionis, luc-
„ tuosum aliquem haberet exitum. Et quia convenisse jam ip-
„ sos, tuendæ suæ dignitatis causa, nec etiam eos qui sint di-
„ versæ religionis, ab ipsorum acceperit excludi contubernio:
„ spem habere illum permagnam, fore ut ea res ad opinionum
„ atque doctrinæ conciliationem, aditum faciat. His itaque de
„ rebus admonitum, voluisse per legationem, quid sui sit con-
„ silii

„ filii demonstrare: nimirum, quia temporum hic sit status, „ ut commune liberumque concilium adhuc quidem cogi non „ possit, optimum Regi videri, si Germani conveniant interim „ omnes, & collatis sententiis rationem ineant concordiæ: quæ „ facilè sarciri possit, modò nihil obstinatè fiat, & errore de„ prehenso non pigeat mutare sententiam, & cedere meliora do„ centi. Si quidem hoc fiat, Regem ipsis in eo futurum esse „ socium & adjutorem. Nam & *Paulum tertium* Pontificem „ interpellatum à Rege super eo, fateri, non sic esse traditioni„ bus humanis insistendum, ut non pro conditione temporis, & „ publicæ quietis causa, mutari possint, &, si rectè atque ordine „ omnia fiant, profiteri multa se temporibus, multa communi „ concordiæ permissurum esse. Quod si ipsis etiam placeat, ut „ delecti aliquot Galliæ viri docti & periti rerum sacrarum in„ tersint huic actioni, vel si quos ipsi de suis in Galliam mittere „ velint ea de causa, longè hoc illi fore gratissimum, & ipso„ rum hoc arbitrio totum permittere. Quod superest, hortari, „ ut pacem inter se colant, seseque muniant conjunctis animis. „ Id enim ad externam quoque pacem pertinere. Et Regem „ quidem ipsorum hostibus unquam nec ope neque consilio ad„ futurum esse, modò, quod adhuc fecerunt, in eadem erga il„ lum voluntate permaneant. „

§. XXXVIII. Sic igitur *Franciscus* Ecclesiæ Pontificiæ errores multifarios agnoscebat, de veritate satis convictus, nec tamen, Ecclesiasticorum suorum, & præcipuè Turnonii Cardinalis, qui in contrariam plane sententiam eum abducere conabatur; præjudiciis occupatus, ut veritati plenè assentiretur, atque superstitionibus inveteratis renunciaret, perrumpere poterat, quod ea quæ *Francisci* nomine proponebantur, luculenter comprobant; Nostri saltem Scriptores, atque inter eos, qui palmam reliquis præripuit *Johannes* SLEIDANUS (a), nihil in his nisi

quod

(a) SLEIDANI à Maimburgio mendacii accusati memoriam & fidem uti par est vindicat Illustris SECKENDORFIUS Histor. Luther. L. III. Sect. 13. §. XXXVIII. p. 104. 105. Uti is in Archivo Saxo-Vinariensi, quod tamen SLEIDANO nequidem patuit, se reperisse, ait, Acta conven-

quod documentis abundè comprobatum est, atque etiamnunc comprobari potest, protulit, ipsamque uti in reliquis sectatus est veritatem, ita cumprimis, in illa quam Galliæ Legatus habuit privata cum Pontano, Melanchthone, Landgravianis & *Jacobo* STURMIO collocutione prorsus memorabili:

Egisse enim Langæus privatim dicitur cum Protestantium ministris de multis dogmatis, & explicasse, quæ Regis esset de singulis opinio, quæ Theologorum sententia per Galliam, Lutetiæ præsertim, de Primatu Pontificis, de Cœna domini, de Missa, de mortuorum invocatione, de statuis, de libero arbitrio, de purgatorio, de Justificatione, de votis monasticis, de cœlibatu Sacerdotum. In plerisque (ita SLEIDANUS) dicebat Regem esse non alienum à libro *Philippi* quo *Locos* ille tractat *communes* Theologicos. De *Pontifice* vero placere dicebat Regi, non esse primum neque præcipuum Jure divino, sed humano, sicut *Philippus* adfirmet, sed Angliæ Regem utrumque negare, & sane Pontificem arrogare sibi nimiam potestatem, dum Reges atque Cæsares in ordinem pro suo arbitratu redigit. Quod quidem exemplum nunc etiam in Britanniæ Regem statuere cogitet, quantumvis & Rex & plerique Cardinales intercedant. Theologos quidem affirmare, *Caput* illum esse *Ecclesiæ* jure divino: sed tamen poscenti Regi non illud potuisse demonstrare. Vulgatam quoque *de Purgatorio* igni opinionem ab eis defendi, nam ex eo fonte manare *Missam*, exequias anniversarias, legata, & quicquid est nundinationis; Missa verò sublata, rationem ipsis omnem aufferri tuendæ potentiæ suæ, ac veluti nervos incidi sanguinis ac vitæ. Quumque Rex illis aliquot esset largitus menses, intra quos de Purgatorio sententiam ex scriptura docerent, hoc demum respondisse, adversariis non esse porrigenda tela, quæ post retorqueant. Ad *Vota monastica* quod adtinet, Regem putare, posse

ventus illius Smalcaldici, atque cumprimis relationem de colloquio d. 30. Decembris inter Langæum & Ministros Protestantium habito, cui Spalatinus interfuerit. Hujus Relationis, manu Spalatini conscriptæ & accuratè cum relatione SLEIDANI concinentis, exemplum ex *Seckendorfio* depromtum inter Documenta huic volumini subjecta ut legerentur Num. XII. efficere voluimus.

posse hoc à Pontifice impetrari, ne qui juvenes ante maturam ætatem illi vitæ generi devinciantur, utque liceat illis, quum videbitur, ab eo discedere & contrahere matrimonium. Ut autem ejusmodi collegia diruantur, Regi non videri consultum, sed educandam esse potius ibi Juventutem ad literas atque pietatem. Theologos etiam urgere *Cœlibatum* Sacerdotum, sed Regem hanc veluti mediam invenisse viam, ut qui jam sunt in matrimonio, permaneant, reliquis autem non liceat uxorem ducere, vel si duxerint, abstineant ab Ecclesiæ ministerio. *De Cœna Domini* integra percipienda, vel, quod ajunt, *sub utraque specie*, sermonem fuisse Regi cum Clemente VII. sperare etiam ab hoc impetrari posse Pontifice, ut facto decreto liberum permittat usum ejus rei, pro cujusque conscientia, Regem hoc præterea dicere, patrum memoria distributam fuisse per Galliam quibuslibet integram cœnam, non quidem in medio templo, sed in sacellis; Hoc illum à nonnullis accepisse grandi ætate, qui ritum istum in Galliis fuisse confirment ante centum & viginti annos. Deinde Galliæ Regibus administrari totam. Et cum inter disputandum Theologis hoc ipsum Rex objicit, illos respondere, unctos esse Reges æque ac Sacerdotes, & Scripturam loqui de sacerdotio regali. Quod autem Regibus liceat, non item esse permittendum aliis. In *Precationibus* etiam illis quotidianis & familiaribus ordini sacerdotum, agnoscere Regem, multa posse resecari, quædam etiam prorsus esse tollenda. Clementem etiam VII. ejus rei curam demandasse Cardinali *Crucejo Hispano*, cujus nunc extet liber, quem theologi Parisienses ut hæreticum damnarint. Nam esse genus hominum, quod non modo Germanos, ut impios & malè sentientes de religione condemnet, sed ipsos quoque Cardinales atque Pontificem, si res ita ferat. Quum verò negotium hoc omne sit cumprimis arduum, Regem in hoc esse totum, ut Ecclesiæ pax & concordia restituatur. Regem omninò sic existimare, conferenda esse consilia. Pergratum autem ei futurum, si prius quam conveniatur, aliquot è præcipuis ipsorum theologis, pauci tamen, in Galliam mittantur, qui cum Lutetianis conferant. Ad ejusmodi colloquium Regem esse delecturum aliquos præfractos & acres, & his additurum esse quos-

dam non alienos à puriori doctrina, quò per hanc rationem veritas patefieri poſſit, & elici. Eo finito ſermone, hortabatur, ne quem Concilii locum Proteſtantes recipiant, niſi de ſui atque etiam Angliæ Regis conſilio. Regem non probare Concilium ullum, niſi loco tuto fiat, minimeque ſuſpecto vel ad injuriam opportuno, quo quidem in loco libere pronunciare quidvis liceat.

Ad ea autem, quæ legatus Gallicus dixerat, ut ſuprà recitavimus, reſponſum (a) fuit: „ Etſi de ſuppliciis illis varii ſint
„ rumores, tamen, quia ſeditionem illos excitare voluiſſe dicat,
„ non eſſe quod Regis inſtitutum ipſi reprehendant, qui neque
„ ſuis in finibus id genus homines patiantur, veruntamen cum
„ de receptis dogmatis atque ritibus non idem omnes ubique
„ ſentiant, orare ſe regem, det operam, ne promiſcuè ſæviatur
„ in omnes, & ut illi ſerventur, qui demonſtratis erroribus at-
„ que vitiis puram Evangelii doctrinam, quam in Auguſtæ co-
„ mitiis ipſi profeſſi ſint, amplectuntur; Negari enim nullo
„ modo poſſe, multas in Eccleſiam opiniones falſas & impias
„ invaſiſſe, quas homines indocti atque malevoli magna crudeli-
„ tate defendant, quæſtus atque potentiæ retinendæ cauſa. Ni-
„ mirum hos ipſos artificio quodam ſingulari multa ſæpe crimi-
„ na confingere in homines innocentes atque pios, ut Regum
„ animos exacuant. Sed cum propriè ſit hoc Regum atque Prin-
„ cipum munus, ut gloriam Dei quærant, ut Eccleſiam ab er-
„ roribus repurgent, ut injuſtam crudelitatem reprimant, orare
„ ſe vehementer, ut in iſtam curam potentiſſimus Rex totus in-
„ cumbat. Hoc enim ſi faciat, exiſtimaturos amico ipſum atque
„ benevolo in ſe eſſe amico, quod tum ſibi, tum Eccleſiæ fœ-
„ lix atque fauſtum eſſe cupiant. De vetuſta Galliæ regum at-
„ que perpetua cum Imperii principibus amicitia, periucundum
„ ſibi ſermonem ipſius omnem fuiſſe; daturos quoque operam,
„ ut iſta neceſſitudo mutuàque benevolentia deinceps confirme-
„ tur.

(a) SLEIDAN. l. c. p. 153 b. 154 a. cujus verbis in excerpenda hac Reſponſione, quam *Philippus* MELANCHTHON. adornavit, quæque in ejus Conſiliis Theologicis à Pezelio editis legitur pag. 214. & ſequtimur.

„ tur. Quod Regem de nonnullis rebus purgatum esse velit,
„ facilè hoc ab se impetrari, & cupere imprimis, ut concor-
„ diam publicam Deus largiatur, & multò sanguine partam olim
„ Germaniæ libertatem tueatur atque propugnet. Illud verò,
„ quod de conciliatione dogmatum dixerit, paucis verbis ex-
„ plicari non posse. Regem tamen pro sua prudentia facilè vi-
„ dere atque intelligere, dissidium hoc omne natum esse ex ad-
„ versariorum obstinatione, qui doctrinam hanc omnem acerbis-
„ simè condemnarint. Se quidem plurimis nunc annis nihil aliud
„ flagitare, quam ut de re tota legitimo Concilio disceptetur:
„ sed Pontificem ejusque clientelam totis viribus hoc impedire.
„ Futuri concilii conditiones aliquot à Clemente septimo fuisse
„ propositas: verum ejus generis, ut satis appareret, eum non
„ posse ferre liberam cognitionem. Hunc verò Pontificem, &
„ si concilium promittat, tamen de forma, deque modo nolle
„ tractari: deinde, indicere illud extra fines Imperii. Qua qui-
„ dem ex re facilè videri possit, dolum subesse ac imposturam,
„ & hoc solum agi, ut sub nomine concilii vera doctrina delea-
„ tur. Cum autem non sit solius Episcopi Romani, denuntiare
„ concilium, sed ad Reges etiam atque Principes ea res æquè
„ pertineat, obsecrare se Regem, efficiat, ne violentum aliquod
„ cogatur concilium in loco suspecto & periculoso, verum, ut
„ de rebus tam arduis, quæ totius Ecclesiæ salutem atque pa-
„ cem continent, quæque privatim ad singulos pertinent, libe-
„ rè cognoscatur. Hoc videlicet nomine, non hanc ætatem
„ modo, sed omnem quoque posteritatem ei plurimum devinc-
„ tam fore, & gratias habituram immortales ob tantum accep-
„ tum beneficium. Quod autem de communicatione doctorum
„ hominum in medium adduxerit, opus habere magna delibe-
„ ratione. Plerosque etiam, ut in re improvisa, nullum à suis
„ habere ejus rei mandatum. Ubi primum ergo constitutum
„ aliquid in eo fuerit, per epistolam esse renuntiaturos Regi.
„ Nihil enim desiderare magis, quam ut doctrina salutaris quam
„ longissimè propagetur. Postremum illud, ubi Regem nihil
„ opis in ipsos laturum esse dixit, magna se cum voluptate au-
„ disse. Quamobrem se quoque in iis rebus omnibus, quæ ad

„ Cæſarem & Imperium nihil attinent, nulli daturos in ipſum
„ auxilia. „

§. XXXIX. Enimverò, ad easdem Galliarum Regis excuſationes, quæ σοφον veluti φαρμακον propinabant Principibus Germanis, quaſi Rex non animadvertiſſet niſi in Anabaptiſtas, pro Verbo divino ſuum tantum Spiritum jactantes & omnium Magiſtratuum contemtores, *Johannes* CALVINUS, (qui in voluntarium ſecedendo exilium (a), patria ſede relicta in Germaniam commigraverat, atque tum Baſileæ verſabatur,) tale veræ religioni inuſtum dedecus haud ferens, reſpondere ſe debere ratus, eximium illum *Inſtitutionis Religionis Chriſtianæ* (b) librum edidit; Addita excellente ad ipſum Regem Præfatione, quam ſi forte legiſſet ille, dubium eſſe potuiſſet nullum, quin ingens illi meretrici Babylonicæ & vix ſanabile vulnus fuiſſet inflictum: *Erat enim* (rectè notante BEZA) *ille Rex non quales eum ſunt conſecuti poſteà, ſed acerrimus rerum æſtimator, judicii ad dignoſcendum verum non parvi, eruditorum fautor, neque per ſe à nobis alienus.* Sed illum hæc audire nedum legere, neque populi Gallici, neque ipſius Regis peccata paſſa ſunt, quibus ira Dei jam tum propinqua imminebat.

Neque autem hic ea, quæ inter *Franciscum* Regem ejusve Miniſtros & inter *Philippum* MELANCHTHONEM iisdem temporibus tractata ſunt, ſilentio præterire nos oportet.

Erat *Philippi* nomen jam commendatum Regi, ut is ab eo non videretur alienus, quippe cui & accurata explicatio rerum, quas tractandas ille ſuſcepiſſet, & ab adverſariis ſine acerbitate diſſenſio, valde placebat. Erant in Gallia Viri Docti, & inter eos *Guilielmus* ille, de quo jam egimus, BELLAJUS, Regis Legatus ad Germanorum Principes, & Frater ejus *Johannes* Archiepiſco-

(a) vid. BEZ. Hiſtoir. Eccleſ. pag. 21. qui obſervat tum *Petrum Robertum Olevitanum* quoque Gallia migraſſe, ſeque *Calvino* junxiſſe comitem ac ſocium, prouti is deinceps multis modis Evangelio inſerviit, inprimis autem condendo Verſionem Bibliorum Gallicam, quæ omnium primò apud Neocomenſes in Helvetia typis eſt impreſſa.

(b) Conf. quæ circa hiſtoriam Inſtitutionis Calvinianæ litterariam tradidimus in *Miſcell. Gron. Nov.* Tom. II. P. I.

scopus Parisiensis & Cardinalis, qui honorificè apud Regem de *Melanchthone* differere, eumque & ejus scripta de meliori nota commendare non desistebant. Hæc omnia cum *Philippo*, (cui præterea cum *Johanne Sturmio*, Lutetiæ Parisiorum adhuc versante, necessitudo erat atque familiaritas, commercio litterario exculta,) non possent esse incognita & amici prætereà multis modis eum hortarentur, is literas dare (a) ad *Johannem Bellajum*, *Gulielmi Fratrem*, magnum literarum atque eruditionis fautorem, quibus & monet & orat: „ Animos Principum in Galliæ regno mitigare studeat, auctorque sit, ut ratio ineatur, qua sanari Ecclesia possit, quam indies magis magisque lacerari appareat: „ Abusus quosdam esse reprehensos & nunc multos pios atque „ doctos veritatem quærere & doctrinæ genus purum, non prava cupiditate aliqua, sed studio religionis. (b) Atque esse ortas controversias de maximis rebus, quæ nulla armorum vi „ aut suppliciorum metu opprimi posse videantur. Non patrocinari se turbulentis aut seditiosis, neque iis qui improbitate „ aut malitia veritatem simplicis doctrinæ corrumpant, quos fanaticos solebat vocare. Verum horum etiam furori sic maximè resisti posse, si extet certum doctrinæ genus, quo ambigentum animi confirmati nitantur. Ostendit, quantum momenti sit in Galliæ florentissimo regno, ad omnium bonorum „ animos tam erigendos quam dejiciendos. In eo si exemplum „ istud statuatur, ut non modo fanatici & seditiosi coerceantur, „ sed nulla prorsus admittatur emendatio Ecclesiasticæ doctrinæ, & errorum correctio, sicque præsentia Ecclesiæ vitia „ summa vi defendantur, futurum esse, ut ubique gentium magna de spe boni piique decidant. Addit: Esse eas preces & vota ista, ut in periculo communi succurratur Ecclesiæ simul „ atque Reipublicæ, non unius nationis ac gentis, sed omnium „ in toto orbe terrarum, religiosæ pietatis & tranquillitatis publicæ cupidorum. „

Ad

(a) Has reperimus in MELANCHT. Consil. Theolog. à *Pezelio* editis T. I. p. 219. sq.

(b) vid. CAMERAR. in Vita Melanchth. p. m. 146. 147.

Ad has literas sibi acceptissimas Cardinalis (a) respondet d. 27. Junii atque ex relatione *Barnabæ Voræi Fossæ*, laudat *Melanchthonis* in rempublicam Christianam animum, in iis præsertim rebus, quæ ad communem omnium salutem pertinent, quod Gallorum nemini non gratum fuisse asseverat: „ *Nihil est*, addit, *quod tam vehementer cupiam, quam ut illa dissidia, per quæ jam diu labefactari Christi ecclesia cœpit, aliquando rectè componantur. In hanc pacificationem, mi Melanchthon, per Deum, quantum potes, incumbe, habebis consentientes omnes bonos, in his summæ auctoritatis hominem hunc, Franciscum Regem, cum titulis ac nomine, tum vero, quod ego longe pluris facio, reipsa Christianissimum, quo cum si semel vestra consilia maturè contuleritis, quod fore brevi video, nihil est, quod de vestro còngressu non sperem.* „ Significat postea, se Romam properare, optatque, ut & ibi utilem operam præstare possit. Subscripsit: *Tuus ex animo Cardinalis Bellajus.*

Intereà temporis in Germaniam aliis etiam de causis mittebatur *Barnabas* ille *Voræus*, atque amicorum literas scriptas *Philippo* afferebat, & cum eo de profectione ad Regem colloquebatur, pollicitus non modò literas regias (b) quibus accerseretur, sed, cum obsides etiam, qui darentur dum abesset, tum præsidia, quibus deduceretur & reduceretur, ut undique periculi metus esset remotus. Urgebant eandem causam amici, qui persuadere *Philippo* conabantur, in congressu ejus colloquioque cum Rege non Galliæ solum sed pænè Orbis terrarum fortunam esse positam. „ Si illum præsentem vidissent (c) simul salutem suam „ cum aliorum omnium conjunctam affirmare se conspecturos. Si „ in illis fluctibus & sævissimis tempestatibus audiissent adventan-„ tem, jam portum & tutissimam stationem sibi ostensum iri. „ Quod si negligeret aut etiam contemneret postulata Regis, fore „ ut omnis spes, qua sustentati in maximis periculis & præsenti „ discrimine fuissent, debilitata infringeretur, & simul ægrè ali-

„ quan-

(a) vid. SECKENDORF. Hist. Luther. L. III. §. XXXVIII. p. 109.
(b) CAMERAR. l. c. p. 149.
(c) CAMERAR. Vit. Mel. p. 149. 150.

„ quantulum sopiti ignes rursum suscitarentur, & suppliciorum immanitas recrudesceret. Atque eum cogitare æquum esse censebant, non jam à se tantum rogari, sed ab omnibus hominibus, „ non ab iis, qui gravissima supplicia perpessi sint, neque qui eadem pertimescant, præsentiam ejus exoptari sed advocari ipsum „ Dei Christiq ue Jesu voce;„ Hæc & similia, cum *Philippo* & scriberentur & nunciarentur, quam is ancipiti districtus fuerit cura, facile quis assecutus fuerit, modò solas illas intueatur literas, quas ille tum responsorias (a) dedit ad *Jo. Sturmium*, amicum veterem, quas ita orditur; *Cum de Gallicis rebus undique ad me literæ mitterentur, multis de causis ingentem animo dolorem accepi* &c. atque deinceps testatur, „ nullam sibi in vita incidisse difficiliorem „ deliberationem quam de hoc itinere, non quasi domesticis vinculis retineretur, aut pericula defugeret, sed quod ea unica ipsum propemodum excruciaret cura, an aliquid proficere possit, „ quodque adeò de exitu felice planè desperaret:„ Subjungit inde querelam de vanitate opinionum & judiciorum; Dein, vereri se dicit (nec injuria) ne leviores quidam articuli donentur, graviores obruantur & deleantur, & sic Ecclesiæ nullum paretur commodum, Concilio verò præjudicium fiat. Impetrari forte sua intercessione posse, ne supplicium decernatur in eos qui cucullum exuunt, *sed quid fiet*, ait, *de iis, qui non probant abusus manifestos in liturgia aut cultu divorum? In hos, si porro sæviatur, futurum, ut suffragator & approbator suppliciorum ipse videar.... Phalangas*, pergit, *monachorum cogita, & scis quam sint ὑπερήφανοι, & quibus artificiis teneant fascinatos nobilium animos.* Concludit, consilia alia esse inutilia, alia periculosa, præter Concilium; iter tamen tandem non recusat, si amici suadeant, & Princeps (Elector) veniam eundi concedat.

Cum igitur Voræus ad Regem reversus (b) & studiosius de *Philippo* loqui & prolixius promittere, & si accerseretur, polliceri adventum ipsius non dubitasset, ita à Rege literæ sunt missæ:

(a) Hæ leguntur insertæ à PEZELIO Consiliis Theologicis Tom. I. p. 221. sq.

(b) CAMERAR. Vita Mel. p. 153.

ſæ: Quibus collaudato ſtudio ipſius (a), quod Rex ab eo adhiberi intellexiſſet, in ſedandis altercationibus invectis in Eccleſiaſticam doctrinam, & quod ipſe ſe laborem itineris non gravatim ſuſcepturum eſſe oſtendiſſet, eundem, ut ad ſe proficiſcatur benigniſſime & publica fide invitat, omnium, ut ait, gratiſſimum futurum, ſive privato ſive publicio nomine veniret.

§. XL. Neque verò tum Galli ſolum, verum & Lutherus iter illud *Philippo* ſuadere (b), interea dum animo ſatis promto *Philippus* id in ſe ſuſcipiebat, modò veniam ab Electore impetrare potuiſſet, quæ tamen cum ipſi denegaretur, tota res in ſuſpenſo manſit; Etenim cum alia quædam obſtare viderentur (c) tum non minimo impedimento fuit, bellum, quod Rex Galliæ adverſus Carolum Imp. movebat. Cognitum quoque eſt malevolorum quorundam obtrectatione, Principis animum (d) ad quandam hæſitationem fuiſſe perductum, ut nonnihil *Philippo* diffideret:

(a) Exhibentur Regis literæ d. 28. Junii ſcriptæ, ſed pridie nonar. Auguſti demum receptæ, cum reſponſo Melanchthonis V. Kal. Sept. ſive d. 28. Auguſti ſcripto Epiſtolar. Lib. I. edit. Londin. ep. 29. 30. item, in Conſiliis à Pezelio compilatis Part I. p. 218. Unde colligitur *Lud. Donii* d'ATTICHI Epiſcopi Æduenſis in floribus Hiſtoriæ Sacri Collegii Cardinalium l. c. fol. 94. & P. DANIELIS in Hiſtoria Franciæ Tom. V. p. 304. importunum planè mendacium, referentium, Regem equidem ſcribere voluiſſe ad *Melanchthonem* ſuaſu cumprimis *Margaritæ Sororis*, ſed Cardinalis Turnonii argumentis revocatum, conſilium mutaſſe, quin imò literas quoque conceptas atque obſignatas, tamen dilaceraſſe.

(b) Hoc ipſe Melanchthon. innuere videtur in Ep. ad Camerarium d. 2. Sept. vid. Epiſtolar. Lib. IV. ep. 478. Extant ſaltem LUTHERI ad Electorem d. 17. Auguſti datæ Tom. VI. fol. 491. in quibus orat, *ut Philippum ad tres menſes dimittere velit, jam enim ſpe adventus ejus ceſſare ſupplicia in Gallia, fore autem, ut, niſi veniat, recrudeſcat ſævitia* &c.

(c) CAMERAR. l. c. p. 153. 154. conf. SECKEND. l. c. p. 108.

(d) MELANCHT. ad CAMERAR. prid. Kal. Septemb. ita ſcribebat vid. Ep. Lib. IV. Ep. 177. *Princeps commeatum negat, & ita reſpondet, ut vereri cogar, animum illius, ſermonibus malevolorum à me redditum alieniorem.* Sed, conferri ante omnia debet ipſius MELANHT. Ep. ad *Gul. Bellajum* V. Kal. Sept. 1535. data, quam ARGENTRE l. c. ſuæ collectioni inſeruit p. 382. itemque, quæ ab altera parte ex Archivo Vinarienſi allata ſunt ab Ill. SECKENDORFIO L. III. §. XXXVIII. pag. 109. 110.

deret: Id saltem certum est, *Philippum*, non solum in illa, quam diximus consultatione cum *Bellajo* instituta, mitiorem se, quam plures æquum esse judicabant, se præstitisse, sed & articulos quosdam in formam Consilii compositos in Galliam jam A. 1534. mense *Augusto* ad *Gul. Bellajum* (a) misisse, quorum ipse in literis ad Camerarium (b) mentionem facit, scribendo: „ Exemplum mei consilii missi in Gallia tibi mittam, nunc enim non „ habebam, nisi unicum, & non edo, ne novæ inde disputatio„ nes oriantur. „ Hos cum *Melanchthon* privato consilio & arbitrio proprio, inscio atque improbante Electore, illuc misisset, tum ex eorum (c) tenore, quousque tum progressus sit, & quid in Gallia propositurus fuisset, colligimus: *Pontificis & Episcoporum* (d) potestatem à nemine prudente improbari posse tradit, nempe, ut vocatos ad ministeria Ecclesiastica explorent & ordinent, judicia ecclesiastica exerceant, & inspiciant doctrinam sacerdotum. Tales potestates, nisi essent, creari oportere, dicit, & prodesse Pontificis Romani monarchiam, ut consensus retineatur in multis nationibus; sed hoc ita, si sanam doctrinam tradi curet: Potentiam verò immoderatam in transferendis regnis, à Regibus facilè coërceri per se posse existimat, neque id ad E-

(a) Hos articulos tum ille unà cum literis ad *Bellajum* datis misit, uti literæ leguntur in Collectione D. d'ARGENTRE Tom. I. P. II. p. 381. 382. Conf. P. COLOMESII Opuscul. p. 547.

(b) v. MELANCHTH. Epp. Lib. IV. Ep. 179. p. 732. edit. Londin.

(c) Ipsos hos articulos, sive, Consilium habemus in *Consiliis Theologicis* à PEZELIO editis l. c. p. 224. sq. Sed ita, ut exemplar illud quod à Parisiensibus, Thuano, Richerio, & Do. d' Argentré est editum, valdè differat, ab eo quod edidit *Pezelius*, cujus differentiæ rationem non esse aliam, certum est, quam quod *Langæus*, ad quem *Melanchthon* eos miserat, non eosdem, sed suo stylo confectos atque adeo paulisper immutatos & in alium ordinem quin & in aliam verborum formam redactos, Facultati communicaverit, quod ipsæ Langæi literæ quas ex Tabulario Facultatis exhibet Do. ARGENTRE fol. 395 a. comprobant: *Je Guillaume de Bellay . . . certifie que les Articles cy dessus escrits sont extraits de plusieurs cahiers & lettres, qui m' ont ete à diverses fois envoyés d'Allemagne par ceux auxquels je m' estois addressé, pour attirer les Eglises d'Allemagne à moderer leurs opinions & doctrines &c.*

(d) SECKENDORF. lib. cit. p. 108.

vangelium & Ecclesiam pertinere. *Traditiones* admittit, sed absque opinione justitiæ & necessitatis. *Confessionem* retinet, sed in qua enumeratio peccatorum sine peccato omitti possit. De *Justificatione* fere convenire nunc ait inter partes, aut concordiam obtineri posse. De *Missa* maximè hæret, & inexplicabilem nodum illum esse agnoscit, medium tandem affert, ut Pontifex constitueret, ut nemo cogeretur ad Missas privatas, & permitteret integrum Sacræ Cœnæ usum. *Sanctorum cultum*, cum nihil in eo præceptum nec in veteri Ecclesia observatum fuerit, in universum aboleri posse non dubitat; admittit tamen ferias, in quibus Sanctorum historiæ & exempla proponantur, sed sine invocatione, ita ut nec formulam illam probet, qua veteres usos esse concedit, Deum rogantes, *ut adjuvarentur precibus sanctorum*: tandem summè detestatur, supplicia illis irrogata, qui à cultu Sanctorum abhorrent. *Monasteria* ad educandam juventutem in studiis, conservari suadet, cum libertate tamen egressus. *Conjugia Sacerdotum* prohiberi non vult, sed medium proponit, ut Episcopi non nisi cœlibes eligantur. Epilogus hic est: *Hæc scripsi non quod de unius sententia aliquid constituendum putem (nemo enim in Ecclesia hanc tyrannidem sibi sumere debet) sed quia rogatus sum, bono studio respondi, & significavi, me hoc scriptum, velut deliberationem quandam, mittere, & optare, ut plures docti de tantis rebus communiter deliberent. Non igitur pro decretis spargi in populum debebunt; & quidem professus sum, me concessurum judiciis aliorum rectius sentientium.*

Hos articulos, *Francisco* Regi non displicuisse (a) multa sunt quæ suadent, quippe qui & eosdem Romam misisse dicitur, quò Pontificis ipsius quoque impetraret vel emendationem vel consensum; Et fuerunt illi à quamplurimis in Gallia excerpti, sed non integri, verum mutilati (b), qua de re MELANCHTHON ipse con-

(a) Conf. Epist. MELANCHT. ad *Conr.* HERESBACH. in Consil. Theolog. l. c. p. 238.

(b) SECKENDORF. l. c. & MELANCHT. in ead. Ep. p. 237. Eos mutilatos lectos fuisse à RICHERIO Lib. IV. Hist. Concil. General. Part. II. p. 83. patet ex collatione eorum, quæ apud Richerium & in Consiliis Melanchthonianis à Pezelio editis leguntur.

conqueritur; quæque res magnam facilè invidiam Viro optimo cum apud suos tum apud posteritatem conflare potuisset. Quid? quod Rex Galliæ Theologis etiam Parisiensibus idem hoc Consilium communicaverit, atque dato rescripto ut sententiam ferrent (a), illos fuerit adhortatus. At verò, cum horum in quamcunque Reformationem capitale odium satis esset notum, tum mirum nemini videri poterat, quod ex animo etiam hanc abominarentur, atque in suo ad Regem responso (b), planè omnia cum iis, quos hæreticos esse jam prædefiniverant, Colloquia (c) dissuaderent, & Regem rogarent, ut priusquam ultrà progrederetur, ex Germanis, quorum venenum latens ita facilè detecturus esset, quæreret sequentia (d) (1) An cunctos libros Bibliorum pro Sacrosanctis & Catholicis habeant? (2) An credant, Ecclesiam errare non posse, & semper caput visibile externum & ministeriale habuisse, successores scilicet *Petri Apostoli*? (3) An Ecclesiæ & Conciliorum scita & Constitutiones Pontificum amplecti velint? (4) An bonas Ecclesiæ consuetudines, ut certissima fomenta & adminicula pietatis, à majoribus receptas approbent? (5) An pro intelligentia & explicatione Scripturæ, Doctores veteres, Græcos & Latinos admittere velint, *Hieronymum*, *Ambrosium*, *Augustinum*, *Gregorium*, *Basilium*, *Chrysostomum*, omnesque alios? Neque autem hæc tantum, sed & ad reliquos articulos omnes *Melanchthonianos* Censuram (e) tum adornavit

(a) RICHER. l. c. p. 83.
(b) Hoc Sorbonistarum Responsum propter rei memoriam ex ipso originali Actorum Facultatis Parisinæ editum à Dn. d'ARGENTRE Tom. I. Part. II. p. 395. 396. huic volumini inter Documenta. Num. XIII. ut exhiberemus, operæ judicavimus pretium.
(c) Literas, quas ad Regem tum dedit Facultas Parisiensis, habemus in Tomo I. Collectionis Dn. d'ARGENTRE Part. II. p. 383. 384. una cum codicillo, quo ostenditur *non esse disputandum cum hæreticis*, & cum *Instructione ad eandem hanc causam* latius urgendam, quæ data fuit duobus ex Facultate ad Regem legatis l. c. p. 386. 387.
(d) vid. RICHER. lib. cit. p. 185.
(e) ARGENTRE Tom. I. P. II. p. 397——400. Unde eandem quoque sive censuram sive Instructionem depromimus atque legendam tradimus inter Documenta Num. XIV.

navit Schola Sorbonica, dignam hominibus, inveteratis erroribus immorituris, ſed & dignam, quæ etiamnunc à nobis legatur atque expendatur, quò noſtram ritè diſcamus æſtimare & noſtrorum temporum felicitatem, cum probè perſuaſi ſimus, poſteriorum temporum Doctores Pontificios, eos ſaltem, qui cum Boſſueto etſimilibus Sirenum cantum inſtituere allaborarunt, non ſine rubore ac indignatione hæc talia veterum Sophiſtarum Pariſienſium placita, merum pus olentia & veritati tenebras offundentia, perluſtrare.

§. XLI. Erat idem ille annus 1535 quo *Antonius Pratenſis*, Regni Gallici Cancellarius & Archiepiſcopus Senonenſis fato ſuo fungebatur, ſurrogato in ejus locum Antonio de Burgo (a); Eſt verò tum veluti in benevolentiæ ſingularis ſignum, equidem venia quædam publicè promulgata, quibuscunque qui Lutheranismi veneno dicebantur infecti, ſub ea tamen conditione, ut reſipiſcerent, & abjurata Evangelii doctrina ad priſtinas redirent nænias Papales;

Cæterum, poſteaquam illud cum Germanis abruptum eſſet commercium, perſecutionum quoque vis nova cepit incrementa, multoque major ac vehementior exarſit quam anteà; Et experiri tum quoque hanc ſævitiem debuit, ex vallium Pedemontanarum legatis ad *Joh. Oecolampadium* miſſis unus (b), qui Gratianopolin (c) in reditu ſuo tranſiens, cum ejus fides in certamen deduceretur, mortis ſupplicium ſubire debuit, aquis ſuffocatus.

Hæc perſecutionum ingraveſcentium violentia, *Tigurinos*, *Bernates*, *Baſileonſes* & *Argentinenſes* impellebat, ut A. 1536. ad Galliæ Regem communi nomine legationem decernerent, atque que pro iis intercederent qui propter religionem erant in vinculis, ſimulque ut ob religionem exules reſtituerentur, orarent. Rex enim, uti verbo monuimus, redeundi facultatem dederat profugis, & libertatem conceſſerat captivis, ea lege, ſi quidem ad

(a) TILII Chronicon. abbreviatum Regum Franciæ p. 311.
(b) *Martinus* ſcil. *Goninus*, cujus martyrium memorabile deſcribitur in Actis Martyrum 1560. 4. pag. 59——62.
(c) BEZE Hiſtoir. Eccleſiaſt. p. 23.

ad Episcopos eorumque vicarios crimen intentatum abjurarent, & in posterum rectè caverent; Hanç verò conditionem Legati cupiebant omnino remitti; Et Rex quidem nonnihil tum oretenus laxasse dicitur (a), nec tamen desiderio illorum satisfecisse, siquidem d. xxiv. Februarii A. 1536. per Annam Monmorantium Curiæ Magistrum scripto respondebat, atque eidem illi conditioni, si Lutheranismum abnegarent, insistebat; Dum interea de ipso Monmorantio non levis erat suspicio, quod ipsius instinctu Rex minus liberaliter egisset; Prouti anno statim sequenti, nova fidelium persecutio lacertos movebat, & non pauci ferali flamma, ut fidei professionem luerent, cogebantur, inter quos erant, qui antehac jam apud Nemausenses compacti fuerant in carcerem & pro quibus sigillatim intercessio fuerat facta. Tum verò Bernenses denuò A. 1537. d. 17. Novembris ad Regem Galliæ literas dare querimoniarum (b) plenas, quibus infestum Regis obterere conabantur animum, ipsi inter alia exprobrantes, „ quod summa cum indignatione perceperint Regem adeò tru- „ culenter suos tractare fratres, qui tamen eandem quam ipsi- „ met profitebantur. religionem; Quod exinde facile collige- „ rent, quam parum pensi Rex ipsos & eorum intercessionem „ haberet; Quod denuò eum & orarent & obtestarentur per „ omnia ea quæ hactenus Regi præstiterant officia & per ipsam „ Dei gloriam, ut mitigare velit eas persecutiones & liberum „ permittere cursum Evangelio, ejusque præconio &c. „ Sed Rex ad eas æquè atque ad reliquas obturare aures:

Joh. verò CALVINUS egregiam tum Ecclesiæ Christi præstare operam; Is enim, anno videlicet 1537. quod multos in Gallia (c) videret veritatem quidem intus probè noscentes, sibi tamen indulgentes, quasi Christum animo colere satis esset, etiamsi Papisticis sacris interessent, duas elegantissimas epistolas edidit, Unam *de fugienda idololatria*, *Nicolao Chemino*, quo amico & hospite usus Aureliæ plurimum fuerat, Officiali postea Cenomensi designato datam; Alteram, *de Papisticis Sacerdotiis*, *Gerardo* illi *Rufo* dica-

(a) RUCHAT. Hist. de la Ref. de la Suisse Tom. V. p. 573.
(b) RUCHAT l. c. p. 574.
(c) BEZA in Vit. *Calvini* p. 368.

dicatam, cujus antea meminimus, quique Abbatia quadam ac deinceps Epiſcopatu poſt editum illum Pariſienſem tumultum donatus, non modo poſtea ſatis rectum curſum non tenuit, verum etiam, Heram ſuam Navarrenam Reginam (a) paulatim peſſum dedit.

Interea temporis, de Concilio à PAULO III. Mantuæ celebrando multi ſermones; cum igitur Proteſtantes in Germania illud haberi debere idque liberum judicarent, eumque in finem non unum celebrarent conventum, inprimis vero celeberrimum illum Smalcaldicum, tum factum eſt, ut priusquam ex eo diſcederent, quod fuit die ſexto Martii, denuò literas darent ad Galliæ Regem. Iis primum excuſant (b), quod ipſius legato, ſuperiori conventu non ſatisfecerint: cauſam etiam addunt, cur ne nunc quidem legationem ei mittant: deinde rogant, ut in amicitia permaneat; & cum ad concordiam religionis omnes ipſi patefaciant aditus, nec tamen quicquam proficiant, ut hoc ſuum ſtudium favore ac benevolentia proſequatur, poſtremò, quæ ſit ipſorum de Concilio voluntas exponunt, & quid ipſe conſtituerit in eo, ſcire cupiunt. Rex deinde decimo Kalendas Junii reſpondet, & ſatisfactionem accipit, & de ſua erga ipſos perpetua amicitia prolixè pollicetur, & ſuorum adverſariorum calumnias, edito ſcripto, quod unà mittebat, refellit, & de Concilio, ſuam eſſe, quæ fuit anteà ſemper, hanc dicit ſententiam, ut, niſi legitimum ſit, & in loco tuto, nunquam ſit illud approbaturus (c);

At verò, perſecutionum in Evangelicos Lutheranorum nomine denigratos per Galliam nec modus erat nec menſura. Longum eſſet autem omnia referre, ſed hoc anno ſub Idus Aprileis, qui

(a) Quod ejus extrema non reſponderint prioribus, aliquibus indiciis proditum eſt à BÆLIO in v. Navarre.

(b) SLEIDAN. Hiſtoriar. Lib. XI. p. 189a.

(c) Reliqua fœderatorum Evangelicorum cum Rege A. 1539. & 1540. acta recenſentur, & bona fide ex Archivis referuntur ab Ill. SECKENDORFIO Lib. III. Sect. 21. §. LXXVIII. p. 258—260. ex quibus omnibus, quam parum tamen inde emolumenti traxerit cauſa religionis apparet, cum unicè Regis Galliarum comitas eò tenderet, ut Proteſtantes à pace & concordia cum Cæſare & reliquis Imperii Ordinibus in Comitiis inſtantibus tractanda averterentur.

qui tum nonus erat dies ante paſcha, *Toloſanus* quidam adoleſcens nobilis, & literarum ſtudioſus, viginti circiter annorum, Lutetiæ fuit exuſtus (a), propter eſum carnis, non vivus quidem, ſed ita tamen ut laqueo fracta gula, pendulus ignem ſuccenſum perſentiſceret, quod pro loci conſuetudine magni beneficii loco ei datum fuit, eò, quod in carcere, priusquam educeretur, aſſidentis atque minitantis Judicis Morini voce perterritus, impiè ſe feciſſe teſtificatus erat atque irreligioſè.

Excudebantur hoc tempore Lutetiæ (b) Biblia, ſermone Anglico, ut per Britanniam diſtribuerentur in templa juſſu regis, ſed ubi reſcitum eſt, interdictum fuit, nec erat in nullo diſcrimine typographus. In Galliis vulgo non extabat lingua populari Scriptura ſacra, neque ſuſpicione carebat, ſi quis forte novum Teſtamentum aut ſimile quid Gallicè legeret; Sed neque ſacras literas tractare licebat niſi profeſſione Theologis, ac id genus aliis, promiſcua verò multitudo nihil prorſus noverat, & mulieres urbanæ Miſſam audituræ libellos in templa deferebant, qui latinas habebant precationes, eas utcunque demurmurabant, cum plane nihil intelligerent, & perſuaſum erat ipſis, multo id gratius eſſe Deo, quam ſi patrio uterentur ſermone. Hoc nimirum agebant ſacrifici, quibus erat hominum ignorantia quæſtuoſa.

Hieronymi autem *Vindocini* (c) vivicomburio propter Evangelii confeſſionem intrepidam A. 1539. ſublati exemplum primum fuit eorum, qui apud *Aginnenſes* in *Aquitania* martyrii mortem obierunt.

Andreæ Berthelini (d) ne commemoremus exemplum tragicum, flammis quippe objecti, quod ex agro Vivarienſi verſus Lugdunum iter faciens lignum vel lapidem in via erectum genuflexione ſalutare noluiſſet.

§. XLII. Annum milleſimum *quingenteſimum quadrageſimum* nobilem dubium an infamem reddiderunt, quæ cum WALDENSIUM veterum reliquiis in Gallia geſta ſunt.

R Poſt-

(a) SLEIDAN. Lib. XII. p. 195 b.
(b) SLEIDAN. lib. cit. p. 196 b.
(c) BEZA in Hiſtoir. Eccleſiaſtiq. Tom. I. p. 25.
(d) *Martyrol. magn. Gall.* fol. 119 b. BEZ. l. c. p. 26.

Poſtquam enim Lutheri doctrina obvio tam multorum favore acciperetur, reliquiæ WALDENSIUM ubique ſparſæ colligi, & creſcente Lutheri nomine vires & auctoritatem ſumere cœperunt; præcipuè in Regionibus Alpinis & provinciis Alpibus vicinis. Igitur cum Merindoliani & Caprarienſes (referente hanc cauſam illuſtri THUANO (a) ad famam eorum, quæ in Germania gerebantur, animos ſuſtuliſſent, jamque conductis ex Germania doctoribus manifeſtius quam antea ſe proderent, à Senatu Aquenſi, inſtante regio procuratore, in jus vocantur; cumque ab amicis admoniti, periculoque, quod ipſis haut dubie impendebat, ſi ſe judicio ſtitiſſent, deterriti non comparerent, trinundino citati, ut fieri aſſuevit, tanquam contumaces, horrida & ſupra modum atroci ſententia XIV. Kal. Decembris MDXL. damnati fuerunt, præſidente tum ſenatui *Bartholomæo* CASSANÆO magni nominis Jurisconſulto. Senatusconſulti illius ſententia in patres familias igne vindicatur; damnatorum bona, conjuges, liberique & cetera familia fisco addicuntur, & quia Merindolium hactenus hac peſte infectorum ſpelunca ac receptaculum fuerit, edicitur, ut ædificia omnia à fundamentis evertantur; antra, cavernæ, ac fornices ſubterranei, quibus latitent, diruantur & obturentur, ſilva circumcædatur, & arbores etiam hortorum evellantur: poſſeſſiones vero eorum, qui Merindolii domicilium habuerint, ejusdem vel ſtirpis vel etiam nominis cum prioribus dominis nemini colendæ elocentur: Tam duri decreti executio mandatur Aquenſi, Torneſienſi, Fani Maximini, & Aptenſi judicibus ordinariis; quam plerique ſuſpendendam cenſebant, & expectandum, dum legibus & conſuetudine regni tam ſevera ſententia in abſenteis & contumaceis lata, temporis lapſu in rem judicatam tranſiret, alii contra præcipitandam

(a) THUAN. Hiſtoriar. Lib. VI. Cap. XVI. pag. m. 223. ſq. Extat *de excidio reliquiarum Waldenſium & Albigenſium* Merindolii & in vicinis locis provinciæ facto ſub Rege Galliarum FRANCISCO I. lugubris narratio ex *monumentis martyrum* p. 305. in CAMERARII Hiſtor. Fratrum in Bohemia & Moravia Heidelb. 8. ubi & *Petri* WESENBECII Oratio legitur de *Waldenſibus* & *Albigenſibus Chriſtianis*, quæ A. 1585. Jenæ publicè eſt habita.

dam & odio criminis & ratione periculi, quod ab ea contagione certum erat, si mora interponeretur, executioni demandandam esse arbitrabantur, inprimis Aquensis & Arelatensis episcopi Cassanæum urgebant, & ut manu armata in contumaceis iretur, instabant, ultro in belli sumptus grandi pecunia tam suo quam reliquorum ecclesiasticorum nomine promissa. Cum gravis ab utraque parte altercatio esset, ridicula, sed personæ accommodata ratione res dilata est. Erat Aquis Sextiis Nicolaus Alienius, ex Arelatensi nobilitate vir probus, & litteris non mediocriter tinctus, Cassanæo perfamiliaris, qui cum judicii iniquitatem ægre ferret, & summopere differri illud cuperet, in colloquium privatum admissus, tali nutantem præsidem oratione aggreditur. Qui de sententia nuper in Merindolianos lata sermones ubique jactentur, non ignoras, nec mei est animi aut officii, de iis pronunciare; quippe qui sciam quantum reipublicæ bene constitutæ intersit, judiciis auctoritatem suam constare, nec temere illa in dubium revocari: sed perpensa rei gravitate, an executio differri, & mora interposita mitigari judicii acerbitas debeat, id vero quæritur; in quo cum variæ, eæque magni momenti rationes afferantur, pro familiaritate, & arcta, qua conjuncti sumus, amicitia tecum quoque familiariter & tuis argumentis agere constitui; Meministi quid olim, cum adhuc in minoribus subselliis Augustoduni in Heduis sederes, in caussa murium senseris? id enim & libris (a) editis consignasti, & te, qua animi modestia & candore es, libenter horum temporum memoriam recolere animadverti, sic autem rem enarras, „ cum in Heduensi præfectura ingens murium „ multitudo corrosis passim segetibus magnum damnum daret, nul„ lum præsentius remedium novo malo populareis invenisse quam „ si episcopus ejusve vicarius mureis diris devoveret: igitur re cum „ episcopi vicario communicata, illum censuisse ternis mureis præ„ coniis forensibus in jus vocandos; quo facto, tamen noluisse de „ concilii sententia judicium fieri, nisi prius muribus patronus da„ retur, isque pro absentibus caussam diceret: „ quapropter te murium patrocinium suscepisse, in eaque caussa pro persona, quam

(a) In libro scilicet, ab ipso CASSANÆO scripto, cui titulus est, *Catalogus Gloriæ mundi*.

ſuſtinebas, multis rationibus perſuaſiſſe judicibus, haut rite atque ordine in jus vocatos mureis, atque ut iis de integro diem curiones in ſingulis parœciis dicerent, impetraſſe, propterea quod eo judicio omnium murium ſalus ageretur: quo impetrato, rurſus in brevius tempus comperendinatum judicium demonſtraſſe, quam ut mures adeſſe poſſent, quibus per omneis vicos inſidias à felibus ſtructas eſſe conſtaret: plurima deinde, quæ ad murium defenſionem pertinerent, è ſacris libris adduxiſſe, & ut diem latius judices proferrent, tandem obtinuiſſe: eoque facto magnam æquitatis & juris peritiæ laudem te conſecutum. Nunc ad tuum te librum, ad tua argumenta voco; Quid enim magis auribus & animis hominum inauditum, quam ut qui in murium cauſſa ordinem judiciorum ſervandum duxeris, eum, cum de vita, ſalute, & fortunis hominum agitur, pervertendum exiſtimes? cave ergo, ne in ignavorum laniſtarum aut gladiatorum culpam incurrere dicaris, qui cum rudibus batuunt, gladiatoriæ artis præcepta ſervant & victores ſæpius evadunt, ubi ſtricto enſe cum inimico res eſt, furore aut perturbatione incenſi artis obliviſcuntur, & ſe plerunque confodiendos præbent. Quod in ludicro judicio ſervaſti, cum adhuc juvenis ac fere privatus eſſes, id in re tam ſeria iſtuc ætatis & dignitatis, in qua tantam de te omnium opinionem concitaſti, non ſervabis? adeone viles tibi tot miſerorum hominum animæ, ut duriorem ſortem te nunc judice, quam olim mures te patrono, experiantur? De eorum innocentia non loquor, ſed ſcis ipſe, quam multa illis calumnioſe affingantur, alioqui ſedulis Dei cultoribus, & dominis ſua jura principique & magiſtratibus tributum & obedientiam præſtare nusquam detrectantibus. Quamobrem pro neceſſitudine, quæ inter nos eſt, iterum te etiam atque etiam rogo, ut has rationes mature perpendas, tibique perſuadeas, nusquam de morte hominum, ſalute & bonis, cunctationem longam eſſe. Hoc ſermone Alienius apud Caſſaneum pervicit, ut res differretur, copiæque quæ jam magno numero convenerant, dimitterentur, donec Regis ſententia exquiri poſſet: qui ubi de Senatusconſulto per Gul. Bellajum Langæum, qui Subalpinæ provinciæ (vulgò Pedemontanæ, ſive, *Piemont*) præerat, reſcivit, eidem negotium

dat,

dat, ut de caussa ipse cognosceret, & ea cognita ad se referret.

„ Ille ergo quæstione habita sic reperiebat; Valdenseis, qui di-
„ cuntur, homines esse, qui ccc. circiter abhinc annis asperum &
„ incultum solum vectigale à dominis acceperint, quod improbo
„ labore & assiduo cultu frugum ferax & aptum pecori reddiderunt:
„ patientissimos eos laboris & inediæ: à litibus abhorrenteis, erga
„ egenos muneis esse: tributa principi & sua jura dominis sedulo &
„ summa fide pendere: Dei cultum assiduis præcibus & morum in-
„ nocentia præ se ferre: ceterum, raro Divorum templa adire, nisi
„ si quando ad vicina suis finibus oppida mercandi aut negotiorum
„ caussa divertant: quo, si quandoque pedem inferant, non Dei Di-
„ vorumve statuis advolvi: nec cereos eis aut donaria ulla ponere:
„ non sacerdotes ab eis rogari, ut pro se aut propinquorum manibus
„ rem divinam faciant: non cruce frontem insignire, uti aliorum
„ moris est: cum cœlum intonat, non se lustrali aqua aspergere,
„ sed sublatis in cœlum oculis Dei opem implorare: non religionis
„ ergo peregre proficisci, non per vias ante crucium simulacra ca-
„ put aperire: sacra alio ritu & populari lingua celebrare: non de-
„ nique Pontifici aut episcopis honorem deferre, sed quosdam è
„ suo numero delectos pro antistitibus & doctoribus habere. „

Hæc ubi ad Franciscum relata VI. Eid. Febr. anni sequentis ad Senatum Aquensem diploma mittit, quo criminibus condonatis trimestre spatium Valdensibus præstituit, intra quod sententiam publice revocare teneantur: utque intelligantur, qui sint ii, qui beneficio uti velint, potestatem per Senatum fieri decernit, ut delecti ex oppidis & vicis Aquas Sextias ceteræ multitudinis nomine veniant, & publice errorem ejerent: si in sententia perstent, de iis more majorum supplicium, implorata à Senatu, si opus sit, præfectorum militarium ope, sumatur. Diplomate in Senatu recitato Merindolianæ plebis nomine Franciscus Cajus & Gul. Armantius Aquas veniunt, supplicique libello porrecto à Senatu petunt, ut denuo de caussa cognoscatur, & vocatis theologis res in disputationem deducatur: iniquum quippe esse, ut antequam convicti fuerint, se hæreticos fateantur, aut inauditi damnentur. CASSANEUS, cui amici monita alte in pectus descenderant, sevocatos legatos, adhibi-

hibitis etiam cognitoribus regiis, viciſſim admonet, ut errorem agnoſcant, nec judicibus nimia ſua contumacia neceſſitatem imponi patiantur, ut in eos acerbius, quam ipſi velint, decernant: cum nihilo minus, ut de erroribus ſuis cognoſceretur, Caſſaneum interpellarent, ille tandem ab iis impetrat, ut doctrinæ ſuæ capita Senatui, qui ea ad regem deferri curet, exhiberent. Caprarienſes, qui in Venaſcinenſi comitatu ſunt, eodem tempore ab Avenionenſibus bello petebantur: ii in communi periculo communem quoque religionis profeſſionem (a) conſcribunt, cum Lutheri doctrina fere conſentientem: & inde ad Franciſcum, qui eam Caſtellano examinandam tradidit, inde ad Jacobum Sadoletum cardinalem Carpentoracti epiſcopum mittunt: qui, ut erat pio & miti ingenio, perbenigne ſupplices accipit, & quæ ultra ea capita libro comprehenſa de ipſis ſpargantur, ad invidiam conficta & meras nugas eſſe, ingenue declarat: id enim quæſtionibus ſuper ea re habitis ſibi certo conſtare: ceterum oblato libello videri multa ineſſe, quæ partim integra ſententia in melius mutari, partim acerbius in Pontificem & præſules dicta temperatiore ſtilo mitigari poſſint: ſe nihilo minus eis bene velle: minimeque ex animi ſui ſententia futurum, ſi cum his hoſtiliter ageretur: ſe quamprimum Caprariam ad ædeis ſuas venturum, ibique coram de re tota plenius cogniturum. Ad hæc verba propenſæ nec fictæ erga eos voluntatis ſignificationem addidit, legato Avenionenſium, qui cum manu armata adventabat, repreſſo, & ut retro cederet, admonito. Exhibita Merindolianorum confeſſione, Senatus decreto Jo. Durantius & Cavalionenſis epiſcopus, adjunctis quibusdam doctoribus, Merindolium proficiſcuntur, qui miſeros vicanos erroris coarguant & errorem quidem ejerantibus veniam & impunitatem impertiantur: ſi recuſent, rem ad Senatum referant. Quamvis illi contra animum obfirmarent, ſuperſtite tamen Caſſaneo à vi & injuria abſtinetur, quod totius rei cognitionem rex ad ſe revocaverat:

Sed

(a) Ipſam illam *Merindolenſium Confeſſionem*, cum propter rei memoriam, tum propter doctrinæ puritatem ac præſtantiam, dignam judicavimus, quam ex *Actis Martyrum* in 4. ubi fol. 104. & ſeq. legitur, inter Documenta ad hunc Tomum Num. XV. referremus.

Sed fuit hæc Persecutio, licet horrenda supra modum & atrox intentaretur, ingentemque terrorem miseris afferret hominibus, tamen ludus præ illa, quæ quarto post anno 1545. secuta fuit, ut suo loco dicetur:

Et hæc ipsa tamen, Ratisbonæ congregatos Ordines Protestantium in Germania movebat, ut mense Majo anni 1541. ad Franciæ regem (a) missis literis perscriberent atque pro iis qui per Provinciam Gallicam, ob doctrinæ professionem partim erant in vinculis partim in exilio partim in latibulis ærumnosam vitam agebant, intercederent, testificantes, quod hi equidem propter piam doctrinam cum sint odio, prægraventur aliis criminibus & dicantur seditiosi. Sed quod viderint Confessionem ærumnosorum illorum oblatam Curiæ Gratianopolitanæ (sive Aquitanicæ) & purgationem objectorum criminum, unde magis pro iis deprecandum duxerint, quia doctrinæ confessio pia erat, & haud dubiè pura sententia Catholicæ Ecclesiæ Christi, quam & ipsi profiteantur.

§. XLIII. Hoc eodem anno 1540. *Stephanus* BRUNUS (b) inter alios constantes ac fideles Christi martyres numerandus, itidem ob Evangelii confessionem subire mortis debuit supplicium; Cujus historia vel ob id admiranda magis omnibus accidere debet, quod ipse qui rei rusticæ, colendisque agris toto vitæ tempore operam dederat, natus scilicet atque educatus in Reorterio pago quodam Delphinatus, scientia veritatis omnes Ebredunensium astutias confutarit, atque Archiepiscopatus Ebreduni larvas facilè detraxerit, præsentique animo hypocrisin sacrificorum reprehenderit. Quamvis autem liberales artes in scholis non addidicisset unquam, Gallicéque tantummodo legere & scribere nosset, lectioni novi Testamenti magnopere addictus, ex quo sacrificorum errores deprehenderat: tamen quæ erat innata hominis ingenio dex-

(a) SLEIDAN. Histor. Lib. XIII. p. Et fuit MELANCHTHON illarum Literarum scriptor, uti etiamnunc eæ inter *Epp. Melanchthonianas* leguntur Lib. III. ep. 2. fol. 488. edit. Londin. unde eas depromere & Documentis nostris Num. XVI. inserere æquum duximus.

(b) *Actiones & Monumenta Martyrum* Genev. 1560. 4. p. 66. sqq. Conf. BEZ. Hist. Eccl. T. I. p. 26.

dexteritas, quo certius omnes Papiſtarum tergiverſationes & fallacias cognoſceret, ſummo labore tandem perfecit, ut conferendo aſſiduè exemplar Gallici teſtamenti cum Latino, ipſe etiam Scripturæ teſtimonia Latinè & recitare & intelligere potuerit. Cæterum cum hæc lux lippitudini multorum moleſtior eſſet, accidit ut anno milleſimo quingenteſimo trigeſimo octavo in carcerem Archiepiſcopi incluſus fuerit, ubi primum circunventus adverſariorum neſcio quibus technis (quas homo & ſimplex, nec callidus admodum, parum intellexit) formulam abjurationis latinè ſcriptam recitavit. Verum, carcere illo liberatus, ubi fraus inimicorum ei ſubolevit, re & verbis ſæpius animi dolorem teſtatus eſt, ſuæque carni ſuccenſuit, quod tam propenſa fuiſſet ad defectionem; ſibi quoque ipſe ſubinde ita minans, Me miſerum, haudquaquam cadaver iſtud evadet, ſi me rurſum capi contingat, ſed periurii pœnas dabit, ſpero.

Anno itaque MDXL. Brunus iterum in vincula conjectus Ebreduni fuit, perſequente eum *Gaſparo Angerio Vapincenſi*, redituum Archiepiſcopi redemptore, qui bona Bruni publicanda atque in fiscum redigenda, jam tota ſpe, animo & cogitatione devorarat. Ille, inquam, opera Inquiſitoris Franciſcani, cui *Domicelli* erat nomen, & alterius cujusdam Vicarii nequitia utens, omni ratione vitæ Stephani inſidias ſtruxit.

Stephanus autem in carcere per adverſarios laceſſitus ad palinodiam canendam (ut prius imprudens fecerat) ne latum quidem unguem eis ceſſit, ſed minas & preces illorum præpoſteras fortiter contempſit. Quum illi proponeretur, uxori adhuc juveni, & quinque liberis penuriam fore, illo mortuo: *Modò*, inquit, *liberis meis pabulum animi, quod eſt Verbum Dei, concedatur, de pane corporis non ſum ſolicitus.*

Menſe autem Junio ejusdem anni ductus ad Judices, ut ei ſententia capitis pronuntiaretur, ſic eos intrepido animo eſt allocutus, „Quid agetis miſeri? mortisne me damnabitis, qua mihi ex „hac vita demigrandum ſit? mors ſanè mihi terribilis non eſt, „quum ex miſeriis ad beatam immortalitatem tranſiturus ſim.„ Ad locum ſupplicii Planuol appellatum quum duceretur, plebem ad pietatis ſtudium hortatus eſt, ibi vi & impetu venti flammam

huc

huc illuc abripientis ac deprimentis, intactus ferè unius horæ spatio ad palum ligatus stetit, adeo ut nova sarmenta & vasa olei plena, consumptis lignis, afferri necesse esset, quibus ignis adjuvari posset: nec tamen ita rectè comburi potuit, quin salvus adhuc evadere posse videretur. Quo viso carnifex fustem in hominis caput totis viribus impegit. Cui etiamnum vivens dixit *Stephanus*, Cum igni adjudicatus sim, ecquid me vis baculis enecare velut canem? Tum carnifex præpilato baculo viscera Bruni trajecit, quem prostratum in cineres redegit: atque eos postea in rupe collocatos ventis tradidit. Magistratus autem per præconem vetuit ne quis mentionem ullam mortis illius faceret, nisi hæreticus haberi vellet, eundemque casum & exitium experiri.

Sed & *Claudius* PICTOR, natus Lutetiæ in suburbano sancti Marcelli, professione aurifex, internecini in doctrinam restauratam odii tristes persentiscere debuit effectus? Erat is per triennium versatus in civitate Genevensi, quæ tum jam Evangelii luce collustrata erat, ac indies collustrabatur. At verò, Lutetiam revertendi cum cepisset consilium, ut propinquos, parentes, amicosque, gratiæ, quam à Deo acceperat, participes faceret, eosque in cognitione veritatis institueret, factum est, ut ab illis traderetur Morino (a), præfecto rerum capitalium, homini ad omnem immanitatem proclivi;

Is autem audita ejus Confessione puræ Christianæque doctrinæ plenissima, statim eum ut vivus igni traderetur condemnavit. Curia parlamenti suprema, Morini sententiam suo more corrigens, etiam addidit, ut ei lingua præcideretur; Fuit verò admirabilis ejus constantia, & animi moderatio in vultu atque gestu declarata, cum probra, quibus homines eum ad supplicium euntem prosequebantur, æquo animo ac vultu alacri & hilari exciperet ac ferret. Eandem animi æquitatem atque alacritatem retinuit, & declaravit in ipso mortis genere suscipiendo, quo vivus igni consumtus est Anno 1540.

§. XLIV. Neque verò etiam illæ quas diximus literæ Evangelicorum Principum, quicquam ad emolliendum vel Regis vel

S Per-

(a) Conf. *Act. Martyrum* l. c. & BEZ. l. c. p. 27.

Persecutorum animum effecerunt, quippe cum etiam ingravescerent Persecutiones, ipseque Rex haud ita multò post, A. 1542. publice ediceret, ut si quis minus rectè de fide (a) deque religione sua suorumque sentiret, ut sui delicti publicè det pœnas; Quid? quod is cum adversus Imperatorem ac universam Germaniam flagrantissimum bellum ageret, denuò quoque in Lutheranos eodem anno proposuerit edicta, intereà dum Senatus Parisiensis (Parlamentum vocant) gravi constituta pœna denunciat librariis, ne quos libros damnatos atque suspectos excudant, divendant, & nominatim *Johannis Calvini* librum (b), qui est de Institutione religionis Christianæ. Deinde, rogatu inquisitoris fidei, quem vocant die VII. Julii decernit, ut pro concione populus admoneatur, officium suum Ecclesiæ præstent, & si quem Lutheranum aut de religione malè sentientem norint, deferant, hoc enim esse Deo gratissimum opus:

Ecclesiæ verò ministris præscripta fuit formula (c), quam in explorando sequerentur; Publicè verò propositum fuit edictum (d), quo deferri jubentur & accusari qui ritus atque leges ecclesiæ negligunt, qui libros habeant alienos à fide Christiana, vel eos aliis dant legendos, aut sponte per vias abjiciunt inter eundum, ut spargantur, qui privatis in ædibus aut hortis conveniunt, & consilia cudunt adversa legibus ecclesiæ, qui suas in domos & hortos id genus homines recipiunt, qui sint harum rerum conscii, jubentur intra sextum diem deferre theologis doctoribus, ab Inquisitore delectis, *Henrico Gervasio* (e), *Nicolao Clerico*, *Petro Richardo*, *Roberto Buccino*, *Johanni Benoto*, *Francisco Picardo*, *Johanni Morino*, nisi faciant, excommunicantur. Librariis etiam mandatur,

(a) SLEIDAN. Lib. XIV. p. m. 240 b.
(b) SLEIDAN. l. c. p. 241 b. Hanc Senatus Parisiensis publicationem, cum nobis ex Tabulario Facultatis Parisiensis communicaverit in Collect. Judiciorum de novis erroribus Dn. d'ARGENTRE Tom. II. fol. 133. 134. inde eam depromemus atque inter documenta Num. XVII. legendam dabimus.
(c) Hanc formulam in Histor. Reform. Belg. jam exhibuimus §. LII. p. 173.
(d) SLEIDAN. l. c.
(e) BEZ. Histoir. Eccles. l. c. p. 30.

tur, si quid habeant excusum aut manuscriptum, quod aliquo modo suspectum sit, aut ab ecclesiæ consuetudine alienum, ut intra sextum diem ad illos deferant, post, non fore purgationi locum. Quo die divulgatum est hoc edictum, supplicatio facta fuit ad templa divorum, & regni salutis & conservandæ religionis causa, & circumgestata fuit Genovefa, tutelaris ipsorum Dea; Et his ipsis diebus exusti quidam fuerunt propter dogma.

Docebat per id tempus (a) Lutetiæ populum, in æde sanctæ crucis, *Franciscus Landrus*, & pure quidem, neque missificabat, quod vinum non biberet, naturane vel instituto incertum. In hunc ordo Theologorum ingens odium concepit: cumque per emissarios quædam illius dicta notassent, hæc demum capita doctrinæ proponunt: „ Sacrificium Missæ institutum esse à Christo, & prodesse tum vivis tum mortuis: Orandos esse divos, „ ut sint nobis ad Christum intercessores & advocati: Panis atque vini substantiam in consecratione mutari: Sacerdotibus „ tantum licere consecrare panem & vinum, & ad eos modo „ pertinere cœnam Domini totam. Vota Monastica servanda. „ Confirmatione & Unctione Sacramentis conferri Spiritum Sanctum. Oratione, jejunio & bonis operibus animas è purgatorio liberari. Leges ecclesiæ de jejunio & ciborum delectu „ obligare conscientiam; Unum esse summum Ecclesiæ Præsulem atque Pontificem, cui jure divino teneantur omnes obedire; Multa esse credenda & necessario recipienda, quæ non „ sunt prodita scripturis. Indulgentiis pontificiis condonari pœnam purgatorii. Sacerdotes etiam impuros & vitiosos consecrare corpus domini. Peccata omnia mortalia esse revelanda „ Sacerdoti, & sacramentalem absolutionem ab eo recipiendam. „ Homini esse liberum arbitrium, quò possit agere bene vel „ malè, & resurgere à peccato per pœnitentiam; Non sola fide, „ sed per charitatem & veram pœnitentiam acquiri peccatorum „ remissionem: Ecclesiam & Concilia legitimè congregata non „ posse errare, & iis esse parendum. Ad Ecclesiam pertinere „ judicium & interpretationem Scripturæ, si quid sit controversum. „

(a) SLEIDAN. l. c. p. 242 a.

Hæc eum approbare & sigillo suó confirmare volebant; Ille, diebus aliquot interjectis, generatim respondet, „ pium & sanc„ tum esse, quicquid de his rebus Ecclesia sancta & Catholica „ tradat. „ Sed eo responso minimè contenti, graviora in ipsum moliebantur:

Erant hi iidem illi articuli, quos Facultas Theologica Parisiensis in genere contra Lutheranos errores d. x. Martii A. 1542. definiverat, & quos alibi (a) jam exhibuimus. Qua quidem in re insolens sanè facinus ausa erat Sorbona, P. Liseti tum in Parlamento Parisiensi (b) principis infaustæ infelicisque memoriæ hominis favore, ceteroquin nullo neque divino neque humano jure fulta, fidei scilicet Christianæ articulos ut præscriberet, sibique ut Judicium de Controversiis religionis arrogaret, ejusmodi quidem, ut tum sua falsitate, tum illis summis ineptiis, quæ erant illi sodalitati familiares, omnem sibi ipsis auctoritatem apud homines non prorsus amentes meritò derogare potuerint: quibus tamen alii metu, alii per imperitiam ultro subscripserunt. His itaque respondit è vestigio CALVINUS iis opponendo Antidotum (c), ita ut errores solidis rationibus pereruditè refutaret, & eorundem stultitiam omnibus non penitus insulsis suaviter deridendam proponeret. Et nihilo tamen secius eosdem hosce articulos à Francisco Rege tum comprobatos subsequente tempore pro Confessione quadam fidei habitos, historia sequentium Galliæ regum comprobabit.

§. XLV. Inter hæc, cum homine pio pariter atque in veritate Evangelica mirum in modum usque ad martyrii mortem constanti Aymondo à Via (*Aymond de la Voye*) acta est apud *Burdigalenses* fabula; quam nobis Martyrologia retulerunt; Is cum in urbe S. Fidei in tractu Agennensi doceret Evangelium, eoque ipso Sa-

(a) vid. Document. ad Tom. III. *Histor. Reform.* Num. VIII. pag. 87——95. conf. ARGENTRE Tom. I. P. II. pag. 412. 413. & LAUNOJ. in tractatu de scholis celebrioribus Cap. LX. Artic. XXIII. Opp. Tom. IV. P. I. p. 127. itemque Cap. LIX. Artic. XI. p. 89. 90. ubi iidem exhibentur.

(b) BEZA in Vit. Calvini p. 371.

(c) CALVINI Opp. Tom. VIII. fol. 190. sq. conf. BEZ. Histoir. Ecclef. p. 33.

Sacerdotum Pontificiorum suo quæstui unicè inhiantium, invidiam & odium incurrisset, à summo Senatu S. Parlamento Burdigalensi dabatur in captivitatem; Burdigalam (a) cum deductus esset, ferè nihil adversus ipsum à sacrificis proferri poterat, quam, quod finistrè de Purgatorio sentiret, quippe qui purgationem nostram solum esse per sanguinem Jesu Christi affirmasset. Ea actio, quippe cùm Purgatorium apud ipsos esset quæstus longè uberrimus, tametsi testes quoque ac accusatores essent suspecti, ipsi intentata in novem mensium carcerem eum injiciebat, in quo uti multas subire debuit ærumnas, ita tàmen fide ac spe firmissima fultus minimè succubuit. (b) Tanta autem fuit hujus viri integritas, ut adversarii etiam & accusatores ipsius vitæ sanctimoniam prædicare cogerentur, sive propriam fateretur coram Deo indigentiam atque indignitatem, sive Judices alloqueretur, sive qui eum invisebant amicos, sive ad infensissimos sacrificos & monachos verba faceret, nam & gravissimis licet tormentis excarnificatus, ne quidem suos deferre voluit fidei socios, id solummodo ingeminans: „ Sunt omnes ii mei socii, qui sciunt „ ac faciunt voluntatem Dei Patris mei, sive ii nobiles, merca- „ tores, agricolæ, sive alterius ordinis ac conditionis homines „ sint: „

Cæterum, quum ipsi jam ignis supplicium esset denunciatum, venirentque ad eum Præsides, Chassagnæus, Longa, & plures alii consiliarii, is longum habere cœpit sermonem de S. Cœna, atque hanc suam professus est fidem: „ Quod scilicet, quoties- „ cunque Christiani (c) in vera unitate ac concordia conveniunt, „ docentes eandem omnes doctrinam, atque in fide non ficta & „ spe certa sumunt panem, revera corporis & sanguinis Christi „ participes fiant, ibique in eam sententiam citavit locum Pauli „ 1 Cor. XI: summa profecto cum gratia scripturam exponens. „ Ac dum ipsis loqueretur, semel alta voce exclamavit. Verba „ quæ vobis loquor: Spiritus sunt & vita; Tandem subjecit,

 „ Hæc

(a) v. BEZA Histoir. Ecclesiastiq. p. 27. conf. Actiones & Monumenta Martyr. 1560. 4. p. 82. sq.
(b) Act. Martyr. p. 83.
(c) Act. Mart. p. 84.

„ Hæc mea eſt fides, Domini mei, de qua nunc accuſor: ſed „ inprimis, omnibus notum eſſe volo quid de Cœna ſentiam, „ Omnes nempe Chriſtianos communicare corpori & ſanguini „ Jeſu Chriſti, quicunque fide recipiunt panem & vinum oblatum in Cœna: iterumque varios Scripturæ locos in quibus „ Cœnæ fit mentio, produxit. „ Sed plenius de ſingulis diſſerere volentis ſermonem interrupit ſecundus præſes: Audi, inquiens, oportet nobis aperias tuam de Purgatorio opinionem. Ad hoc ille; „ Rectè mones, inquit, dicam quod ſentio, noſti „ in ſcriptura ſynonyma eſſe hæc verba, Purgare, Mundare, „ & Lavare. Habes apud Jeſajam, Dolores noſtros ac languores „ ipſe tulit, revera factus eſt noſtra ſalus & purgatio. Dico equidem niſi expurgati fuerimus quaſi aurum in fornace, nunquam „ introibimus Paradiſum. „ Tum ſecundus præſes, Videte, inquit, quemadmodum Lutherani iſti circuitione utantur. Id minimè rogamus: ſed dic, an aliquis ſit locus ubi animæ poſt corporis ſeparationem purgentur, quando in vita non egerunt debitam pœnitentiam. Cui ille reſpondit; „ Eheu mi domine, „ ſine me, ſcis enim certò quod in turba & perturbatione dicitur, „ haud poſſe intelligi, dico jam tibi, Jeſum Chriſtum ſua morte „ pro omnibus peccatis noſtris ſatisfeciſſe, nosque in ejus ſanguine lotos eſſe, ut eſt in ſacris literis: Ipſe lavit vos in ſanguine ſuo, redempti eſtis non auro, ſed ſanguine Chriſti. „ Non legiſti epiſtolas D. Pauli, in quibus toties inculcatur, „ nos per ſanguinem Jeſu Chriſti mundos eſſe à peccatis? Epiſtolæ illæ, reſpondit ſecundus Præſes, pueris ipſis notæ ſunt. „ Quid pueris? inquit Aymondus, vereor ne tu vix eas legeris. „ Tum quidam monachus, Magiſter Aymonde inquit, uno verbo ipſis ſatisfeceris, ſi dixeris locum quendam eſſe in quo animæ quæ ex hoc corpore migrarunt, purgentur. Hoc inquit „ ille, tibi dicendum relinquo. Ecquid vultis me damnari, & „ dicere quod neſciam. Ibi denuò idem ſecundus Præſes illum „ aggreſſus eſt, Ades, inquit, nonne tu jam moriturus ſperas „ adire Purgatorium? & qui moritur in peccato veniali, rectáne introibit Paradiſum? Ad hæc ille reſpondit, tantam ſe habere in Deo ſuo fiduciam, ut eo die in Paradiſum iturum eſſe

„ cer-

,, certò consideret. Rogavit alter, ubinam esset Paradisus. Ibi,
,, inquit ille, est, ubi Dei majestas & gloria residet. Canones,
,, inquit primus Præses, faciunt mentionem, ut canon, Animæ
,, defunctorum, & alii: atque in tuis concionibus maxime sem-
,, per commendabas pauperes. Ad quæ respondit, se verbum
,, Dei concionatum fuisse, Canones verò non didicisse. Exce-
,, pit mox Præses, Credisne in Ecclesiam? Respondit ille, se
,, credere verum esse, quod Ecclesia regenerata per sanguinem
,, Christi, fundata in ejusdem verbo, statuisset. Quænam ea es-
,, set Ecclesia, interrogabat Præses. Cui ille, græca vox est
,, Ecclesia, quæ latinis significat Congregationem sive Con-
,, ventum. Equidem dico, ut promisit Christus: Quotiescun-
,, que fideles congregantur ad honorem Dei, religionisque Chri-
,, stianæ propagationem, vere inter eos esse Sanctum Spiritum.
,, Ad hoc secundus Præses intulit, Sequitur igitur ea ratione plu-
,, res esse ecclesias: ac, si convenirent rustici, fore ecclesiam.
,, Non est quicquam, inquit ille, absurdi, plures haberi inter
,, Christianos coetus, sic enim loquitur D. Paulus, *Omnibus
,, ecclesiis quæ sunt in Galatia:* tamen omnes illi coetus unicam
,, constituunt Ecclesiam. Tum consiliarius de Longa, Eccle-
,, sia, inquit, in quam credis, an non ea est, quam vocat no-
,, strum Credo, Sanctam ecclesiam? Ad hoc ille, Confiteor sanè,
,, atque de ea loquor. Ibi secundus præses interrogavit, quis-
,, nam esset ejus Ecclesiæ caput? Jesus Christus, respondit Ay-
,, mondus. Non autem Papa? subdit Præses. Non, inquit.
,, Quid igitur? Minister, si vir bonus est: quemadmodum &
,, Episcopi ministri sunt, ut testatur caput quartum prioris Epist.
,, ad Corinth. *Sic nos existimet homo, ut ministros & dispen-
,, satores arcanorum Dei.* Rogatus autem, an crederet Papæ?
,, dixit nescire se quisnam ille esset. Iterum rogatus, anne is
,, esset successor Petri. Si, inquit, similis est Petro, fundatus
,, super veram Petram Jesum Christum, credo opera ipsius at-
,, que statuta optima esse. Hic præses, Miseret me tui, inquit,
,, quia miser homo exitio devotus es. Quid? exitio devotus
,, ais, inquit Aymondus, & semel atque iterum repetens ea ver-
,, ba, exclamavit, O qualem mihi iste affert consolationem! at

,, ego

„ ego contra ſpero videre hodie Deum meum, ac Patrem meum:
„ & quis me ſeparabit à charitate Dei? an gladius, an fames,
„ an nuditas? non, nihil me ab ea divellet: ſed me omnium ve-
„ ſtrum valde miſeret; „ His dictis illi egreſſi ſunt, Aymondus cum monachis ſolus relictus eſt. Non ita multò poſt exivit ipſe ad ſupplicii locum ducendus: atque in egreſſu canere cœpit Pſalmum, in exitu Iſraël de Agypto &c. ſubſtitit verò ante cuſtodiam Palatinam, ad captivos reſpiciens, & clamans, „ Fratres mei,
„ ſperate in Jeſum Chriſtum, ponite in eo ſpem veſtram, nec
„ vos quicquam percellat. Locutus ſum de vobis cum ſecundo
„ Præſide, oſtendens ei miſerias quas toleratis propter procra-
„ ſtinationes judiciorum, qui mihi promiſit ſe vos brevi expe-
„ diturum: fratres mei, vobis jam valedico, Abeo ad Deum,
„ qui & meus & veſter eſt communis Pater, precamini illum
„ mecum, ut ſua me gratia dignetur. Domina cuſtos, gratias
„ tibi ago pro tuis in me officiis, tibique commendo miſeros
„ captivos, ut te ipſis mitem exhibeas. „ Ibi conſcendit rhedam, atque egrediens Palatium, orſus eſt iſtud: Cæci ſunt & duces cæcorum, aures habent, & non audient: oculos habent, & non videbunt, atque ita Pſalmum abſolvit usque ad S. Andreæ, ubi illum incitabant ut veniam peteret à Deo, Virgine Maria, atque Juſtitia. Implorabat quidem veniam à Deo, ipſiusque juſtitia: ſed Mariam nulla in re ſe offendiſſe dicebat: atque in quo nulla eſſet offenſa, nullam quoque veniam requiri. Inde ductus fuit ad S. Legiæ, totoque itinere non deſtitit concionari populo, ſeipſum confirmans, atque exultans quod pro Chriſto moriturus eſſet, qui pro ipſo horrendos mortis dolores perpeſſus erat. Tum quidam ſatellitum, Perge, Perge, inquit aurigæ: concionum plus ſatis habemus. Ad hoc Aymondus dixit; „ Qui ex Deo eſt, libenter audit ſer-
„ mones de Deo. Quum autem præteriret quandam effigiem
„ Divæ Virginis, magna hominum turba non ſine contumeliis
„ in eum vociferabatur, quia imaginem non ſalutaſſet: & quia
„ unicum Jeſum Chriſtum aſſiduè invocaret, non autem Virgi-
„ nem Mariam. Quo viſo ille vocem extulit, Precor te Do-
„ mine Deus, ne unquam permittas, ut quenquam præter te
„ ſo-

„ solum, ad auxilium implorem. „ In ipso supplicii jam loco, cum vellet condemnationis suæ rationem explanare, non licuit per satellites, sed ferè à tortore in terram detrusus fuit: descendens autem de rheda, *Domini mei*, inquit, *morior pro Evangelio Jesu Christi*, *& verbo ejus*: ac plenius dicere volens, orsus est hoc pacto: *Christiane*, *audi me*: Quod ut impedirent apparitores, magnos excitarunt tumultus, cum hujusmodi clamoribus, Tolle, tolle, ne quid loquatur. „ Quid, „ inquit ille, an non per vos licebit mihi declarare populo, me „ non ut hæreticum sed Christianum mori? Minimè, clamabant cæteri. „ Eheu, quidni? Ac tum locutus est submissa voce ad aurem parvi illius Carmelitæ, quem antè converterat. Carnifex dein arreptum jussit conscendere scalas: Hic ille clamare cœpit: „ Domine, ad auxiliandum mihi festina, & ne „ quid tarda: opus manuum tuarum ne despicias. Ignosce istis, „ quia nesciunt quid agant. Fratres mei, Domini scholastici, ob- „ secro vos ut Evangelio operam detis: solum enim verbum „ Dei manet in æternum. Discite notitiam voluntatis Dei ne „ timeatis eos penes quos tantum est potestas in corpus, non „ autem in animam. Postremò dixit, Caro hæc mirificè cum „ Spiritu luctatur, sed eam continuò abjiciam. Domine, in „ manus tuas commendo animam meam: Domini mei orate Deum „ pro me ac subinde iterabat hanc precationem: Domine Deus „ meus, in manus tuas commendo animam meam. „ Tandem carnifex eum in scalis quassabat ut præfocaretur: atque ita vir pius expiravit, corpus autem postmodò igne consumptum fuit.

§. XLVI. In hoc autem tempore apud Mediomatrices sive Metenses docebant Evangelium (a) unus & alter ordinis Dominicani, cumque sacerdotum turba non obscurum odium præ se ferret, plerique cives vehementer orabant Senatum, ne docentes impediret, omnem obsequentiam professi.

Imo verò etiam, *Gulielmns Farellus*, *Neocomensium* tum Pastor Ordinarius A. 1541. literas ad Senatum Metensem (b) scripsisse re-

(a) SLEIDAN. Hist. Lib. XIV. p. 242 b.
(b) ANCILLON Vit. Farelli p. m. 210.

refertur, quibus eum ut libera daretur Evangelicis facultas suam profitendi religionem exorabat: Et venit is tum quoque eò evocatus, mense scil. Septembri anni 1542. ibique primò quidem in urbe, privatim, post in castello quodam, foris, docebat. Erant quoque inter Senatores nobiles viri *Johannes* & *Casparus ab Huy* (a), qui, cum Episcopus Cardinalis Lotharingus, conciones in urbe impediret, & vim ex vicina Lucenburgensi regione, aliisque Belgicis provinciis, Cæsari subjectis ostentaret, in prædiis suis urbi adjacentibus concionatores habebant, ad quos audiendos magnus populi numerus concurrebat.

Erecti verò Senatores, cum civibus Evangelio addictis, successu rerum à fœderatis hoc anno gestarum, mense Novembri recipi se in societatem (b) & protectionem Smalcaldici fœderis petierunt, urgentes suam hanc petitionem, „quod, si ipsis contingeret esse tam „felicibus, non solum totam urbem Metensem facilè Evangelio „& Religioni repurgatæ possint lucrari, sed & quod magna inde „in Evangelii causam utilitas sit redundatura, cum Urbs Meten„sis cum propter potentiam tum propter situm semel collustra„ta facilè in omnes circum circà regiones, Burgundiam, Lo„tharingiam, Galliam, Lucenburgensem tractum & Brabantiam „Evangelii lucem esset diffusura.„ Nec abnuebat *Philippus Hassiæ Landgravius*, ab *Argentoratensibus* sollicitatus;

Sed non parum dubitavit Elector Saxoniæ, stante formula conventionis cum Cæsare, per quam quidem civitatibus liberis patrocinium præstari poterat, sed eam Meti non postulabat totus Senatus, verum, quidam ex illo & pars civium minor. Extat Lutheri de hoc casu responsum (c), in cujus tergo notatum est, Melanchthonem ea-

(a) v. SECKENDORF. Histor. Luther. Lib. III. Sect. 25. §. XCVII. p. 399.

(b) Extant eam in rem literæ civitatis Ulmensis ad civitatem Memmingensem d. XI. Decembris & civitatis Argentinensis ad Ulmensem d. 3. Decembris itemque *Philippi Hassiæ Landgravii* ad Conventum Evangelicorum Swinfurtensem d. 12. Novembris 1542. datæ, in Actis Historico Theologicis Sæculi XV. & XVI. à doctissimo SCHELHORNIO editis P. I. pag. 162. sq.

(c) Hujus responsi in Archivo Vinariensi reperiundi tenorem nobis loco citato communicat Illustris SECKENDORFIUS.

eadem ſentire. Concedit Lutherus, quod Principibus liceat aliis ex juſta cauſa & pro viribus ſuccurrere, & probat exemplis ex ſacris literis adductis: concedit itidem privatorum protectionem ſuſcipi poſſe, qui manifeſtam vim & tyrannidem patiuntur: ſed hoc caſu multa expendenda & cavenda eſſe, non tantum quoad jus, ſed &, quoad vires & utilitatem. Veretur ne exitium paretur infirmæ Evangelicorum Metenſium parti, prævalente Senatu & longè majori parte incolarum, quibus auxilio adfuturi ſint, Burgundi, Lotharingi, Galli, omnes Evangelio infeſtiſſimi & crudeles, quod Lotharingorum exemplo probat, qui in ruſticos, licet dedititios Anno 1525. immaniter ſævierint. Dijudicandam itaque rem Principibus relinquit, conſideraturis, quo ſucceſſu parti civitatis opem ferre poſſint, ſine majoris mali periculo, petit tamen ut legati Metenſium (ii erant *Johannes Niedbrucker* (a), vulgo D. *Hans von Metz* & *Johannes Carquienus*) non ſine omni conſolatione dimitterentur.

Pontanus d. 21. Novemb. Electori ſcribens, Lutheri ſententiam laudat, qui dixerit, intricatiorem eſſe caſum, quam ut de eo pronunciare audeat, & precibus Deo commendandum eſſe.

Interea per literas & legatos id negotium tractari viſum eſt; Et literas quidem jam *antea* quoque die ſcil. 7. Novembris dederant Fœderati Evangelici, ad Ducem Lotharingiæ (b), qui Metenſibus ob religionem infeſtus erat, atque ex vicinia nocebat: In iis removent, quibus apud exteros diffamari ſe ſciebant, calumnias, dicunt, Reformationem cum in fide tum in moribus fuiſſe neceſſariam. Petunt, ne ſe adverſus Metenſes concitari patiatur, qui tranquilli & fideles ſint in officiis civilibus, & nihil deſiderent quam doctrinam puram & uſum Sacramentorum ſincerum &c. Dehortantur Ducem à conſiliis violentis, quæ publicam turbent pacem;

Sed *nunc*, mittebantur Metim, à fœderis Proceribus, *Theodori*-

T 2 *cus*

(a) *Doctor Hans von* NEYDPRUCK. vid. lit. civit. Argentorat. l. c. p. 164.

(b) Has literas prorſus egregias ſtylo *Ph. Melanchthonis* ſcriptas inter Documenta huic volumini ſubnexa Num. XVIII. referre, nobis viſum fuit opportunum, ex Epiſtolis *Melanchthonianis* Lib. I. Ep. 58. edit. Londinenſis.

cus Comes à *Manderſcheid* & *Petrus Sturmius*, Argentoratenſis, qui cum Senatu d. 8. Martii egerunt, ut unum ſaltem ex novendecim templis Parochialibus Evangelicis concederet;

Multum operæ tum præſtitit Comes FURSTENBERGIUS, qui haud procul ab urbe caſtellum *Gorſam* poſſidebat, in quo concionatorem habebat Evangelicum. Tumultus tamen hoc tempore à plebe urbana contra Comitem in urbe tunc verſantem excitatus, & viciſſim, Comite Sacerdotibus & Senatui minitante, novæ Legationi cauſam dedit (a), quam Dux Wurtemburgicus, Landgravius Haſſiæ & Senatus Argentoratenſis eò miſerunt, à qua d. 16. Martii 1543. transactio quædam procurata eſt, in qua Senatus unius templi conceſſionem promiſit: Manſerat interea tamen major Senatus pars Epiſcopo & clero addictus: De eo queſti ſunt in conventu Smalcaldico Scabinus *Hujus* (b), & Doctor ille *Johannes*, referentes, quod ſacerdotem quendam Gallum, â Duce Aureliano Regis fratre, miſſum, in urbe haberent, de pulpito atrociſſimè in Evangelicos invehentem; Deinde, quod connivente Magiſtratu, plebs infima concionatorem Evangelicum in platea euntem variis contumeliis afficeret, denique etiam, ferre nollent, ut diebus non feriatis conciones haberentur. Literas itaque ex conventu d. 19. Julii Duces fœderatorum ad Senatum dederunt ſeriò hortantes, ut & maledicum illum compeſcerent, & ſecundum pacta, ipſorum rogatu d. 16. Martii inita, concionatorem Evangelicum tuerentur, offerunt etiam, ſi Senatus id peteret, Theologos mittendos, qui religionis Evangelicæ rationem redderent, & cum adverſæ partis ſacerdotibus diſputationem inſtituerent.

Quid verò tum Senatus reſponderit, incertum, id ſaltem certum, quod antiquæ ſuperſtitionis ſtudium prævaluerit, & auctoritas Cleri: Nam paulo poſt Senatus à Regimine Bruxellenſi impetravit, ut in urbem mitteretur Conſiliarius Cæſaris *Carolus Boiſſotus*. Is d. 12. Octobris Metim venit, & concionatorem Evangelicum *Vaultrinum* ejecit, *nebulonem* eum vocans, qui *Lutheri*, *Melanchthonis*, *Buceri* & *Calvini* dogmata lau-

(a) SECKEND. l. c. p. 399 b.
(b) SECKEND. l. c. p. 400 a.

laudasset. Recitatum est altera die edictum Cæsaris, quo Senatui (a) mandat, ne quid novi dogmatis admittant, & in sontes animadvertant; Cui ut obtemperaret Senatus, Mandatum edit (b) in quo Evangelicam doctrinam prorsus prohibent (in exilium jam pulsis plurimis, qui eam professi erant) omnes etiam libros & nominatim cantionum & Psalmorum sub gravi pœna vitari jubet. Hymnos illos vocat *Martinianos*; addit tamen (ne apud Proceres Protestantium nimium odiosi fierent;) se illos non improbare, sed propter abusum vetare, omnemque rigoris hujus causam in Cæsarem ejusque Legatos rejicit, simul tamen, qui secus fecerint, iis & mulctam & exilium & alias pœnas, pro cujusque merito constituit.

§. XLVII. Cæterum eodem hoc anno 1543. in festo Resurrectionis Christi d. 25. Martii, gravissima tempestas, non abnuente neque improbante Galliarum Rege, in Metenses Evangelii Confessores, est effusa; Scilicet, cum, uti diximus, Comes Furstenbergius, Castellum *Gorsam* possideret, ibique concionatorem haberet Evangelicum, factum est, ut cives Metenses, quibus equidem ex pacto concessum erat in urbe conciones audire, non verò etiam sacramenta participare, ad ducentos viros fœminasque, urbe exirent Gorsam, ut Sacramentum â *Gulielmo Farello* ibi tum sacra administrante acciperent; Id cum rescivissent Pontificii, cumprimis Galli, qui præterea Furstenbergio infensi erant (quod cum anteà suo *Francisco Rege* stipendia meruisset, is nunc Cæsari suum addixisset servitium) non invido solum oculo id aspicere, sed & subornare qui vi facta in homines innocuos irruerent; Etenim, Ducis Guisii filius Aumalius (in gratiam agnati Episcopi Metensis) cum turma, cui præerat equestri, impetus in illos facere violentos haud verebatur, sicque quosdam ex iis occidit, quosdam in flumen Mosellam præcipitavit, Fœminas, atque inter has gravidas (c), ad mortem usque obscœnum dictu constupravit, quosdam in fuga deprehensos pro-

(a) SLEIDAN. Histor. Lib. XV. p. 256 b.
(b) SECKENDORF. l. c. p. 400.
(c) FURSTENBERGII liter. d. 27. Mart. dat. apud SECKEND. l. c. p. 400.

pe urbem ab arboribus suspendit, dum pauci quidam reliqui perfugium in arce, quæ *Furstenbergii* præsidio tenebatur, haberent.

Hanc sævitiam plane immanem cum molestissimè ferrent Protestantes, & apud Regem Galliæ de ea questi essent non unis literis, in quibus d. 21. Maji sibi non potuisse persuaderi scribunt, tale facinus commissum esse ab eo, qui ex summo & principe genere natus sit, deinde, non posse non dolere, quod acerbissime infestentur, qui confessionem & religionem eandem secum, in civitate Metensi profiteantur; Rex quidem ad eas respondere d. 27. Maji 1543. non neglexit, ita tamen ut partim se inscio factum esse profiteretur quodcunque factum erat, partim ipsum verò factum calumniosè nimis à *Furstenbergio* delatum & exaggeratum assereret, partim denique *Castellum Gorsam* (a) suæ ditionis esse regereret, quod certis sub conditionibus tantummodò *Furstenbergio* fuisset traditum, quibus ab illo infractis dum copiis Cæsareis arcem aperuisset, turbarum occasio enata sit, dum intereà sibi Juris Regii tuendi necessitas incumberet; De reliquo autem prolixum suum in Principes affectum testatur, & amicitiam mutuis officiis demonstrandam offert.

Sed &, cum ad Magistratum Metensem ea de re mitterentur literæ, is non minus regerere, sibi hanc causam à nemine fuisse delatam, neque se pro civibus sed pro exulibus habere, qui *Gorsæ* fuissent, deinceps nec justos fuisse milites, qui facinus illud perpetrassent, sed prædatores (b) solummodò atque errones, in quos animadvertere ipsis non liceat.

§. XLVIII. At verò, quò deprimebatur magis Evangelica veritas, eò surgebat ea floridius, eaque supplicia auxerunt quotidie per universam Galliam Evangelicorum multitudinem, inprimis, quum elucerent in Reformatoribus, mores in omnem pietatem ac sanctitatem formati, ut verè sanguis martyrum deprehenderetur esse semen ecclesiæ, & eorum numerus sub omni grandine cresceret. (c) Sed

(a) FRICK in Seckendorf. German. p. 2239. cf. SECKEND. l. c.
(b) FRICK l. c. p. 2239. 2240.
(c) Conf. PRUDENT. Hymno VII. περι στεφανων vers 87. cf. TERTULLIAN. Apologet. cap. 45.

Sed hoc anno 1543. mortem obiit *Gulielmus* BELLAJUS LANGÆUS, de quo non ſemel facta eſt mentio, ſummæ vir dignitatis atque virtutis, & præcipuum Gallicæ nobilitatis ornamentum, ob inſignem doctrinam, eloquentiam, uſum rerum, & ſingularem in omni functione dexteritatem: longe nimirum diſſimilis (a), à plerisque Regum ſectatoribus, qui ſuas modo facultates amplificare ſtudent; Ipſe autem ingenio heroico præditus, ſolum eò ſpectabat, ut ſolida virtute ſibi veram gloriam compararet, & fidelem operam ſuo Principi, vel cum rerum ſuarum diſpendio, navaret.

Suprà dictum eſt (b), de Concionatore Pariſino *Franciſco Landro*; Cum is ad doctrinæ capita reſponderet ambiguè (c), & docendo pergeret, diebus aliquot ante Paſcha juſſus eſt in carcerem ire. Theologorum hoc factum fuit impulſu, qui illum apud Proprætorem accuſarant. Diebus aliquot poſtea Rex venit Sangermanum, (*Saint Germain*) quod eſt infra Lutetiam quinque milliaribus oppidulum, & arx ad Sequanam; Et certior factus de re tota, ipſum carcere ſolutum, quod de Purgatorio quædam percontari vellet, ad ſe juſſit accerſiri; Tum verò, qui Landrum ea de re monerent, ita ſimul aſtuto conſilio animum ejus graviſſimis minis perterrefeciſſe dicuntur, ut omnem fere coràm Rege, quem vehementer in ipſum exacerbatum eſſe dixerant, veritatem profitendi ac adſtruendi alacritatem perdidiſſe videretur, ipſeque Rex ejus cauſam, cui ceteroquin favebat, abjiceret, quando non ita multo poſt, redire juſſus Lutetiam, d. 29. Aprilis coactus eſt ea quæ prius docuerat, deteſtari ſua voce: Convenerunt enim ea die in æde primaria Senatores curiæ ſupremæ, item magiſtratus omnes, & Prætor urbanus, & Theologi magno numero. Deinde templum fuit occluſum & ſeptum apparitoribus armatis, qui populum illinc arcerent. Ubi conſederunt omnes, recitantur ipſius dogmata, & rogatus de ſingulis quid ſentiat, ex illorum arbitrio reſpondet, & erratum abs ſe fuiſſe pronunciat, & obſequentiam inpoſterum pollicetur, & ea doctrinæ capita, quæ pri-

(a) SLEIDAN. Hiſt. Lib. XV. p. 251.
(b) vid. §. XLIV. pag. 139. 140.
(c) SLEIDAN. l. c.

primum Theologi, post etiam consiliarii Regis ipsi proposuerant, pro veris atque piis agnoscit.

Sed non is fuit solus, quem ad retractationem injustus ille metus adegit, nam & de *Claudio* ESPENCÆO, celebri inter Pontificios Doctore relatum legimus, quod is, cum quædam in publicis concionibus de cultu imaginum & reliquiis (a) Sorbonistarum auribus minime placentia, proposuisset, & in crimen vocatus sit, & eò adactus, ut quoque pro concione publica clare sua debuerit retractare, & singula de quibus controvertebatur explicare distincte & aperte (b), donec Theologis qui aderant, satisfactum esset; Quæ res, duodecim annis post, cum ab æmulis ad Pontif. Ro. Paulum IV. deferretur, teste THUANO (c), impediit quo minus dignitatem Cardinalitiam ceteroquin illi decretam assequeretur: Verba *Thuani* hæc sunt. „ Itaque ab æmulis apud „ Pontificem delatus, quod quædam perperam inter concionandum, de aurea, quam vulgo appellant Legenda locutus, cum „ ferream potius vocandam esse contenderet, postea publicè recantare coactus fuisset .... ab eadem dignitate semotus est; „

Vivebat tum in Galliis *Clemens* MAROTUS (d), qui non superioris modò, quæ paulò fuit incultior, verum suæ etiam ætatis Poëtas omnes, populari sermone longè superabat. Latinæ quidem linguæ non ita magnum habebat usum, sed doctorum

(a) v. ARGENTRE Collect. Judicior. de novis Errorib. Tom. II. P. I. pag. 134. & Tom. I. in Indice pag. XIII. col. I. LAUNOJUS loco infra citando p. 626. dicit: *Ei cum A. 1543. tempore quadragesimæ in Ecclesia S. Mederici sermones haberet, in æstu declamationis quædam excidisse, quæ Catholici sensus specie carerent, quædam autem dixisse, quæ à nonnullis auditoribus, non eo quo dixerat animo fuerunt accepta*, quorum quædam deinceps *emolliverit*, quædam Facultatis consilium secutus *confixerit*.

(b) SLEIDAN. Hist. Lib. XV. p. 251.

(c) THUAN. Histor. Lib. XVI. ad ann. 1555. apud LAUNOJ. in Histor regii Parisiensium Gymnasii Navarreni Opp. Tom. IV. P. I. fol. 629.

(d) SLEIDAN. l. c. p. 251. BEZ. Histoir. Eccles. p. 33. qui simul tamen observat, quam ei non par fuerit doctrinæ vitæque ratio, unde & Geneva se recipere, atque sub tutela Regis Galliarum in Pedemontanis tractibus vitam agere necesse habuerit.

rum hominum consuetudine multum profecerat, nec erat ferè quicquam in poëtarum libris, quod ipsum fugeret; ita quidem, ut ex illorum scriptis pleraque traduceret, ad suum institutum. Sic ex Tibullo, Propertio, Nasone quædam transtulit in suas elegias, dissimulanter tamen: Ex Catullo epithalamium sumsit Herculis Ferrariæ Ducis & Renatæ Armoricæ, Ludovici XII. Galliarum Regis filiæ. Vertit autem primum Metamorphoseon Ovidii librum elegantissimè. Postremis verò annis hanc scribendi facultatem ad sacras literas contulerat, ejusque erat consilii, rhytmo Gallico Psalterium omne Davidis exprimere. Sed morbo sublatus, ad quinquaginta tantum Psalmos absolvit, qui nunc extant, atque unà cum *Theodori* BEZÆ reliquis, ad nostra usque tempora usui ecclesiastico inservierunt, publicè decantati in ecclesiis.

Ipse autem Marotus anno 1543. quod in Galliis propter Lutheranismi suspicionem parum esset tutus, Genevam se recipere est coactus, siquidem variæ cum Theologis illi intercesserant molestiæ, propter triginta priores quos confecerat Regique dedicaverat Psalmos, quippe cum Rex traductionem approbasset, eosdemque curavisset imprimi; Genevam igitur cum venisset, viginti Psalmos superioribus addendo, numerum complevit quinquagenarium.

Eodem fere tempore *Johannes* CALVINUS libellum emittebat, lingua Gallica conscriptum, *de sanctorum Reliquiis* (a), ut & hæc ætas & posteritas videret, quò delapsa esset religio; Sed ea solum quæ ipsi nota erant, recensebat, & optabat in aliis quoque provinciis idem fieri. Sunt autem in eo numero, præsepe, cunæ, lintea, præputium, sanguis Christi, partim purus, partim aqua dilutus, hydriæ nuptiarum in Cana Galilææ, vinum quod tunc ex aqua Christus fecit, supellex ultimæ cœnæ quam habuit cum Apostolis, Manna populi Israëlitici, crux, calamus, clavi, spongia, lancea, corona spinea, vestis, calcei, sudarium, lacrymæ Christi, Lac, interula, capilli, cingulum, crepida, pectines, annulus Mariæ virginis. Pugio & clypeus archangeli Michaëlis; occiput, mandibula, cerebrum, digitus

(a) SLEIDAN. l. c. p. 255.

Johannis Baptistæ; cathedra, pedum, missaria vestis, cerebellum *Petri*: deinde corpora divorum & quidem variis in locis eadem. Ostendit autem quanta veneratione populus hæc omnia sit prosecutus, quam ea sacrifici non sine pretio illis exhiberent, & è longinquo spectanda proponerent, rem videlicet nihili, frivolam, ab ipsis propter quæstum excogitatam, & quæ propius inspecta nihil habeat præter fucum & umbram.

§. XLIX. Hoc anno atque item superiore, de Concilio, quod Paulus III. post multas tergiversationes, in urbe Tridentina singulari diplomate (a) habendum indixerat, multus erat sermo, dum intereà probè sciret Pontifex, quam Rex Galliarum, qui modò atrocissimis verbis bellum indixerat Cæsari, atque re ipsa eum jam quinque locis aggressus erat, Flandriam, Lucenburgum, Ruscinonensem agrum, Pedemontium atque Atrebates simul adortus, nullos illuc Legatos mittere posset, quamque adeò res omnis in spongiam incumbere deberet;

Quid verò tum Rex Galliæ molitus fuerit & quomodo ab una parte Evangelicos in Germania Ptoceres sibi vel devincire vel arte capere fuerit annisus, ut tamen ab altera quoque parte Sedi Romanæ, & Pontifici, apud quem Cæsar eum gravissimis verbis detulerat, se probaret, non melius quam ex ipsis ejus factis cognosci potest: Enimverò, cum Cæsar eum clandestinæ cum Protestantibus collusionis accusaverat, &, quod omni nisu, ne Concilium à Pontifice indictum coiret, procuraturus esset, quippe qui etiam cum magno religionis detrimento (b), & divini cultus, qui ex concilio expectabatur, impedimento, bellum movisset; is, ne hæc omnia sibi in crimine poneret, efficere volebat, acerba in Lutheranos edicta renovando, atque ea omnia, quæ jam §. XLIV. enarravimus, funesta ratione modoque exsequendo, & severa in violatores supplicia statuminando, unde illæ sanguinolentæ, de qui-

(a) Habemus illud diploma Latinè apud RAYNOLD. ad ann. 1542. n. 13. sq. itemque in *Johannis Gallemarti*, Duacensis Declaration. Illust. Sac. Rom. Cardinal. Congregationis, ipsis SS. Oecum, concilii Trident. canonibus & decretis insertis Coll. Agripp. 1619. 8. inde à principio.

(b) vid. Paul. SARPIUS in Histor. Concil. Trid. Lib. I. p. 89.

quibus diximus, in Evangelicos persecutiones, quarum nec mensuram faciebat nec modum, modò ut Pontifici persuaderet, nihil esse quod non & ipsius & Ecclesiæ Romanæ causa velit: Neque autem is ea solum facere, verum etiam, scripta ad Pontificem Apologia (a), eundem de his omnibus certiorem reddere non dubitabat, simulans, quam hæc omnia non tam fecisset aut faceret ad calumniam illam refutandam, quasi bellum hoc cum Cæsare ad protegendam Lutheranorum doctrinam & prohibendam extirpationem, suscepisset, sed multò magis ad reverentiam Sedi Apostolicæ testificandam ejusque sibi gratiam cumprimis demerendam.

Et nihilo tamen secius, eodem pæne tempore apud Clivenses, quos bello impetierat Cæsar, quique ab Hesso & reliquis Evangelicis auxilia præstolabantur, eam clientes ejus spargebant famam, *Regem Galliæ ad Evangelicam doctrinam propendere* (b); Quin imò, quod magis est, quodque pæne omnem superaret fidem, nisi etiamnunc Documenta superessent (c) omni exceptione majora, curabat *Franciscus*, ut, simulac *Luxburgum* occupaverat *Carolus Dux Aurelianensis*, filius ejus tum natu secundus, is solennem plane d. VIII. Septembris Legationem mitteret ad Electorem Saxoniæ & Hassiæ Landgravium, Protestantium Principes Francofurti tum congregatos, qua ipsis declararet, „ se Reformationem, quam sequerentur ipsi, pariter amplecti, ac velle „ eam doceri ac tueri in Ducatu Luxemburgico, cujus à Rege „ Parente suo possessionem brevi esset nacturus, seque adeò petere

 „ ab

(a) Ejus Apologiæ brevem summam SLEIDANUS habet Lib. XV, p. 249 b. 250 a.

(b) SECKENDORF. Lib. III. §. LV. fol. 427.

(c) Exemplum *Instructionis* ex ipsa sua origine descriptum, unà cum literis Fiduciariis pro Legato *Antonio Malleto Caroli Principis* Secretario nobis exhibet *Michaël* VASSORIUS in Epist. & Observ. de Concilio Tridentino pag. 15. & 16. edit. Latinæ, unde ejus copiam depromere atque inter Documenta nostra referre visum fuit. Num. XIX. conf. BAYLE dictionaire v. François I. qui inter alia dicit: *Je croi, que la decouverte de Mr. de Vassor excitera les curieux à rechercher le fond & le fin de cette affaire & qu'ils trouveront des papiers qui la pourront eclaircir.*

„ ab ipsis, ut ad fœderis communionem cum ipsis admitteretur, „ sive propulsanda esset omnis injuria, sive vindicanda, atque cumprimis, ut in iis sibi adesse velint, quæ negotium de Religione „ Christiana concernunt, cujus se vehementer ac præcipuè quærere testatur incrementa: „ Addit, „ ipsam Reformationem tantò „ facilius hac ratione in ceteras suas regiones & in ipsum Reg- „ num Galliæ inferri posse, quò prius Rex Parens ejus tam „ arctè se viderit cum tantis Principibus fœdere conjunctum... „ Et, ne de prospero propagandi Evangelii successu dubitent, ipso facto his Principibus *omnem suam potestatem* atque simul *Regis Parentis* offert, *quam* sibi *ab hoc relictam esse*, *pronunciat*, *eum in finem*, *ut quomodocunque è re fore visum fuerit*, *eadem uteretur* &c. Quanquam verò Protestantes, blandis ejusmodi, & plus quam credi potest benevolis propositionibus diffiderent, quippe qui has literas Cæsari videntur communicasse, à quo eædem brevi post ad Pontificem Romanum sunt delatæ (a); Tamen ex iis, quam circà hanc causam mirè variaverit *Francisci* animus, collucescit, & quam occulta sæpe agitaverit consilia Reformationi admodum proficua, nisi deinceps ab iisdem, fraude aut certè malitia eorum qui sectam adversam sequebantur, fuisset abductus, atque in omnia his contraria præceps datus.

Quo minus autem Ducis Aurelianensis in Reformationem proclivitas, maturos in promovendam Evangelii causam ferret fructus, inopina ejus effecit mors, quum A. 1545. viginti trium annorum Juvenis, paucorum dierum morbo, perierit.

§. L. Intereà, cum fervente inter Cæsarem & Regem Galliæ bello, Concilium interquiesceret, Rex Galliæ reducta pace Crespiaca, *Meloduni*, quod parvum non procul à Parisiis est oppidum, Theologorum Parisiensium conventum d. 15. Novemb. A. 1544. indicit, ad consultandum de dogmatis fidei Christianæ

(a) PALLAVIC. Histor. Concil. Trident. Lib. V. cap. 5. n. 1. fol. 162. qui tamen censet, Francisci Regis ad Aurelianensem Ducem ipsius filium, literas, quibus amicitia cum *Landgravio Hassiæ* petebatur, indicata propensione animi ad inducendam Lutheri sectam in Luxenburgensem ditionem, esse per Oratorem Cæsareum in Consistorio sacro prolatas atque Pontifici exhibitas.

stianæ necessariis, in Concilio Tridentino proponendis: Convocantur illic Theologi numero duodecim (a), atque inter eos speciatim *Claudius Espencæus* (b), qui magna tum apud omnes existimatione florebat, quamvis etiam superiori anno, à delatoribus apud Facultatem Theologicam accusatus, quasdam vel emollire vel tractare debuerat theses atque propositiones imaginum cultui & reliquiarum superstitioni contrarias; At verò, ne hæc quidem congregatio unanimes fundebat sonos, quin potius coorta contentione (c), satis gravi, alii cupiebant ea confirmari, quæ Constantiæ & Basileæ jampridem fuissent decreta, & Sanctionem Pragmaticam restabiliri, alii metuentes, ne Rex inde offensionem captet, abrogato ea ratione Concordato inter ipsum & Leonem Pontificem facto, eam quæstionem disceptandam non censebant. Deinde, quod in Schola Sorbonensi Theologi de Sacramentorum natura non idem omnes sentirent, sed his alii effectivam ministerialem virtutem tribuerent, alii non tribuendam putarent, & singuli suas opiniones pro dogmate fidei haberi vellent, de iis nihil tum decretum fuit. Hoc tantum statutum, ut in xxv. articulis ante duos annos evulgatis omnes acquiescerent.

§. LI. Quum verò Theologi vehementem in modum Franciscum de persequendis hæreticis urgerent, atque etiam Rex inito cum Cæsare fœdere, se junctis viribus veteri religioni patrocinaturum & hæreticos extirpaturum, spopondisset, tum illud quod ante quinquennium ferè cum *Waldensibus* & *Merindoliensibus* susceptum erat negotium, hoc eodem anno 1545. vehementer recruduit:

Erat scilicet in *Merindoli* incolas ante annum quintum lata sententia Aquis (*Aix en Provence*) quod est Provinciæ summum tribunal, ut opprimerentur omnes promiscuè, ut dirutis ædificiis

(a) LAUNOY Histor. Colleg. Navarreni Opp. T. IV. P. II. fol. 417.

(b) Diploma regium quo Espençæus sigillatim ad hoc Colloquium vocabatur ex Archivo Regis Galliarum protulit Vir Ill. J. PUTEANUS (*de Puy*) in *Instructions* &c. *pour le Concile de Trente* pag. 9. conf. LAUNOY lib. cit. pag. 418.

(c) SARP. Hist. Concil. Trident. L. II. pag. 96. edit. Lat. BEZE Hist. Ecclesiast. L. I. pag. 48.

æquaretur vicus ille ſolo, reſecarentur etiam arbores omnes, & locus redderetur deſertus omnino; Interea ramen ea vis tunc adhibita non fuit, Regem admonentibus nonnullis, & in his, *Gulielmo Bellajo Langæo*, qui tum ProRex erat in *Taurinis*, ut de cauſa tota prius cognoſceret.

Sed hoc demum anno, Judicii atque Senatus Aquenſis præfectus (a), *Johannes Minerius*, Aprilis die duodecimo, Senatu convocato, recitat literas Regis, quibus exſecutio mandabatur latæ ſententiæ. Has autem literas Tournonii Cardinalis commendatione dicitur impetraſſe Minerius (b), per idoneum ſollicitatorem *Philippum Cortinum*. Et acceperat equidem Minerius eas jam menſe Januario, neque tamen eas ut tum proferret, arbitrabatur opportunum, quin eas potius in hoc tempus rei gerendæ magis commodum, ſervabat. Iis recitatis literis, delecti ſunt è Senatu (c), qui rem exſequantur. His adjutorem ſeſe profitebatur Minerius, eò quod abſente Griniano Provinciæ Præfecto (quem ad conventum *Wormatienſem* in Germaniam legatum miſerat Rex) Rempublicam gerebat. Jam ante verò mandatu Regis paſſim conduxerat copias, Anglici belli cauſa. Verum his ad ſuum hoc inſtitutum eſt uſus. Ad hæc, Maſſiliæ, Aquis, Arelatæ, ceteriſque in locis frequentioribus militiam omnibus imperaverat, qui poſſent arma ferre, gravi denunciata pœna. Deinde ex Avenionenſis agri finibus, ditionis Pontificiæ, miſſa quoque fuerunt auxilia. Primus igitur impetus factus eſt non in *Merindolanos*, verum in agrum oppido Pertuſio vicinum.

Idibus autem Aprilis, *Minerius*, turba procerum atque ducum ſtipatus, Cadenetum venit. Sed interea centuriones aliquot, in unum & alterum vicum, ad Druentiam flumen, irruunt, & cædibus, direptionibus, incendiis graſſati, magnam vim pecoris abi-

(a) Ita SLEIDANUS Lib. XVI. p. 274. ſq. conf. BEZE Hiſt. Eccleſ. p. 44. ſq. THUAN. Hiſtor. Lib. VI. fol. 225. 226.

(b) Eam nobis circumſtantiam explicavit THUANUS l. c. qui & Minerii nobis delineat characterem hunc in modum: *Joh. Minerius* Oppeda, homo vehemens, & ob acceptas à Caprarienſibus, quibus vicina prædia habebat, injurias, infeſtiſſimus, qui Caſſanæo ſubita morte aſſumto, in ipſius locum ſuffectus, adverſus Valdenſeis renovavit odium &c.

(c) THUAN. l. c.

abigunt. Idem fit aliis etiam in locis, eodem tempore. *Merindolani*, cum ardere omnia circum aſpicerent, relictis ſedibus in ſylvas confugiunt, & ad vicum Sanſaleſum maxima cum formidine pernoctant. Hujus autem loci incolæ jam & ipſi fugam parabant. Cavallonenſis enim Epiſcopus, pontificii legati vicarius, negotium dederat nonnullis ducibus, ipſos contrucidandi. Poſtridie, paulò progrediuntur longius, tecti ſylvis. Nam undique periculum erat, & *Minerius*, capite ſanxerat, ne quis eos ulla re juvaret, ſed ut promiſcuè cæderentur omnes, quocunque loco deprehenſi. Valebat idem edictum in locis finitimis pontificiæ ditionis, & Epiſcopi quidam ejus regionis ferebantur alere magnam copiarum partem.

Ibant ergò difficili & moleſto itinere, geſtantes pueros in humeris & brachiis, inque cunis, & quidem mulieres aliquot gravidæ. Cumque ad conſtitutum locum venirent, jam eo confluxerant multi, qui rebus perditis fuga ſalutem quæſiverant. Non multo poſt nuntiatur, *Minerium* aggregare ſimul omnes copias, ut ipſos invadat, fuit hoc ſub veſperum. Itaque re deliberata, conſilium ex tempore capiunt: & quoniam iter faciundum erat per loca impedita & aſpera, mulieres, puellas & infantes ibi relinqunt, paucis quibuſdam adhibitis, & in his, Eccleſiæ miniſtro. Cæteri, ſicut conſtitutum erat, oppidum Muſſium petunt. Hoc autem ea ſpe faciebant, fore ut hoſtis in imbellem turbam & omni præſidio deſtitutam uteretur miſericordia; quis ibi fuerit excitatus gemitus, qui complexus, quæ lamentatio, facilè quivis intelligit. Ubi totam noctem iviſſent, ſuperato monte Leberone, multos ardere vicos atque prædia conſpiciunt. *Minerius* deinde bipartito agmine rem aggreditur: & quia per indicium acceperat, in quam partem *Merindolani* ſeſe recepiſſent, ipſe *Merindolum* petit, reliquas verò copias ad illos inveſtigandos mittit. Antè quam hi pervenirent in ſylvam, ex militibus quidam, impulſus commiſeratione, præcurrit, & è ſummo cacumine rupis, qua parte ſuſpicabatur profugos conſediſſe, duo ſaxa dejicit, deinde per intervallum iis acclamat, licet eos non conſpiceret, ut fuga ſibi ſtatim conſulant: & in hoc ipſo temporis puncto, ex iis, qui Muſſium iverant, duo quidam interveniunt, & hoſtium adventu nuntia-

to,

to, ministrum Ecclesiæ, cæterosque custodes, qui pauci numero fœminis erant relicti, sicut diximus, abire cogunt, via quadam ardua commonstrata per sylvam, qua fugientes periculum evaderent.

Vix hi discesserant, cum ecce milites adsunt, pleni furoris, & eductis gladiis ad cædem omnia poscunt, magno cum ululatu. Veruntamen à cæde tum sibi temperant, & cum insolenter multa fecissent, omni argento & alimonia spoliatas abducunt. Erat ipsorum propositi, fœdius illas tractare: sed à centurione quodam equite interpellati, qui fortè superveniens pœnam eis minabatur, & ad Minerium rectà contendere jubebat, ab incœpto desistunt, iisque relictis, prædam & pecus abigunt. Erant mulieres numero circiter quingentæ.

Minerius interim venit Merindolum, & cum vacuum habitatoribus reperisset, diripit ac incendit, edito prius exemplo valde crudeli. Nam adolescentem unicum ibi nactus, religari jubet ad oleam, & tormentis occidi: post, Cabrieram oppidum petit, & machinis concutit, & administrante Polino duce, persuadet oppidanis, ut portam patefaciant, pollicitus impunitatem: verum intromisso milite post aliquam moram, concisi fuerunt omnes, neque vel ætatis vel sexus ulla fuit habita ratio. Multi ad ædem sacram, alii alio, quidam in cellam vinariam arcis confugerant, sed producti foras in pratum, vestibusque nudati trucidantur ad unum ferè omnes, non viri tantum sed & mulieres, pleræque gravidæ. Minerius etiam ad quadraginta circiter fœminas in horreum straminis atque fœni plenum includit, post ignem subjicit & incendit: cumque illæ vestibus exutis conarentur flammam nascentem restinguere, neque possent, ad majorem fenestram, qua fœnum recondi solet in horreum, advolant, ut sese ejiciant. Sed ibi repulsæ telis & hastis, conflagrarunt omnes, fuit hoc Aprilis die xx.

Posthæc Minerius partem copiarum mittit, qui Costam oppidum oppugnent. Iis jam ingressis iter deprehenduntur illi, quos paulò antè in cellam vinariam arcis confugisse diximus. Excitato igitur clamore, quasi laterent insidiæ, revocantur milites, & ad internecionem illos interficiunt. Cæsorum numerus

merus repertus est tam in oppido quam foris, numero ad octingentos. Qui superstites erant infantes ab eo furore, plerique rebaptisati fuerunt ab hoste. Rebus ad Cabrieram expeditis, copiæ mittuntur Costam. Ejus oppidi dominus jam ante cum civibus egerat, ut in arcem arma sua conferrent, & quatuor diversis locis murum disiicerent. Id si facerent, se pro sua gratia facilè perfecturum apud Minerium pollicebatur, ut à maleficio temperetur. Persuasi morem gerunt, post ille discedit, quasi deprecaturus, & non longè progressus obvium habet militem. Hi quum nihilo secius procederent, & impetu primo nihil efficerent, altera luce vehementius oppugnant, & incensis circum ædificiis omnibus suburbanis, facili manu capiunt, eò quod superiori nocte plerique deserta statione profugerant, delapsi funibus. Post editam ergò cædem & oppidum direptum, decurrunt in hortum castello vicinum, & mulieres atque puellas, quæ trepidantes eò confugerant, promiscuè constuprant, & quum diem unum atque noctem inclusas detinuissent, adeò tractarunt inhumaniter, ut illæ quæ gerebant uterum, & natu minores puellæ, non multò post extinguerentur. Interea Merindolani & his adjuncti complures alii, qui per sylvas atque rupes oberrabant, intercepti, vel ad triremes mittebantur, vel confodiebantur, multi etiam inedia perierunt. Deinde, non procul ab oppido Mussio, quod antè diximus, quidam ingressi cavernam sub rupe latitabant, numero ad viginti quinque, sed proditi fumo fuerunt omnes & igni enecati. Sic adeò nullum sævitiæ genus fuit prætermissum. Nonnulli tamen, qui lanienam hanc effugerant, Genevam & ad loca vicina pervenerunt.

Hujus ergò rei fama cum in Germaniam emanasset, plurimorum animos offendit: & Helvetii quidem, qui non sunt pontificiæ religionis, intercedebant ad Regem, ut in eos, qui profugissent, uteretur misericordia: Rex autem, & justas esse causas, cur ita fecerit, & quid suis in finibus agat, aut quomodo in sontes animadvertat, non magis illos oportere solicitos esse de eo, dicit, quam sit ipse de illorum negotiis.

§. LII. Sed ut, quomodo in MELDENSEM quoque Ecclesiam persecutionis sævierit tempestas, explicemus, necesse est.

Vidimus in ſuperioribus (a), quod in ipſo veluti partu fuerit extincta *Meldenſis Eccleſia*; Intereà tamen remanſerant in animis multorum doctrinæ purioris reliquiæ, & non deerant, qui quod palam ipſis facere erat vetitum, occulta ratione perficere tentabant; Pii enim homines (b) (ita in Actis Martyrum legitur) in quorum animis timor Domini cum illa cognitione inſederat, cum viderent veritatem publicis ex locis profligatam, unà cum libertate Deum purè invocandi, cœperunt conventus inter ſe occultos habere, exemplo Prophetarum qui ſub Achab extiterunt, & eorum Chriſtianorum, qui in Eccleſia primum naſcente, propter horribiles perſecutiones hujusmodi loca ſecreta ad orandum opportuna quæſiverunt. Sic igitur iſti homines, uti ſe dabat occaſio, modo aliquam in domum, modo in reductam vallem aut ſpeluncam, interdum in dumetis aut ſylvis conveniebant. Eo in conventu ac cœtu, is qui in ſcriptura maximè omnium exercitatus erat, verbo Dei alios conſolabatur, docebat, hortabatur, eoque opere perfecto, omnes unanimiter ardenterque Deum precabantur, ea ſpe freti quod ipſa Gallia brevi repudiato Antichriſti Dominatu receptura eſſet Evangelium: At verò, cum omnia viderent contraria, tum Anno 1546. factum eſt, ut ferventiore qui ducebantur ſpiritu, circiter ſexaginta oppidani, re deliberata, Eccleſiolam quandam efformarent, atque verbi Miniſtrum (c) ſibi deligerent, ſicque in ædibus privatis collecti, finita concione certis diebus Cœnam Domini juxta præſcriptum Evangelii & inſtitutum Chriſti perciperent. Ea res non diu potuit eſſe occulta, præſertim, quum eadem illa Eccleſiola parvo temporis ſpatio tanta caperet incrementa, ut jam trecenti vel quadringenti reperirentur, tum viri tum mulieres, ac cujusque ætatis homines, qui eò confluebant, non ex urbe modo, ſed etiam ex pagis quinque aut ſex milliaribus in circuitu; Itaque cœp-

(a) vid. §. V. & VI. pag. 12——17.

(b) vid. SLEIDAN. lib. XVIII. p. 328. ſq. & *Actiones & Monim. martyrum* 4. pag. 118. & ſeqq.

(c) Is erat *Petrus Clericus*, arte ſua ac profeſſione carminarius, ſed in ſacris literis apprimè exercitatus, eo quidem in genere ſermonis qui Gallorum proprius eſt, uti referunt *Act.* & *Mon. martyrum* loc cit. p. 118. b.

cœptum est inquirere; Congregabantur autem ordinariò in domum *Stephani Mangini*, Viri boni, grandisque natu; „ Ibi cum
„ etiam congregati essent d. 8. Sept. hujus anni 1546. eaque res
„ ad Magistratum esset delata, Magistratus ejus urbis (describemus hunc integrum processum verbis *Joh.* CRISPINI in Actis
„ Martyrum (a)) & Præpositus cum suis satellitibus atque mi-
„ nistris, simul etiam is qui in tota regione latronibus compre-
„ hendendis puniendisque præfectus est, magna satellitum caterva stipatus, ad domum ipsius Mangini accesserunt. *Petrus*
„ *Clericus*, tum exponebat eo in cœtu locum quendam primæ
„ epistolæ Pauli ad Corinthios. Satellites cœnaculum ingressi,
„ in quo omnes congregati erant, aliquandiu quasi attoniti sum-
„ mo cum silentio constiterunt. Tandem Quæstor rogavit,
„ quid agerent ibi tot homines, qui suas parœcias non adirent.
„ Id quidem quod ipse vides, inquit Clericus, sed æquo animo
„ expecta, quoad nos ista absolvamus. Tum cæteri è magistra-
„ tu, Eundum verò, inquiunt, est in carcerem. Eamus, in-
„ quit ille, si ita Domino visum est. Et simul se ligari constrin-
„ gique passus est: eandemque mansuetudinem cæteri omnes,
„ tum homines tum mulieres numero sexaginta duo, sunt imi-
„ tati. In his puella erat, quæ propter ætatem intelligere non-
„ dum poterat, qua odii magnitudine veritas Verbi Dei preme-
„ retur, ea cum se propterea duci ab illis videret vinctam, quod
„ in cœtu & conventu tam sancto honestoque deprehensa esset,
„ dixit magistratui, Si vos me in lupanari deprehendissetis, aut
„ in loco pudendo, nunquam me his vinculis constringendam
„ curassetis. At, magistratus imposito ei pro authoritate sua silen-
„ tio, totam multitudinem in urbis carcerem duci jussit. Res
„ digna admiratione visa est, cum tot homines in utroque sexu,
„ à tam paucis summa voluntate ac mansuetudine ducerentur,
„ nam si aliquam resistendi voluntatem declarassent, facile à pa-
„ rentibus propinquis, qui in ea urbe erant, liberari potuissent,
„ sed tantum aberat, ut hi vim aliquam aut rebellionem cogi-
„ tarent, ut contra læti atque hilares, per vicos urbis irent Psal-
„ mos canentes, in quibus præcipuè LXXIX. *Deus, venerunt*

(a) Act. & monum. martyrum l. c. p. 119a. sq. ——122.

„ *gentes*, elatis vocibus canebatur. His in carcerem inclusis, „ cœptum est anquiri in eorum sabbatha & conventicula, ita „ enim invidiose ac criminose sanctissimum eorum cœtum ap- „ pellabant. Inter alia crimina, hoc ipsorum judicio gravissi- „ mum objiciebat, quod Cœnam Domini facere ausi fuissent. „ Qua in re, quid opus est quærere, quantopere ordo mona- „ chorum ac sacerdotum hoc uno verbo fuerit offensus & irri- „ tatus, quum viderent suam existimationem aboleri, atque au- „ thoritatem, quam tandiu tamque studiose inviolatam conser- „ vassent, delabi in manus imperitorum: opimumque sacrifi- „ cium, non tam ad memoriam Christi celebrandam, quam ad „ culinam ventris colendam tuendamque comparatum, jam in „ fumum evanescere?

„ Postquam omnia, quæ ad causam innocentiamque eo- „ rum premendam pertinebant, diligenter essent expiscati, „ curribus vinctos imposuerunt, nullo superjecto stramine, „ in quo possent aliquo modo quiescere: atque ita sine ulla „ itineris intermissione ac remissione Lutetiam summa celerita- „ te portandos curaverunt. Ac tametsi plerique eorum jam „ ætate ac laboribus confecti, ipsaque itineris contentione cur- „ rusque agitatione fracti essent, non tamen destiterunt in via „ sese mutuò adhortari atque consolari: ac, cum Parisiensem ur- „ bem ingressi essent Psalmos canere, dum ad Palatinum carce- „ rem pervenirent, quo excepti novis tormentis miserè divexa- „ ti sunt. Ea autem non levia remissaque extiterunt, sed acer- „ rima maximeque exquisita, præsertim in reos quatuordecim, „ qui à summa curia Parisiensi capitis damnati fuerunt, sicut „ constat ex ea judicum sententia, quæ deinde Lutetiæ ad „ perpetuam rei memoriam publicata fuit. Id quidem arrestum „ summam judicii acerbitatem complectitur, præsertim in qua- „ tuordecim viros, qui, ut firmissimi in confessione fidei piæ- „ que doctrinæ, ita etiam gravissime omnium accusati. Hi au- „ tem fuerunt, *Petrus Clericus*, *Stephanus Manginus*, *Jacobus* „ *Bouchebecus*, *Joannes Brisebarus*, *Henricus Hutinotus*, *Thomas* „ *Honoratus*, *Joannes Baudovinus*, *Joannes Fleschus*, *Joan Pique-* „ *rius*, *Petrus Piquerius*, *Joonnes Mateslonus*, *Philippus Parvus*,

„ Mi-

„ *Michaël Caillous*, & *Franciscus Clericus*, qui omnes fuerunt
„ condemnati, ut crate ad locum supplicii pertracti, vivi cre-
„ marentur apud magnum forum Meldense, loco Mangini ædi-
„ bus propinquo. In reliquos, qui in doctrina pietatis suscepta
„ minus firmi & constantes extiterunt, pœna non ita acerba,
„ ea tamen varia constituta fuit, atque in utrumque sexum per-
„ vagata. Nam alii fuerunt cæsi virgis atque in exilium missi,
„ alii vero, eorum XIV. quos supra nominavimus, acerbissimæ
„ mortis spectatores, summa cum ignominia constituti, in qui-
„ bus etiam unus sub axillis suspensus, laqueum habens collo li-
„ gatum, gravissimum illorum casum intueri jussus est. Mu-
„ lieres verò quædam sunt condemnatæ, ut supplicium in viros
„ constituendum, ignominiosè spectarent. Denique ab eadem
„ Curia decretum fuit & constitutum, ut domus ipsius Mangi-
„ ni, in quam illi convenire soliti esse dicebantur, ad sempiter-
„ nam memoriam tanti sceleris, ut ipsi judicabant, solo planè
„ æquaretur, eoque in loco sacellum extrueretur, in quo Missa,
„ ad cultum maximi illius Papistarum Dei quem in sacramento
„ affingunt, instituta singulis diebus Jovis celebraretur: cui pro-
„ ventus necessarii suppeditarentur ex eorum bonis ac fortunis,
„ quibus omnia cum vita crudelissimè eriperent.

„ Hæc sunt illa præclara Areopagiticæ Curiæ Parisiensis moni-
„ menta, quæ quam sint iniqua, etiam qui aliquid habet sani judi-
„ cii, facile judicare poterit. Sed videamus quemadmodum hæc
„ res ab illis ita decreta & constituta, postmodum administrata
„ fuerit; Hac sententia à Consiliariis ejus cameræ pronuntiata,
„ Sathan non contentus innocentum sanguine, videns nihil planè
„ factum esse, quod regno prodesset suo, sed potius se victum
„ & confusum, si hi constantes in confessione susceptæ veritatis
„ permanerent, eos omnibus rationibus à proposita sententia ab-
„ ducere, eorumque constantiam inflectere conatus est, cum
„ nulla vi eam posset infringere. Itaque omnium malorum author
„ ac fabricator *Petrus Lisetus*, primus tum Curiæ præses, re-
„ liquis Senatoribus judicibus persuadere conabatur, ut qua-
„ tuordecim, qui capitis erant damnati, per monasteria separa-
„ rentur alii ab aliis, atque ita seorsim singulorum fides & con-

„ ſtantia perſpiceretur, ſed cum omnia experti, viderent infrac-
„ tos eſſe, neque eos poſſe ullo modo à ſuſcepta ſententia de-
„ duci, tandem *Ægidio Berthcloto*, qui latrunculatoris tum
„ officio fungebatur, Meldas ad ſupplicium reducendos tradi-
„ derunt, quatuordecimque illos ſeorſim in currum impoſue-
„ runt. Ut autem eos omni moleſtia afficerent, ac privarent
„ conſolatione, duo Sorbonici doctores, *Maillardus* & *Picar-*
„ *tus*, mulis inſidentes, currus eorum obequitabant, qui non
„ deſinebant odioſiſſimis latratibus aures illorum obtundere, ut
„ à veritate abducerent: adeò ut *Petrus Clericus* indignatione
„ commotus Picarto dixerit, *Recede* à *nobis ſathan*, *neque im-*
„ *pedias quò minus memoria recolamus Dei noſtri erga nos benefi-*
„ *cia.* Interea cum hoc iter omnium moleſtiarum plenum con-
„ ficeretur, res divinitus accidit planè memoranda, quæ mi-
„ ſeros homines, omnibus tum animi tum corporis laboribus af-
„ fectos & quaſi viribus exhauſtos erexit & confirmavit, nam
„ cum tranſirent per ſylvam *Livrenſem*, quæ ab urbe Lutetia
„ tribus milliaribus abeſt, obviam eis prodiit è pago proximo,
„ qui *Couberon* appellatur, quidam telæ texendæ artifex, qui
„ currus ſequens, eos ad confeſſionem veritatis retinendam hor-
„ tari cœpit, Bono, inquiens, & forti ſitis animo, fratres mei
„ atque amici, neque fatigemini, ut teſtimonium quod vos de-
„ betis Evangelio, conſtanter detis. Quoniam autem currus
„ ſumma celeritate ferebantur, ut ab iis qui præcedebant, non
„ facilè poſſet exaudiri, ſublata in cœlum manu exclamavit,
„ Fratres, ſitis memores ejus, qui ſupra in cælo eſt. Tum ſa-
„ tellites, cæterique adminiſtri qui Latrunculatorem ſequeban-
„ tur, arbitrati illum eſſe Lutheranum, nulla inquiſitione habi-
„ ta conſtrinxerunt, atque ita vinctum in currum in quo qua-
„ tuordecim vincti erant conjiciunt. Hæ ſunt viæ Domini ad-
„ mirabiles ac nullis cognitæ, niſi iis qui ejus voluntatem &
„ providentiam experiuntur, quibus ipſe infirmitatem ſuorum
„ in maximis ærumnis conſolari ſolet, nam hic homo eo animi
„ zelo ac recenti ardore divinitus in ipſo itinere oblatus, non mo-
„ do eorum vires refecit, ſed etiam nova promiſſionum Dei præ-
„ dicatione animum reddidit, confirmavit, ac planè inſtaura-
„ vit,

„ vit, quod ſanè quidam ex ipſis confeſſi ſunt, inexpectato ejus „ hominis adventu atque occurſu, quaſi Angeli è cœlo miſſi „ novas collegiſſe vires: & qui mœrore tacebant oppreſſi, ca„ put tum erigere ac gaudere in Spiritu ſancto cœpiſſe, adeò „ hic homo mechanicus, prodiens è ſolitudine ſylveſtri, eos ad „ cauſam Domini noſtri Jeſu Chriſti tuendam animavit. Paulò „ poſt ad pagum *Livrium* nominatum pervenerunt, ubi popu„ lus ex locis undique propinquis, ad viam qua ducebantur ef„ fuſus, hominem eum qui ſe obtulerat facilè agnovit. Quidam „ etiam ex illis Lutheranum eum eſſe clamaverunt, ſupplicium„ que ignis magis meritum, quam eos quibus tum additus fuiſ„ ſet, id quod Latrunculatorem atque ejus ſatellites commovit „ ut arctius eum conſtringerent.

„ Conſimilis huic hiſtoria memoratur in primitiva Eccleſia, de „ quodam Martyre, qui ſumma voluntate ſe obtulit ad mortem „ cum iis quos ad pœnam mortis duci viderat, & quoniam ille ho„ mo incognitus fuiſſet, Adauctus eſt appellatus, quod numerum „ ſanctiſſimorum Martyrum teſtiumque Jeſu Chriſti adauxiſſet.

„ Cum perveniſſent Meldas, in carcerem omnes incluſerunt: ac „ tum quærere tormentis extraordinariis, ut vocant, cœperunt: „ præſertim in illos XIV. ad accuſandum eos qui eandem doctrinam „ foverent, quorum tamen nullus eorum ore accuſatus aut nomina„ tus fuit. In ea quæſtione, cum crudelem in modum tortores „ membra eorum diſtraherent, ac tantum non dilacerarent, quidam „ ex ipſis animo confirmatior, carnificibus clamaſſe dicitur, hor„ tatusque fuiſſe, ne miſero corpori parcerent, quod tantoperè „ ſpiritui voluntatique Creatoris ſui reſtitiſſet. Poſtero die quo „ erant ſupplicio afficiendi, diſputationem cum iis doctores theo„ logi renovarunt, præcipuè de ſacramento Cœnæ Domini. „ Sed *Picartus* & cæteri, incerti quid dicerent, planè obmute„ ſcebant, cum *Clericus* quæreret ab eis; in quo fundata eſſet „ ipſorum transſubſtantiatio? & an cum panem ederent aut vi„ num biberent, aliquem carnis ſanguinisve guſtum perciperent? „ Poſtremo hæc illis conditio oblata eſt, ut qui vellent in au„ rem ſacerdotis inſuſurrare, quod illis eſt peccata confiteri, ii „ aliquid gratiæ obtinerent, nec linguæ eis præciderentur. Ita-

„ que

„ que ex quatuordecim quos ſuprà nominavimus, ſeptem eam conditionem acceperunt, aut, quod id non magni momenti eſſe arbitrarentur, aut quod eo pacto beneficium vocis redimere ſe poſſe exiſtimarent, idque maximo dolore cæterorum, qui nullis nec minis nec promiſſis flecti, à ſententiaque deduci unquam potuerunt.

„ Hora autem poſt meridiem ſecunda, quæ ſupplicio dicta erat, cum è carcere educerentur, carnifex linguam primum à *Stephano Mangino* poſtulavit, quam ille præbuit libenter atque exeruit: qua præciſa, ſanguinem evomens, loquutus eſt, ita ut ſatis intelligeretur, hujusmodi verbis ter precatus, *Sit nomen Dei benedictum*; moxque ſuper cratem tractus fuit, quemadmodum & *Clericus*: cæteri verò plauſtro impoſiti deportabantur, quos quidem ii qui non fuerant damnati capitis, proximi pedibus ſequebantur usque ad forum magnum. Quo in loco quatuordecim patibula forma circulari erecta erant, atque è regione domus Mangini poſita. Et aliud patibulum ſeparatum ab aliis ac paulò longius remotum, in quo ſub axillis ſuſpendendus erat adoleſcens, *Michaël Piquerius* nominatus, quem propter ætatem quò minus cremarent, pudore impediebantur. Tum verò carnifices, eos non ſecus atque agnos ſacrificio deſtinatos alligarunt. Quoniam autem ii quibus lingua erat præciſa, etiam blæſa voce Dominum invocare non deſinebant: cæteri verò qui linguæ beneficio fruebantur Pſalmos canebant; Sacrificuli & monachi qui ibi aderant quaſi amentes furoreque correpti decantare ipſi quoque cœperunt; *O ſalutaris hoſtia!* deinde, *Salve regina*, aliasque hujusmodi blasphemias, neque antè, nefarium hunc & inſanum cantum intermiſerunt, quam ſanctiſſimæ hoſtiæ in ſuaviſſimum odorem igne conſumptæ fuerunt. Porrò ſequenti die, qui fuit dies octavus ejus menſis, adverſarii, quaſi rem ſuam benè geſſiſſent, ac veritatem victam captivamque in triumphum ducerent, magnificam inſtituerunt pompam, in qua panaceum illud ſuum idolum circumferebant, innumerabilibus tædis cereisque medio die accenſis comitatum. Quum autem veniſſent ad ſupplicii locum, in quo adhuc ig-

„ nis

„ nis ardebat, idolum ibi suum collocarunt. Tum Picartus in
„ medio foro suggestum ascendit obtectum conopeo seu integu-
„ mento aureo quo splendidius & sine ulla molestia delicati ho-
„ minis caput obtegeretur. Ibi theologus iste insignis cœpit
„ pro suo more in eos, qui supplicio affecti erant, debacchari,
„ & quod splendida bilis dictabat, planè affirmare, necessarium
„ esse ad salutem, credere, quod illi usque in profundum infernum
„ damnati essent, Angelumque, si de cælo veniens secus dice-
„ ret, rejiciendum esse, imò verò Deum ipsum non fore Deum,
„ nisi eos in perpetuum damnaret. Veruntamen uxores eorum
„ qui combusti fuerant, ad eam de maritis existimationem ad-
„ duci nunquam potuerunt, etiam cum è carcere dimitterentur.
„ Hoc enim responso potius contra pugnabant, quod eo toto
„ vitæ tempore, quo cum illis vixerant, eorum summam inte-
„ gritatem in timore Dei ac vera pietate perspexissent, quæ po-
„ tius vitæ æternæ comes esse solet. Horum autem hausto san-
„ guine inimici non contenti atque exsatiati, omne suum stu-
„ dium & conatum eo contulerunt, ut gregem Domini dissipa-
„ rent, occiderent, ac planè delerent. Itaque multi ex illis
„ magnitudine & sævitia ejus persecutionis profugi se ad urbes
„ tum propinquas, tum remotas contulerunt. Quæ Ecclesiæ
„ dispersio ac dissipatio, non sine magno Evangelii incremento
„ facta est. Nam unusquisque suum officium & studium præ-
„ stabat, ut oblata occasione ad confessionem ac testificationem
„ veritatis uteretur, quemadmodum *Faronus Manginus*, vir maxi-
„ mo spiritus ardore, *Aureliæ* aliisque in locis faciebat: sic
„ *Petrus Bonpanius* vocatus, se gerebat *Aubigniaci*, qui paulò
„ post Lutetiæ combustus est. „

Fuerunt qui hanc in *Meldenses* immanem feritatem impulsu quorundam eo potissimum consilio exercitam fuisse referrent, quo Smalcaldicorum Principum cum Rege conjunctionem, quam verebantur, & impedirent & disturbarent.

§. LIII. Neque autem Rex FRANCISCUS diu in Evangelii Confessores sævire, aut ad Ecclesiasticorum suorum truculentiam infandam connivere; Quum enim regnasset annis XXXII. Ramboleti, (quod abest Lutetia iter diei) vitam finit A. 1547. ultima

die Martii, cum paucis ſeptimanis antehac ad ipſum perlatus esſet nuncius, de morte Henrici VIII. Regis Angliæ, ex quo is ſummum dicitur percepiſſe dolorem (a), quippe qui amicitiam cum eo nuper contractam arctiore vinculo firmare regni bono cuperet, &, quod, cum pauculis tantum annis Henrico Junior eſſet, illius morte inſtantis fati admoneretur;

Eſt tamen notabile quod paucis diebus ante mortem ſuam, quum jam Smalcaldicorum res peſſimo eſſent loco, Saxoni & Haſſo, ſingulis, centum millia ſcutatorum miſerit (b), pollicitus etiam, ſe Saxonis filium natu maximum, ſi ad ſe mitteretur, honeſtè habiturum & liberum ei religionis ſuæ exercitium, ſed privatim permiſſurum.

Cæterum Orationem funebrem habuit *Petrus* CASTELLANUS Epiſcopus Matisconenſis (*de Mascon*) qua res geſtas & laudes ac virtutes defuncti celebravit; Et parum ſane abfuit, quin hæc eadem Oratio vel ipſi Caſtellano non leve ſuſcitaſſet periculum;

Eſt enim is, â nonnullis ex Sorbonicorum jam pridem infeſtorum collegio, quod *Robertum Stephanum* (c) doctiſſimum & peritiſſimum rei typographicæ virum adverſus eos texiſſet, accuſatus, quod in illa, quam in Franciſci funere habuit, Oratione „ſperare ſe atque perſuaſum habere dixiſſet, Regis animam vita „ſanctiſſime acta, ſimul atque è corpore exceſſiſſet, protinus cœlo „receptam eſſe, neque expiatoriis ullis ignibus eguiſſe;„ quaſi de tertio loco (ut ipſi ajebant) de quo tot nuper (ita THUANUS rem enarrat) à Proteſtantibus controverſiæ excitatæ fuerant, addubitaſſet: eamque ob cauſam quosdam è ſuo numero ad Regem delegarunt, qui à *Johanne Mendoza* regiorum diſpenſatorum principe excepti, hoc faceto & apto pro tempore reſponſo eluſi ſunt: „ Scio, inquit, quid huc veneritis, nempe, ubi locorum „ Franciſci heri optimi anima nunc ſit, cum *Caſtellano*, ut malè „ ſentiente, controverſamini: Cæterum, vobis confirmare pos- „ ſum, qui *Franciscum* optimè noverim, hoc eum ingenio ſem- „ per

(a) THUAN. Lib. III. §. V. fol. 105.
(b) SLEIDAN. Hiſtor. Lib. XIX. p. 338 b.
(c) THUAN. Hiſtor. Lib. III. fol. 108.

„ per fuiſſe, ut diu hærere ullo loco quantumvis amœno & „ commodo nunquam potuerit, ut mihi ad purgatorium non „ moræ faciendæ cauſa divertiſſe videatur, ſed tantum, ut vi- „ num illac tranſeundo à pocillatore pro more deguſtandum ac- „ ciperet. „ Quo audito, cum viderent Sorbonici, *Caſtellanum*, plus in aula valere gratia, quam ut ei negotium faceſſere poſſent, pudore confuſi domum reverterunt:

Atque hæc initia fuerunt in GALLIA Religionis Reformatæ, quam tum temporis ordinariò *Lutheranam* (a) non ulla habita ratione diſſenſionis inter Evangelicos, ſive ii Lutherum ſequerentur, ſive ab illo in cauſa cumprimis Eucharistica diſſiderent, & *Zwinglium* magis atque *Calvinum* ſequerentur, vocabant, quæ verò deinde per contemtum, vulgari prorſus ac barbaro nomine, *Hugenotica* (b) incertum unde eſt dicta.

TANTUM.

(a) Conf. ea quæ in nota §. V. pag. 13. ſubjectæ notavimus; Eſt enim rectè à SALIGIO & aliis annotatum, quod *Lutherani* tunc vocarentur, ſine ullo diſcrimine Evangelici, licet etiam in articulo de S. Cœna prorſus non cum Luthero conſentirent.

(b) Conf. inprimis de origine hujus vocabuli quod uſu maximè frequentari cœpit, Cl. BENOIST in Hiſtoire de l'Edit de Nantes Lib. I. pag. 23——25

SECTIONIS III.

CAPUT II.

DE PRIMORDIIS REFORMATIONIS ANGLICANÆ, SUB HENRICO VIII. ET EDUARDO VI. REGIBUS ANGLIÆ.

§. LIV.

REpetenti mihi *Reformationis* ANGLICANÆ memoriam ante omnia *Johannes* WICLEFUS occurrit Seculi XIV. Doctor, & Veritatis adversus Ecclesiæ Pontificiæ sordes quotidie ingravescentes, Testis & Assertor planè illustris; Erat is primò, collegii Mertonensis, quod Oxonii florebat, socius (a), pòst, ibidem Professor, & tandem Ecclesiæ Lutterworthensis in provincia Lincolniensi Rector; Ille cum depravatam Ecclesiæ Pontificiæ doctrinam pariter atque formam perspiceret, atque alienum à clero & superstitionibus papalibus gereret animum, simul intrepidè Scripturæ Sacræ auctoritatem asserere, & quicquid ei refragaretur repudiare non est veritus; Quanquam autem, quid de plurimis ejus opinionibus sentire debeamus (b), vix aliter quam ex testimoniis adversariorum noverimus, & constet, hos tantis inimicitiis adversus ipsum exarsos, adeò multa de eo vel scripsisse, vel ei affinxisse, de quibus ipsi forte nihil in mentem venerit, nedum ut ea suis inculcaverit. Tamen id certum est, eum, Papam pro *Antichristo* habuisse, *Clerum* & ejus vitia acriter *corripuisse*, *cultum* sanctorum & *imaginum damnasse*, corporalem *præsentiam corporis* Christi in S. Cœna negasse (c), *Indul-*

gen-

(a) WHARTON in Appendice ad Cavei Histor. Litterar. fol. 40.

(b) vid. BURNET Histor. Reform. Anglic. fol. 13. edit Latinæ.

(c) conf. ALLIX in Histor. Eccles. Albigens. cap. XXIV. p. 227--232. Cæterùm Thom. JAMESIUS Oxoniæ A. 1688. 4. Wiclefi edidit Apologiam Anglico sermone, atque in ea *Rob. Parsoni*, aliorumque, absurdas opiniones Wiclefo summa cum injuria affluentium, calumnias invictè diluit, ut mirum sit, qua fronte eas instruere denuò sit ausus *Varillasius*, Historiographus Gallus.

gentias Papæ & Episcoporum rejecisse (a), & populum ad *S. Scripturæ studium* strenuè exhortatum esse. Eminuisse deinceps ejus zelum & indefessum fervorem, cumprimis in Anglica Scripturæ S. A. 1383. ex Vulgata Hieronymi conficienda Versione, cujus in Bibliotheca Cantabrigiensi (b) Manuscriptus adservatur Codex.

Hæc Biblia, quæ pereximiam habent Præfationem, qua primaria ejus dogmata exponuntur, uti magno cum applausu fuerunt recepta, ita tamen id, ratione magis & sensu communi impellente, factum fuisse novimus, quam, ut tum saltem profunda quædam accesserit ad amplectendum illas opiniones, vel meditatio vel speculatio; Asseclæ namque hujus doctrinæ (c) plebeji erant & illiterati plerique, & rudes, paucis solummodò clericis illi addictis, iisque nullo propemodum vinculo nisi veritatis inter se colligatis, prouti nec publicam ejus doctrinæ faciebant professionem, sed ex eo tantum criterio dignoscebantur, quod cleri superstitionem infandam, & corruptelas notorias, & crudelitatem immanem unanimi studio criminarentur & abominarentur.

Enimverò, hos omnes infami *Lollardorum* nomine denigratos fuisse, Scriptores rerum Anglicarum tradunt, quos per integros centum & quinquaginta annos ita penitus extirpare non potuit Clericorum, omnem operam & laborem licet impendentium, sævitia, vel Edictorum adversus eos prolatorum truculentia ac severitas, ut potius ingens eorum turba, cum felix Reformationis aurora orbem Europæum illustraret, & proclivis deprehenderetur ad Veritatis doctrinam recipiendam, & lætabunda prorsus eidem defendendæ, oreque ac scriptis, quinimò etiam sanguine proprio obsignandæ, se accingeret, sicque brevi tempore velut agmine facto, Veritatem Evangelicam Reformatam susciperet ac propagaret;

§. LV. Cum enim Indulgentias in Germania insectaretur Lutherus, atque Zwinglius in Helvetia erroneam Papistarum doctri-

 nam

(a) Inter errores ejus, quos Bulla Martini V. condemnavit, quique illi bullæ leguntur adjecti, & ille occurrit, artic. 42. *Fatuum est credere Indulgentias Papæ & Episcoporum.*
(b) WHARTON loc. cit. fol. 42.
(c) BURNET. Histor. Reform. Anglic. loc. cit.

nam refelleret, ipſaque purior doctrina in Belgio lacertos moveret, & ubivis fermè pro Reformatione ſuſcipienda libri emitterentur, fieri aliter fermè nequibat, quam ut hi in Angliam miſſi avidè admodum reciperentur, & in Anglicum ſermonem ab his illisve transferrentur, tum ob præjudicia contra clerum corruptum concepta, tum ob illas quas diximus Lollardorum ſententias, quæ jam à tempore Wiclefi per 150. annos in Anglia radices egerant, quippe cum maxima inter eas & Reformatorum dogmata eſſet conſpiratio atque affinitas.

Certè (ut in annis ad Reformationis epocham proxime accedentibus tantum hæreamus,) cum A. 1511. d. 2. Maji ſex Viri (a) & quatuor mulieres coram Archiepiſcopo Warhamo comparerent, atque Lollardiarum (ſic enim cunctas tum vocabant hæreſes) accuſarentur, ut ſequentes abjurarent doctrinas, quas erroneas eſſe criminabantur, ipſis injunctum fuit:

1. In Sacramento Altaris (b) non eſſe corpus Chriſti ſed panem materialem.
2. Sacramentum baptiſmi & confirmationis, non eſſe neceſſaria, nec utilia animabus hominum.
3. Confeſſionem peccatorum non eſſe faciendam ſacerdoti.
4. A Deo non plus poteſtatis eſſe datum Sacerdoti quam Laico.
5. Solemnia matrimonii nec proficua eſſe, nec neceſſaria pro ſalute animæ.
6. Sacramentum extremæ unctionis, nec utile eſſe nec neceſſarium pro hominis ſalute.
7. Peregrinationes ad loca ſacra, non eſſe utiles nec meritorias pro hominum animabus
8. Imagines Sanctorum non eſſe colendas.
9. Sanctos non eſſe adorandos, ſed ſolum Deum.
10. Sacram aquam & ſacrum panem non fieri meliora poſt benedictionem à Sacerdote factam, quam prius fuerant.

Sed & conſtat, quod ſequentibus ejusdem anni menſibus plures alii eosdem abjurare debuerint articulos (c), quibus inſuper duo adde-

(a) BURNET. l. c. p. 15.
(b) BURNET. l. c. p. 16.
(c) BURNET. l. c.

addebantur 1. Imagines crucifixi, Mariæ & aliorum sanctorum non esse colendas, eò quod factæ sint manibus hominum, nihilque sint quam trunci & lapides 2. Nummos & labores Peregrinationibus impensos esse inutiles.

Nam & A. 1509. *Elisabetha* quædam *Sampsonia* de *Aldermanbury* dicitur inter alia solenniter & juramento quidem retractasse, & sontem se esse publicè indicare debuisse, quod (a) „ Virtu-
„ tem Sacramenti Altaris negasset, Sacerdote impiè vivente,
„ docens, illud non nisi panem esse, nec posse Christum simul
„ in cœlo esse & in terra; itemque, quod negasset Ascensionem
„ Christi in cœlum: „ Tametsi etiam liquidò colligi possit, eam utrumvis hunc articulum, negare vix potuisse, atque adeò, in alterutro falsò fuisse accusatam; Cum, qui asserit Christum cœlo receptum, eaque propter inclusum esse non posse sacramento eucharistiæ, is saltem adscensionem in cœlum negare non possit, nisi sibimet ipsi in terminis contradicat.

Ne jam de illis dicamus, qui cum abjurare nollent, quod se à veritate divortium fecisse negabant, propter easdem & similes doctrinas, ferale ignis supplicium effugere nequiverunt.

Nam & A. 1512. d. 5. Junii duo viri totidemque mulieres sequentem abjurare debuerunt articulum: *Quod in sacramento altaris tantum sit panis materialis, non autem corpus Christi.* Prouti d. 13. Sept. itidem duæ aliæ mulieres eundem abjurarunt articulum, eaque solenni abjuratione satis testatum fecerunt, quam Lollardorum tantopere exosorum, Doctrina, examussi convenerit, cum ea, quæ paulo post a Reformatis pariter atque à Reformatoribus, ubivis renovabatur atque instaurabatur Evangelii doctrina; Prouti hæ similesque Lollardorum opiniones, immane quantum eò contribuerunt, ut plebs majori cum alacritate atque promtitudine deinceps, ea quæ per Evangelicos emittebantur scripta reciperet, ipsamque doctrinam tantò imbiberet avidius, quantò ea dudum suppressa fuerat fervidius;

Interea tamen, Librorum Lutheri & collegarum ejus in Angliam

(a) BURNET. l. c. p. 16. 17. qui hæc omnia ex *Warhami* Archiepiscopi & *Fitz James* Episcopi Londinensis Indice circa hæreticos excerpsit suæque Reformationis Historiæ inseruit.

gliam transportatio & in Anglicanum idioma translatio, uti proclivem multorum in Evangelicam doctrinam arguebat animum, ita novas adversus Lollardos (a) excitabat turbas, inquisitione tantopere crescente, ut ingens eorum numerus in retia Episcoporum & Subcommissariorum inciderit; quando, vel verbulum contra Ecclesiæ decreta loqui, imo liberos suos Orationem Dominicam, Decalogum & Symbolum Apostolicum in lingua vulgari edocere, piaculum erat, & sat criminis ad aliquem vinculis constringendum & in carcerem conjiciendum; Hoc unum certè ob crimen jam anno 1519. Conventriæ in septimana Passionali d. 4. Aprilis, *sex* viros fœminamque *unam* supplicio affectos, memorat BURNETUS (b) *Longlandus* saltem, Lincolniæ Episcopus, tanta erga eos qui Hæreseos suspecti erant, fuisse dicitur severitate, ut permultos adjudicaverit igni, dum intereà reliqui cogerentur abjurare:

§. LVI. Neque tamen vel ita sufflaminari poterant purioris doctrinæ undique emergentes scintillæ, quippe cum metus equidem & coactio per aliquot tempus supprimere possit animi in Deum affecti cogitata, non verò instillare contrà animi sententiam dogmata falsa, nedum, ut quis seriò iis assentiatur, seque iis tradat, efficere possit; Est enim religio vera in universum divinum opus mentis liberæ, animique in quem nulli mortalium est imperium, adeò ut illi frustra vis intentetur ad imprimendas alias de Deo & rebus divinis persuasiones, quam quibus per gratiam Dei est imbutus ac institutus.

Quidquid sit, HENRICUS Rex ejus nominis *Octavus*, qui tum Angliæ Regnum tenebat, quanquam deinceps meliora edoctus Anglicanæ Reformationi viam veluti paravit, eo tamen tempore infensissimus doctrinæ purioris hostis erat, & Papalium næniarum assertor acerrimus: Neque minorem ad sufflaminandam si pote doctrinam omnem puriorem, afferebat operam Thomas VOLSEJUS Cardinalis, & Archiepiscopus Eboracensis, qui uti tum singulari apud Regem pollebat auctoritate & florebat gratia, ita nihil non ad statuminandam sedem Papalem, quam ipse sibi ali-quan-

(a) BURNET. l. c. p. 18.
(b) BURNET. l. c.

quando expetiisse constat, agebat; Tametsi verò is unà cum plurimis aliis de Reformationis necessitate erat persuasissimus, quippe qui pro *Reformando Clero* Anglicano Bullam (a) quoque Româ impetraverat peculiarem, quæ admodum severè animadvertit in ignorantiam Clericorum, *qui* dicuntur *traditi in reprobum sensum*; Uti etiamnunc legitur (b) *Richardi* FOXI Episcopi Wintoniensis eximia *de necessitate Reformationis Cleri Anglicani* ad Volsejum Epistola. Tamen ipsum in omnibus proprio tantum fastui (c) litasse & virulentum in Lutherum omnesque ejus asseclas fuisse, certum est; Id saltem constat, eum jam A. 1521. d. 13. Maji, de *Libris Martini Lutheri* (d) *extradendis* mandatum dedisse sub excommunicationis & hæreticorum ita dictis pœnis;

Ipse autem Rex eodem A. 1521. d. 20. Maji simulac de Luthero Papales superstitiones oppugnante rumor percrebuisset, non solum statim adversus eum insurgere, atque literas de Luthero expellendo conscribere ad *Ludovicum Palatinum* (e) satis acerbas, sed &, pro eo Theologiæ scholasticæ studio & Thomæ Aquinatis, ex quo unicè sapiebat, reverentia, non ferens ejus laudes deteri, Librum adversus Lutherum (f) publicare non est

Z ve-

(a) vid. BURNET. loc. cit. fol. 11.

(b) vid. STRYPE. Memorabil. Ecclesiast. Reform. Anglic. in docum. Tom. I. fol. 19. & *Concilia Magnæ Brittann.* &c. Tom. III. fol. 708. 709. unde eam documentis nostris Num. XX. inseruimus.

(c) *Volseji* Cardinalis characterem omnium optime delineavit Ill. BURNETUS in Histor. Ref. Anglic. fol. 4. 5. edit. Latin.

(d) Ejus Copia nobis exhibetur in *Johannis* STRYPE loc. cit. fol. 15-18. unde eam depromere & nostris documentis inserere voluimus Num. XXI.

(e) Has nobis conservavit Cl. KAPPIUS in Spicileg. Tom. II. p. 458. seqq. unde eas excerpere, atque inter documenta huic volumini subnexa referre juvabit Num. XXII.

(f) Num ipse, num vero alii eum conscripserint, hujus loci non est, ut disputemus; Quamvis enim Lutherus in Responsione, *Eduardo Leo*, (qui ex disputationibus cum ERASMO satis est notus, & postea Archiepiscopus Eboracensis fuit) eum attribuere malit, suspicatúsque fuerit, alium quendam sub Regis nomine scripsisse; Tamen, quod BURNETUS nihil tale commemorat, minime taciturus, si quid eò pertinens eruisset, me-

veritus, in quo illum oppugnat, & Judicium illius de indulgentiis convellit, pontificatum autem defendit, omnemque illam disputationem de sacramentis ecclesiæ reprehendit, sumto scribendi argumento ex libro Lutheri *de captivitate Babylonica*, nuper admodum emisso.

Magni hunc Regis librum faciebat Clerus, tanquam doctissimum quod sub sole esset opus. Comparabant Regem cum Salomone, omnibusque Imperatoribus Christianis, qui unquam fuerunt, præferebant. Hæc erat adulandi materies multis annis. Pontifex Leo X. ob fidem defensam gloriosum illum *Defensoris Fidei* titulum Regi tribuebat (a), quinimo Indulgentias concedebat quibuscunque eum legentibus, atque in Epistola privata ad Henricum data, miris laudibus hanc operam efferebat, ita scriptam ab eo celebrans, *ut spiritum Sanctum affuisse adpareat*. Quanquam Lutherus ex adverso minime territus, sed elatior potius factus, quod tantus Rex secum certamen iniisset, non sine magna acrimoniæ mixtura responderet:

Ipsa autem, uti diximus, disputationis materia, non erat illa, (quod

meritò ipsum Regem pro auctore reputamus. Libri titulum exhibuimus in *Introd. nostr. ad Hist. Reform.* §. XIII. p. 21. not. (a). Cæterum ad calcem ejus à Rege ad Pontificem missi, Rex manu sua hoc distichon subscripserat;

Anglorum Rex Henricus, Leo decime, mittit
Hoc opus, & *fidei* testem & amicitiæ.

(a) Hujus Concessionis Acta originali hujus libelli editioni Londini 1521. in ædibus Pynsonianis procuratæ (quam mea servat bibliotheca) sunt inserta, ubi inter alia ipsi Bullæ Pontificiæ pro ejus operis confirmatione inserta leguntur hæc verba: „ Nos, qui Petri . . veri successores sumus, „ & in hac sancta sede, à qua omnes dignitates ac tituli emanant, sede- „ mus, habita super his, cum fratribus nostris matura deliberatione, de eo- „ mur unanimi consilio & adsensu, Majestati Tuæ titulum hunc, videlicet „ *Fidei Defensorem* donare decrevimus .... mandantes omnibus Chri- „ sti fidelibus, ut majestatem tuam hoc titulo nominent: & cum ad eam „ scribant, post dictionem *Regi*, adjungant, *Fidei Defensori*. „ Adjecta legitur hæc solennis verborum formula: *Librum hunc Henrici VIII. Angliæ & Franciæ Regis potentissimi contra Mart. Lutherum legentibus, decem Annorum & totidem quadragenarum Indulgentia, apostolica auctoritate concessa est.*

(quod graviter queritur Lutherus (a),) *de capitibus veræ Christianæ doctrinæ, non, de fide, spe, charitate, baptismate, sacra cœna, nec de lege, peccatis, morte, libero arbitrio, gratia; non de Christo, de Deo, judicio novissimo, cœlo, inferno, aut de Ecclesia & similibus, quæ scire oportet Christianum, & ad salutem sunt necessaria; sed de Papatu, Conciliorum decretis, doctoribus, indulgentiis, purgatorio, missa, Academiis, votis monasticis, Episcopis, traditionibus, cultu sanctorum, novis sacramentis, quibus Ecclesia non modo potest saluberrimè carere, verum etiam ne consistit quidem, nisi iis aut careat, aut iis pro libero arbitrio utatur.*

Hæc erant illa quæ defendebat Henricus, & hæc *Fides* illa erat, cujus *defensæ* præmium ille tum referebat titulum a Leone datum, & deinde *Rosam auream* (b) ab Hadriano donatam, quo utroque tamen dono is ita deinceps est usus, ut datorum non multo post pœniteret Pontifices, uti suo loco dicetur. Hi sunt denique illi articuli (c) quorum prætextu tot myriades hominum, Roma id urgente, vel sub carnifice vel bellorum furiis perierunt.

Interea tamen, eadem illa Disputatione, (quæ à Luthero vigorose nimis, & posthabita quam Majestati Regiæ debebat veneratione instituebatur) factum est, ut tantò magis Episcopis, & Clericis, totique Pontificio Choragio exosum fieret Lutheri & Lutheranorum nomen, quantò magis ejus Doctrina quorundam se insinuabat animis, eosque ad Reformationem urgendam & ambiendam exstimulabat.

Rex saltem, vehementer illa Lutheri responsione exacerbatus, omni nisu, ferro & igne adversus Lutheranismi vel suspectos vel reos sævire, nec quicquam eorum omittere, quæ ad exstirpandam illam sectam facere poterant. Sic enim eodem hoc A. 1521. d. 20. Octobris (d) ad omnes Dioceseos *Lincolniensis* Judices

(a) Apud SECKEND. Histor. Luthr. I. §. CXVI. fol. 189.

(b) De *Rosa aureæ* dono tum temporis Pontificio, conf. *Introd. in Histor. Reform.* p. 231. & docum. ad Tom. II. p. 10. 11.

(c) SECKENDORF. l. c.

(d) FOX Ecclesiastical Histor. Tom. II. fol. 39. qui ipsam Regis Epistolam ex Autographo exhibet, quæ & legitur in *Conciliis Magn. Britann.* volum. III. fol. 698.

ac magistratus gravissimam misit Epistolam, qua, „ut velint *Jo-*
„*hannis Longlandi* Episcopi Lincolniensis in hæreticos inquisitio-
„nibus & prolatis sententiis, quantum in ipsis est succurrere, eas-
„que sine ulla mora exsequi, imperabat.„ Sed &, mittebat inter alia A. 1523. fecialem cum literis d. 20. Januarii, ad Saxoniæ Principes, *Fridericum* (a) ejusque fratrem *Johannem*, & patruelem *Georgium*, & de Luthero graviter conquestus, quantum ab ejus doctrina periculum ipsis immineat, totique Germaniæ, commonstrare annitebatur, nec esse quod contemnant aut parvi faciant, nam & Turcicam illam immanitatem, quæ nunc tam late grassetur, ab uno atque altero homine perdito primam duxisse originem; & vicinam Bohemiam ipsis documento esse, quanti referat, nascenti malo statim occurrere: Monet autem, „ne
„Luthero permittant, ut Testamentum Novum lingua vulgari di-
„vulget; Sic enim jam esse notum artificem, ut dubium non sit,
„quin bene scripta male vertendo pervertat atque depravet (b).„

Et, *Georgius* quidem Saxo, responsa dabat Luthero valde infesta, sed parum tamen nociva, Emserus autem, publicato (c) mox illo inter Regem & Georgium commercio, ægre facere Luthero volebat. *Fridericus* intereà Elector cum Fratre ita respondebat, ut litem inter Regem & Lutherum actam à se amolirentur.

Et fuit hoc impensissimum in Luthero ejusque asseclis persequendis studium, dubio procul, ratio, quod eodem hoc anno *Clemens* VII. nuper ad sedem Papalem evectus, novam ederet Bullam (d) de titulo *Defensoris fidei* confirmatoriam, in qua denuò *librum Henrici* VIII. dicit *sancto dictante spiritu scriptum, & iis luminibus ingenii scientiæque refertum, ut facile appareat, optimam naturam quocunque se verterit, ad omnia aptam esse, optimam vero voluntatem etiam Dei ope & munere in cunctis felicem esse & fortunatam.* Ne-

(a) SLEIDAN. p. 53. b.

(b) De hac Angliæ Regis legatione documenta authentica publicavit Ern. Sal. CYPRIANUS Tom. II. Tenzel. p. 266. sq. Coll. cum *Epistolis Gothanis* a se editis p. 9. sqq. unde ipsam decerpere Epistolam, eamque documentis ad hoc Volumen inserere constituimus. Num. XXIII.

(c) De *Emsero*, vid. Introd. in Hist. Ref. §. CVII. p. 256. & §. CXXV. pag. 316.

(d) Ea legitur in *Conciliis Magnæ Brittanniæ* vol. III. fol. 702. 703.

Neque vero ipse tantum Rex Luthero adversabatur, sed & Erasmo Roterodamo eodem illo tempore A. 1524. persuadet, ut stylum stringat adversus Lutherum; Jamque minabantur Angli, atque inter eos *Cutbertus Tonstallus*, Episcopus Londinensis, cujus virulenta satis ea de re legitur ad *Erasmum* (a) Epistola, se salarium annuum, quo fruebatur, ipsi subtracturos, ni scriberet, atque testatum faceret, quod juratissimus esset Luthero, unde mense Octobri *de Libero arbitrio* contra Lutherum diatriben pœne invitus (b) emittere debuit.

§. LVII. Sub idem tempus, duumviri singularis probitatis atque doctrinæ laude florebant, *Johannes* FRYTHUS & *Wilhelmus* TYNDALLUS, utrique Angli, quos ab oblivione hominum, cum eorum opera multis modis Reformationi Anglicanæ salutaris fuerit ac proficua, ut vindicemus, ante omnia videtur necessarium.

Prior, *Johannes* FRYTHUS imprimis religionis fama clarus fuit, quamquam is quoque admodum Juvenis tristissimum longeque indignissimum subire debuerit supplicium; Dicitur autem is tanta floruisse eruditionis laude, ut in omni literarum politiorum excellentia & gloria vix habuerit apud suos ea certe ætate parem, tanta deinceps fulsisse pietate, ut utra in parte laudatior fuerit, quum utraque esset laudatissimus, difficile dictu sit. Oxoniæ (c) igitur primum versari in studiis cœpit, enutritus in ea ea schola, quam *Aulam* illi appellant *Marianam*. Et refertur, eum à natura singulari amore flagrasse erga literarum quibus destinabatur studia, accessisse deinceps ingenii facilitatem atque promtitudinem singularem ad arripienda quæ proponebantur omnia, diligentiam denique atque assiduitatem pæne incredibilem, quo factum fuerit, ut non tam fuerit φιλομαθης, quam brevi temporis spatio evaserit πολυμαθης:

Eo in curriculo, quum per aliquot annos se exercuisset, non

 sine

(a) Inter Epistolas Erasmi volum. I. Ep. 656. p. 771. 772.

(b) Certe ipse ERASMUS in Epist. ad Lud. Vivem fatetur, *se dum de libero arbitrio scriberet, liberum arbitrium perdidisse, aliud sibi animum dictasse, aliud scripsisse calamum.*

(c) Conf. FOXUS in Commentariis rer. gestar. in Ecclesia fol. 127.

sine magno utriusque literaturæ profectu, tandem in notitiam incidit ac consuetudinem *Gulielmi Tyndalli*, cujus auspiciis & ductu semina tum primum Evangelicæ doctrinæ ac sinceræ pietatis, pectore recondidit.

Parabat eo tempore *Th. Wolsejus*, gloriæ suæ famæque protelandæ intentus, novum in Academia Oxoniensi Collegium (a) quod tum *Frediswoodii*, deinceps *Christi* nomen gessit, maximo apparatu, atque, ne non illud illustre foret atque splendidum, varios in illud recipiebat, ut quisque in ulla literarum ac disciplinæ facultate cæteris præeminebat, atque inter hos quoque *Johannem* FRYTHUM nostrum, *Gulielmum Tindallum*, atque alios, qui tamen haud ita diu post, simualc rectius de rebus religionis sentire videbantur, hæreseos insimulati à Cardinale, mox in demissam & subterraneam (b) ejus Collegii speluncam incarcerati sunt. Et quanquam tum quidem ex ea Frythus noster evasisset liber, non diu tamen tranquillo esse licuit. Etenim gliscente magis ac magis suspicione ac invidia Frithiani nominis, continuo sæva eum excepit persecutio; Quà coactus, ad annos fere quatuor Angliam fugiens secessit in Germaniam; Sed iis elapsis, dum in patriam revertitur, infatigabili Thomæ Mori, quocum ei circà quædam doctrinæ capita lis erat, studio, atque in hæresin omnem odio, factum est, ut denuò carceri manciparetur, quando A. 1533. d. XXII. Junii in ipso ætatis flore puriorem religionem sanguine suo confirmare debuit:

Fuerunt ejus scripta varia, quæ A. 1573. simul typis excusa prostant, & sunt inter ea (c) Tractatus de *Purgatorio*, itemque Responsio ad *Joh. Rastalli* dialogos, de Purgatorio, Responsio ad *Thomæ Mori* dialogos *de Hæresibus*. Responsum ad *Johannem Fischerum Episcopum Roffensem*. Epistola scripta ad fideles Christi & Evangelii ejus asseclas, ex carcere 1532. Speculum, sive *Ars semet ipsum cognoscendi*; *Antithesis inter Christum & inter Papam*. *De sacramento corporis & sanguinis Christi* adversus Thomæ Mori exceptiones & sim. Enim-

(a) BURNET edit. Latin. p. 13. conf. *Ant.* WOOD. in Historia de Antiquit. Acad. Oxon. Lib. I. fol. 248. 249.
(b) FOXUS lib. cit. fol. 128. WOOD loc. cit. fol. 251.
(c) Ant. WOOD Athenæ Oxoniens. fol. m. 34.

Enimverò, quænam ejus fuerit Doctrina, ut paucis evolvamus, necesse erit: Et quidem, quod ad *Sacramentum corporis & sanguinis Christi* adtinet, eum hæc quatuor potissimum de eo defendisse capita (a) certum est. 1. Quod non sit necessarius fidei sub damnationis periculo articulus. 2. Quum Christi naturale corpus pari conditione omnem corporis nostri proprietatem (excepto duntaxat peccato) subeat, fieri non posse, nec esse consentaneum, ut duobus pluribusve simul locis præter naturam corporis nostri contineatur. 3. Deinde, neque hic quicquam necesse esse, cur verba Christi juxta το ρητον literæ accipiamus, sed potius idiotismum ac phrasin locutionis observantes, phrases cum phrasibus juxta reliquæ scripturæ analogiam componamus. 4. Postremò, quo pacto juxta veram & genuinam Christi institutionem suscipi oporteret: quantumlibet ab ea sacerdotalis hæc, quæ hodie subrepsit, institutione dissiliat.

Hanc sententiam, cum aliquando, non tantum sermone familiari protulisset, sed etiam, hoc amico quodam veteri aliisque amicis suadentibus, scripto consignasset, factum est, ut nefaria *Gulielmi Holti* cujusdam proditione, propter eam deferretur apud *Thomam* MORUM Regni Cancellarium, & acerrimum Evangelicorum adversarium. Neque verò in Moro ulla mora fuit, quin hunc Frythi libellum refutare aggrederetur, imprimis, quia eodem illo libello ea quoque circa reliquas sacramentorum causas protulerat, quæ cum Pontificiorum doctrina conciliari non poterant. Sic enim tres esse causas asseruerat, cur instituta essent sacramenta: *Primam* explicat Augustinus (b) his verbis contra Faustum scribens: *In nullum nomen religionis seu verum seu falsum coagulari homines possunt, nisi signaculorum seu sacramentorum visibilium consortio colligantur, quorum sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimum, & ideo contemta sacrilegos facit. Impie quippe contemnitur, sine qua perfici non potest pietas* &c. *Altera* est, ut sint adminicula fidei alicujus in pectoribus nostris infigendæ, simul ac confirmandæ divinæ promissionis. Sed hunc sacramentorum usum multi sunt, qui nesciunt, plures, qui perperam ac præ-

(a) FOXUS rer. in Eccles. gestar. comment. fol. 128. 129.
(b) FOX l. c. fol. 130.

præpostere pervertunt, signa pro rebus accipientes atque colentes etiam; nihilo fere meliori ratione, quam si quis hederam, quæ tabernæ vinariæ appenditur, exsugat, suam hinc sitim sedaturus; nec interim tamen tabernam, ubi vinum est, ingreditur. *Tertio* deinde usui subserviunt, ut ad publicas Gratias atque Doxologias Deo benefactori agendas, fidelium animos exsuscitent.

Responsum igitur MORUS parat adolescenti (quo nomine per totum libellum Frythum appellitat) sed ita, ut librum semel editum ac publico ostensum, mox deinde a typis, omnibus modis curaret supprimendum, fortassis ne ad Frythi manus ille deveniret; At vero Frythus jam tum in carcerem compactus, ejus copiam adeptus, illi respondet iterum (a), nihil prætermittens, quod ad absolutam ejus rei pertractationem quisquam desiderare posset, & illustre præbens documentum quanto validior mendaciis sit veritas. (b) Morus enim magna cum eloquentia, Frythus vero simpliciter & sine artificio scripserat, & ea tamen inter libros illos est differentia, ut qui illos confert, facile animadvertat, *illum* ingeniosum esse malæ causæ defensorem, *hunc* vero simplicem veritatis assertorem. Præterquam quod Frytho deesset quidquid ad scriptionem requiritur; Erat carceri inclusus, deerant libri, nec quicquam ad manus habebat, præter nonnullas prius collectas annotationes, quin imo, catenis ita erat oneratus, ut vix commode sedere potuerit.

Erat vero & hoc in sententia Frythi peculiare (c), quod censeret, „ non esse movendam litem de modo præsentiæ Christi „ in sacramento; qualemcunque etiam quis de eo foveret opi„ nionem, nisi error accedente adoratione degeneraret in idolo„ latriam, sicque evaderet practicus, perinde esse; „ Ut exinde col-

(a) Notari tamen debet, quod ejus responsum tum equidem (referente BURNETO Lib. II. fol. 97.) in lucem non prodierit, sed quod ejus apographum postmodum Cranmero fuerit traditum, qui in suo adversus Gardinerum Apologetico, magnam è Frythi libris lucem accepisse fassus, præcipua argumentorum præsidia ex illis depromsit. Est autem typis impressum illud scriptum A. 1573. inter reliqua ejus Opera.
(b) BURNET. Hist. Ref. L. II. fol. 97.
(c) BURNET. l. c. fol. 98.



GULIELMUS TYNDALL. *Martyr.*

Te puram docuit Christi Sapientia legem
TYNDALLE, optatæ quæ tibi causa necis.

colligatur, quam litem illam Lutherum inter & Zwinglium exortam probaverit minime, ita tamen ut ipse Zwinglii sententiæ fuerit addictior.

Neque vero ibi substitit Frythi nostri fervor, quippe qui & de *Purgatorio*, cum *Joh. Fischero* Episcopo Roffensi, cum eodem *Th. Moro*, & cum *Rastallo*, Mori genero, contentionis serram reciprocare debuit, quorum alter doctorum præsidiis, alter scripturæ contextu, tertius naturalis Philosophiæ adminiculis, in eum involarunt, ita tamen, ut in ipsa contentione Rastallus ad frugem rediisse dicatur, & in Frythi partes secessisse.

Postquam vero ita cum tribus his calamo & scriptis conflictatus esset, Lambethum perductus, apud Cantuariensem primum, dein apud Wintoniensem causam egit, atque postremo Londini in publico Episcoporum consessu in judicium revocatus, constantissime causam (a) equidem tuebatur, eo tamen cum eventu, ut hæreseos, uti tunc erat capitale, crimen evitare non potuerit, quin potius civili magistratui (pro illorum temporum more) traditus doctrinam puriorem sanguine confirmare debuerit, vivicumburio d. 4 Julii A. 1533. in ipsa urbe Londinensi sublatus.

§. LVIII. *Gulielmus* autem TYNDALLUS, Frythi nostri amicus, in finibus Walliæ natus, atque in Academia itidem Oxoniensi institutus, primo per Lutheri libros magna cum sedulitate perlectos, ad veritatis notitiam pervenisse dicitur, quam, ut postmodum aliis instillaret (b) ita omnem navavit operam, ut maximo jure deinceps a Foxo, atque aliis, *Anglorum* dictus fuerit *Apostolus*. Id autem, quò felicius faciliusque perficeret, primum in vertendis utriusque Testamenti libris pariter cum Frytho suo, utilem cumprimis ac salutiferam Anglis omnibus navavit operam (c). Addidit & complura alia de variis argumentis con-

 scripta

(a) Quo modo & qua ratione is in Episcoporum judicio suam fuerit tuitus causam, ipse brevi commentariolo enarrat, misso scripto e carcere ad amicos suos, cujus brevem summam sed memorabilem exhibet FOXUS loc. cit. fol. 132. 133. 134.

(b) FOXUS l. c. fol. 138.

(c) Ea de Versione, & de iis quæ circa eam sunt memorabilia, egimus in *Historia Reform. Belgicæ* §. XXXVII. pag. 107. uti alia quædam deinceps quoque à nobis monebuntur.

ſcripta opuſcula; partim metaphraſtica, cum permultos eximios libros & inter eos *Erasmi Enchiridion militis Chriſtiani* (a) Anglicè reddiderit; partim didaſcalica, in quibus eſt illud nobiliſſimum ejus ſcriptum *de Chriſtiana obedientia*, in quo ſalutari dexteritate ad omnes officii partes Chriſtianas mentes erudit; partim polemica & elenchtica (b) *contra Th. Morum* atque alios, quæ non ſine ingenti multorum applauſu, majorique fructu perleguntur.

At vero, idem ille cum in Comitatu Gloceſtrienſi Nobilium pueris informandis operam ſuam addiceret, atque à Pontificiis & ſacrificulis, profeſſionis ſuæ nomine divexaretur, ſolum vertere eſt coactus, ſicque primo Londinum, deinceps, cum nec ibi ſubſiſtere poſſet, relicta Anglia primò Germaniam adiiſſe dicitur, atque ibi cum Martino Luthero collocutus fuiſſe, eodem fere tempore, quo Bibliorum & cumprimis N. T. Verſionem adornaverat, quando tamen haud ita diu poſt, cum ex Germania in Brabantiam deſcendiſſet, procurantibus non ſine dolo multiplici Epiſcopis, apud Antverpienſes eſt captus, in carcerem abductus & poſt annuam cuſtodiam A. 1536. Vilfordiæ Brabantiæ oppido ad ignis ſupplicium condemnatus; cujus extrema in rogo verba hæc fuerunt: *Domine, Regis Angliæ oculos aperi.*

Eſt eximium de eo BALÆI (c) teſtimonium, dicentis: „ In Anglica regione primus habebatur poſt Wiclefum Tyndallus, qui „ divinæ veritatis contra iniquos Balaamitas promoveret cauſam, „ ac populum recta erga Deum fide inſtitueret. „

Per hos igitur Viros præclaros & eorum labores in incrementum doctrinæ ſalutaris exantlatos, factum eſt, ut Anglia brevi temporis ſpatio Veritatis Evangelicæ guſtu imbueretur, multique Reformationis, quam dudum anhelaverant omnes boni, ſtudio inflammarentur. (d)

§. LIX.

(a) v. H. H. Heroologia Anglic. T. II. p. 148.

(b) Sunt hæc *Gulielmi Tyndalli* ſcripta, una cum *Joh. Frythi* & *Roberti Barneſii* opuſculis collecta atque uno volumine impreſſa. Londini A. 1573. fol.

(c) BALÆ. de Scriptoribus Britann. Centur. III.

(d) Conf. BURNET. Lib. 1. fol. 17. ubi rationes inveſtigat, quare tam alacriter, levi data ſolummodo anſa, Reformationem ſuſceperint homines.

§. LIX. Sed, antequam ulterius in Reformationis Anglicanæ hiſtoriam me immittam, pauca quædam juvat hic inſerere ad primordia ejus ſpectantia, quæ ex Univerſitatis Oxonienſis Archivo leguntur eruta, atque ab *Antonio* WOOD ſtudioſè, quanquam non ſine partium ſtudio, relata.

,, Incipiebat enim, ut WOODII utamur verbis (a) ad Ann. ,, 1521.) Hæreſis Lutheriana (talis enim illa tempeſtate ubique ,, ferè habebatur) latius diffundi, librosque viri ejus & doctri,, nam ſedulo per Academiam noſtram (Oxonienſem) ſparge,, bant nonnulli, quare literas huc transmiſit Wolſejus, de ,, Academicis quibusdam Londinum amandandis, qui novas illas ,, opiniones excuterent & refutarent contra fidem Catholicam ,, militari viſas. Quapropter habito ea de re Academicorum ,, ſenatu, *Thomas Brynknell* e collegio ſub id Lincolnienſi, *Jo-* ,, *hannes Rynton* Minorita, *Johannes Roper* e collegio nuper ,, Magdalenenſi, & *Johannes de Coloribus*, S. S. Theol. Profeſſo,, res nominantur, qui Londini in ipſius Cardinalis ædibus con,, vocationem ſolennem, cum aliis Viris eruditis, Regnique ,, Præſulibus celebrantes, doctrinam Lutherianam, tanquam ,, veritati Chriſtianæ prorſus repugnantem, damnarunt, cujus ,, cenſuræ apographum Oxoniam poſt paulo transmiſſum eſt, ,, & Horologio in cœmiterio auſtrali divæ Mariæ ſito a Nico,, lao Krätzero, affixum, Lutheri libris & in Academia noſtra ,, & in Cantabrigienſi illa igni aliquanto poſt concrematis.

,, Quod prædictos attinet Oxonienſes, eorum juxta quilibet ac ,, *Eduardus Powell* S. S. Theol. Doctor, Eccleſiæ Sarisburienſis ,, canonicus, Collegii autem Orielenſis haud ita pridem alumnus, ,, libellum deinde contra Lutherum conſcripſit, quorum opus,, culis conventui Academico palam recitatis, acclamatum eſt ,, abunde, datis porro de iisdem libellis ad Henricum VIII li,, teris, quibus laudatum præ cæteris Powellum atque mirificè ,, deprædicatum reperies, cujus Tractatus libros binos com,, plectebatur, primo *de Summo Pontifice* & *Eucharistiæ ſacra-* ,, *mento*, altero de *Sex ſacramentis* inſcripto. Opuſculo quidem ,, illo in tantam apud Henricum gratiam influxit Powellus, ut

(a) WOOD Hiſtor. & Antiq. Oxon. Lib. 1. fol. 247.

„ ad maximas brevi dignitates evehendum iri nemo dubitaret..... „ Lutherum præterea scriptis impetivit *Richardus Kedirmister* „ Abbas Wynchcombiensis, qui & altricem habuit Oxoniam, „ cujus perinde ac retrodictorum libros typis voluit mandari „ Wolsejus, at vero, voto ejus repugnabat Academia. „ Hucusque WOODUS loco citato, qui ad Ann. 1526. sequentia habet. (a)

„ Vires jam in dies colligebat Schisma, quod vocabant Lu- „ therianum, inque Collegio potissimum Cardinalitio pullula- „ bat, dum Cantabrigienses nonnulli nobiscum hucusque com- „ morantes, idem præcipuè foverent. Inter partium earum adju- „ tores primum nunc obtinebat locum *Johannes Clarke*, junio- „ rum sodalitii ejus Canonicorum alter, cujus & lectionibus „ privatis & disputationibus frequentes interfuerunt Academici, „ iique e Graduatis haudquaquam postremi; qui Virum porro „ illum ob pietatem & eruditionem haud vulgarem tanto in „ pretio habuerunt, ut de dubiis eum opinionibus creberrime „ consulerent, aut ipsum adeuntes, aut, si quid, quo minus id „ fieret prohiberet, quæstiones scriptis mandatas transmitten- „ tes; qua in re *Antonii* cujusdam *Delaber* Aulæ S. *Albani* „ alumni, opera ut plurimum utebantur. Cætus insuper priva- „ tos agitabant Lutheri sequaces, in quibus ubi preces ad Deum „ consociarant, de promovendis Viri dogmatis, (quæ utique „ libri quidam quos una evolvebant explicata complectebantur) „ consilia inibant.

„ His assensi sunt *Nicolaus Owdall* vel *Udale* & *Johannes Dyott*, „ ut alios, e collegio pariter *Corporis Christi* omittam; de qui- „ bus certior cum fieret ejusdem Fundator, vehementer indoluit, „ hæreseos utique prosemmium instituisse se arbitratus. Præ- „ dictis accedunt e Collegiis Magdalenensi, Cantuariensi, Glo- „ cestrensi, S. S. Bernardi, & Mariæ complures, quorum sane „ nonnulli Palinodiam cantabant, aliis autem Sodalitiis exter- „ minari, immo in custodia ad mortem usque detineri, vel „ etiam in cineres cum libris suis redigi malebant, quam doctri- „ nam quam professi fuerant revocare.

„ Nil vero quicquam profecerunt Pontificii, quamvis doctis- „ simus

(a) WOOD Lib. cit. fol. 250. 251.

„ ſimus eorum quisque, placita hæc in Concionibus juxta & „ diſputationibus omni ſtudio convelleret.

Idem ad Ann. 1527. hæc habet. „ Ad accelerandum doctri- „ næ Pontificiæ exterminium momenta haud levia adferebat *Tho-* „ *mas Garret* Vici Mellei Londini Curatus, qui a Lutheri ſe- „ quacibus nonnullis transmiſſus, libros varios attulit, & inter „ Academicos ſpargebat plures ſacræ paginæ locos tractantes, „ ſpeciatim vero Teſtamentum Novum, ſecundum Verſionem „ primam *Tindallianam*, primamque libri ejus partem, cui *Unio* „ *diſſidentium* nomen fuit. Hæc non ita diu Cardinalem late- „ bant, qui de *Garreto* nobiscum agente certior factus, literas „ confeſtim ad Commiſſarium Academicum dedit, ut exploran- „ dum eundem carcerique mancipandum curaret præcipientes; „ quæ cum *Garreto* innoteſcerent, Oxonia clam ſe proripuit, „ huc autem, quibus malis avibus neſcio, infra biduum regreſſus, „ inque eodem quo prius domicilio hoſpitatus, a Procuratori- „ bus prehenſus eſt, & Commiſſario, quem dixi, Collegii Lin- „ colnienſis hac tempeſtate Rectori, in manus traditur. Is ha- „ bito partim de criminibus quorum inſimulabatur examine, in „ cameram ſuam, quoad usque a precibus ipſe veſpertinis re- „ verteretur, virum concluſit, qui occaſione arrepta clam in- „ terea aufugit, & ad *Delaberum* præfatum, in Collegio tunc „ Gloceſtrenſi commorantem, ſeſe contulit, a quo veſtitu ſe- „ culari inſtructus fugam ulteriorem accelerabat. Ita jam per- „ citus Commiſſarius, nec labori nec ſumptibus perpercit, quo „ *Garretum* denuo prehenderet, *Delaberi* autem aliorumque „ quos de eodem recepto ſuſpectos habuit, cameras ſedulo ri- „ matus, ad ſe poſtremo dictum accerſivit, utpote quem elap- „ ſum adiiſſe *Garretum* probe intellexit; virumque meticulo- „ ſum, habita coram *Londono*, & *Hygdeno*, Doctoribus, ſuper „ omni re quæſtione, eo denique minis adegit, ut non tantum „ amici latebras, ſed & *Oxonienſium* viginti & duorum, *Gar-* „ *reto* occulte faventium, librosque ab eodem coëmentium, no- „ mina patefeceret.

„ Dimiſſo *Delabero*, viris illis per miniſtros academicos man- „ davit Commiſſarius, ut coram ſe comparerent, quibuscum,

„ habito viritim examine, tam callide egit, ut de libris variis, „ hæreticæ pravitatis ſtigmate notatis, (in ſuis utique partim, „ partim in aliorum Luthero addictorum manibus) faſſi fuerint, „ quibus exploratis pariter & occupatis, rem omnem Cardinali „ per literas aperuit Commiſſarius, unde WOLSEJUM dolor „ haud levis inceſſit, qui Epiſtolas ad nos plures propediem dediſſe „ reperitur, atque alteram ſpeciatim, e qua pauca hunc in lo- „ cum tranſcribere alienum non erit: *Amici noſtri* (inquit ille) „ *quamplurimum dilecti ſalutem: Non facile explicaverimus, quam* „ *graviter nos commoverint ea, quæ præter omnium expectationem* „ *veſtris nuper literis ſignificatis, nec uno in loco hæreſin, vel nec* „ *obſcuram hæreſis ſuſpicionem aliquorum male affectorum improbi-* „ *tate ſuccreviſſe; nil certe nobis poterit nuntiari moleſtius, quam* „ *eam Academiam, in cujus virtutibus maxime gloriabamur, & quæ* „ *ſana eruditione, firmiſſimo ſemper artium præſidio extitit, &* „ *quam vobis omnibus puram, illæſam, illibatamque exoptavimus,* „ *in tantam nunc infamiam & perniciem incidiſſe* &c. Academi- „ cos deinde hortatur ille ut de reprimenda Lutheri doctrina ſe- „ dulo deliberarent, male ſcilicet metuens, ne per Collegium „ brevi ſuum penitus diffunderetur; utque, ejusdem vel com- „ pertos, vel haud injuria ſuſpectos, in carcerem detruderent, „ pœnisque aliis mulctarent, mandabat; quæ cum præſtitiſſet „ Univerſitas, Diœceſanum ſuper rebus geſtis certiorem fecit, „ a quo etiam efflagitavit, ut quoniam Lutheranorum coryphæus „ eſſet *Johannes Clark*, Collegii Canonicus, eundem *Wolſejo* „ deferrent, prout merita exigerent, pœnas luiturum.

Ad Ann. 1528. „ Ad *Garretum* jam redeo, qui cum haud ita „ caute & prudenter fugam adornaret, ad *Hinxeiam* S. Lau- „ rentii, haud procul Oxonio, capitur, carcerique mancipa- „ tur. Ad Commiſſarium poſt paulo & Doctorum aliquos cita- „ tus, criminum multorum, hæreſin tangentium, reus pronun- „ ciatur; cumque *Delabero*, quem prædiximus, faſcem a Be- „ ata Virgine ad fanum S. *Frideswyde* in ſolemni proceſſione „ portare jubetur; quo peracto in cœnobium *Osneienſe*, tam- „ quam in firmam cuſtodiam compingitur uterque, ulteriorem „ adhuc ſententiam exſpectaturus.

„ Quod

„ Quod *Lutheranos* attinet ad Collegium *Cardinalitium* spectantes, in cavernam profundam sub ædibus suis, adservando pridem sali inservientem, detruduntur, quorum nonnulli contractis ex injuria loci morbis animam paulo post exhalarunt. Horum de numero erant *Johannes Clark*, *Henricus Sumner* & Dominus *Bayley* Artium Baccalaureus. Cæterum, amicorum precibus fœdissimo ergastulo liberatus magister *Bettys*, Cantabrigiam contendit, & mutata sententia, studiis ibi incumbens, non multo post ad dignitates haud modicas evectus est. De occultatis *Clarkii* libris postulatus est *Richardus Tavernerus*, at vero illi Cardinalis ipse patrocinatus est, virum scilicet musicæ tantum operam navantem, nullas unquam Ecclesiæ turbas daturum pollicitus; quem tamen fefellit abunde conjectura, nam in Pontificia exterminanda, & Lutherana doctrina propaganda haud inutiliter postea desudavit *Tavernerus*. In custodiam porro traditi sunt *Johannes Fryth*, & *Thomas Lawney* cum aliis nonnullis, qui libertate furtim potiti, Oxonio se confestim proripuere. Lutheriana insuper hæresi tactus memoratur Thomas *Curthoppe*, atqui eadem deinde revocata in Collegii *Orielensis* socium sub id cooptatus est. Quod ad aliorum Collegiorum alumnos spectat, in *Bocardo* Castrumque Oxoniense, haud pauci compingebantur, multasque calamitates perpessi sunt, licet, habito de quovis examine, quibus denique pœnis affecti fuerint, parum liquet. Eorum de numero fuere *Edmundus Gareset*, Capellanus secularis, & Mag. *Richardus Porter*, quorum postremus purgasse se de hæresi furtur, & pristinum in locum restitutus fuisse. Quo autem tempore contra doctrinam Lutherianam Anathemata Pontificia vibrarentur, Doctor. *Richardus Maudlyn*, Archidiaconus Leicestrensis, eandem concione impugnavit; atque *Johannes* quidem *Holyman* Monachus Readingensis, (e collegio is novo prodierat) instante *Hugone*, Abbate Readingensi, Londinum missus est, concionem pro gradu (quod Oxoniæ ex statutis fieri oportebat) ad crucem Paulinam habiturus, in qua doctrinam Lutherianam, acerrime, prout in mandatis acceperat, impetivit. „

§. LX.

§. LX. Ex iis autem, quæ modo retulimus, colligitur, quam violenter admodum adverſus novos uti appellabantur Concionatores atque Veritatis reſtauratores actiones inſtituerint Pontificii; Quippe, cum etiam, ubi rumor ad curiam delatus erat, de Societate quadam Cantabrigiæ, *Bilneyo*, *Latimero* & aliis, libros & opiniones Lutheri legentibus & propagantibus, Epiſcopi nonnulli (a) ſummopere judicarent neceſſarium, idque expeterent A. 1523. ut Viſitatio Cantabrigiæ ſolemnis inſtitueretur, quò qui fautores hæreſeos eſſent, detegerentur; Cui tamen petito, quod Cardinalis (b) ceu Legatus, (quo fundamento ignotum) tum ſua auctoritate intervenerit, in confeſſo eſt.

Et, quod HENRICUS Rex A. 1525. ſub Auguſti menſis initium Lutheri ſectæ quæ indies augmenta capiebat, fuerit infenſiſſimus, ex eo cumprimis patet fœdere, quod is cum *Aloyſia*, *Franciſci* I. Regis Galliæ tum captivi matre pangebat, quippe cujus primarium caput erat, *ut & Turcarum impetus, & peſtifera ſecta Lutherana profligaretur, à qua non minus perituli ſit, quam à Turcis.* (c)

Prouti, cum Lutherus hoc eodem anno ſubmiſſius ad Regem ſcripſiſſet, & priorum ſcriptorum adverſus Regem veniam (d) quandam expetiiſſet, acerbe admodum reſpondit Rex, Luthero inconſtantiam, animi levitatem, calumniandi libidinem, & inceſtum exprobrando matrimonium.

Quid verò tum in Cantabrigienſi Academia acciderit *Johanni Randallo*, *Johannes* FOXUS (e) memorat, „ Habuit, inquit, „ Cantabrigiæ in collegio trinitatis *Johannes Randallus*, adhuc „ tyrunculus, tutorem *Wierum* pro more ætatis illius, cui ob „ ſtudium divinarum literarum, & ſincerioris religionis non ſu-

„ ſpectus

(a) BURNET. Lib. I. p. 18. b edit. lat.

(b) Hoc ipſum ſaltem contra Wolſejum in Parlamento, articulo accuſationis 53. allatum fuiſſe, obſervat BURNETUS loc. cit.

(c) SLEIDAN. Lib. VI. p. m. 85. b.

(d) SLEIDAN. l. c. p. 83. b. Conf. SCULTET. Annal. ad hunc Ann. p. 281-5.

(e) FOXUS Lib. I. Hiſtor. fol. 121. conf. SCULTET. Annal. T. II. p. 87.

„ ſpectus modo, ſed & exoſus eſſe cœpit. Atque, ut hoc ne-
„ mini tum non compertum fuit, ita an ab illo poſtea ſuſpenſus
„ fuerit, quia nulla adhuc perveſtigatione in lucem venit, cer-
„ tum non habeo, quod dicam: Verum enimvero, res in hunc
„ modum habuit. Adoleſcens ſtudioſus vix dum annum egreſſus
„ vigeſimum, aliquamdiu inter ſuos deſideratus, tandem poſt qua-
„ triduum ob cadaveris pædorem, effracto oſtiolo, ſuſpenſus ſuo-
„ met cingulo repertus eſt, intra muſæolum ſuum, eo quidem
„ modo: ut faciem haberet in ſacrum bibliorum codicem obver-
„ ſam, ac digitum porrectim locum Scripturæ deſignantem,
„ ubi de prædeſtinatione tractabatur. Singulari profecto res ea,
„ & exquiſito artificio non caruit veteratoris, quiſquis erat hu-
„ jus miniſter ſceleris, nempe ut, quum miſer adoleſcens præ-
„ deſtinationis metu in deſperationem actus videri poſſet, tum
„ cæteri hoc deterriti exemplo juvenes, ab omni divinarum re-
„ rum perveſtigatione, ceu re periculoſa, abarcerentur. „

Quin imo, A. 1526. contrà eam quam diximus translationem N. T. à Tyndallo procuratam, publicum (a) prodiit Interdictum, a quovis Epiſcopo in ſua diœceſi, cujus hæc erat ſumma; „ Quosdam
„ Lutheri aſſeclas falſo transtuliſſe Novum Teſtamentum, ver-
„ bumque Dei tum falſa translatione, tum hæreticis gloſſis cor-
„ rupiſſe, cum mandato ad ſingulos beneficiorum Eccleſiaſtico-
„ rum poſſeſſores, ut parœcianis ſuis ſeriò injungerent, quot-
„ quot vel unicum horum librorum haberent, ad Vicarium ge-
„ neralem intra triginta dies, ſub pœna excommunicationis &
„ ſuſpectæ hæreſeos adducere. „

Quemadmodum etiam adverſus Cantabrigienſes A. 1528. auctoritate Wolſeji inſtituta fuit Synodus Londinenſis, in qua contra *Thomam Bilneyum* & *Thomam Arthurum* articuli nonnulli ſunt prolati, eo cum eventu, ut utrique, tum humanæ imbecillitati, tum Epiſcopi Londinenſis (b) importunitati ſuccubuerint, ſuamque doctrinam abjurarint. Tametſi *Bilneyus* ſpectatæ virtutis

Bb atque

(a) BURNET. loc. cit. fol. 18. b

(b) FOXUS Commentar. rer. in Eccl. geſtar. fol. 123. 124. conf. BURNET. loc. cit. item FOX. Eccleſiaſtical Hiſtor. Vol. II. fol. 216.

atque pietatis vir (a) ejus retractationis pudore ac pœnitentia ductus (b) deinceps tanto etiam fervidius Evangelii doctrinam aliis & commendaverit & instillaverit, quæ res haud ita paulo post, Anno scilicet 1531. eum capitis condemnatum incendio adjudicavit, cum de aliis articulis, tum ob duo maxime, *primum*, quod post abjurationem evangelisare sit ausus, tum *etiam*, quod Divos minime pro advocatis colendos censuerit. Passim enim in Patria verbum Dei annunciabat, fatebatur abnegationem veritatis, populumque, ut ab Idololatria, fiducia in peregrinationibus, cucullo S. Francisci, adoratione sanctorum & imaginum abstineant, potius domi maneant, eleemosynas erogent, in Christum credant, mentem corda & voluntatem in sacramento ad ipsum extollant, sedulo hortabatur.

Fertur (c) autem Bilneyus, pridie quam in pyram imponeretur, in carcere dum pervigilat in precibus noctu, dormiente forte custode, ad lucernam accedens, digitum in flammam immisisse, experturus scilicet ardoris vim, quo pacto ferendo esset: Qui ad primum lucernæ tactum, carne (ut fit) reluctante, cum forte retraxisset digitum, mox ille carnem suam castigans his verbis: „ Quid, inquit, unius membri inustionem ferre non „ potes, & quo pacto cras totius corporis conflagrationem to„ lerabis? „ simulque iterum in flammam digitum ustulandum præbuit & pertulit. Hunc itaque in modum facto sui periculo, postridie tantò majorem animum, velut domita jam carne, ad flammam perferendam attulit, ubi demum fortiter alacriterque expedito Martyrii sui cursu brabeum in cœlis æternum consecutus, egregiis suis dignum laboribus.

§. LXI. Neque sanè cum tantopere in Evangelii professionem sævirent Pontificii, facilè Reformatio perrupisset, nisi suborta esset

(a) Pietatem ejus ante omnia colligere possumus ex Epistolis ejus quas ex carcere priori dedit ad Tonstallum Episcopum Londinensem, quarum unam ex Foxii Historia Anglicana l. c. fol. 217. 218. propter rei memoriam inserere voluimus Documentis nostris No. XXV.

(b) BURNET. Lib. II. fol. 94. 95. conf. LATIMER. Sermon. VII. & Serm. VIII. fol. 132.

(c) Ita FOXUS Comm. rer. gest. fol. 124.

esset ingens & sedi Pontificiæ feralis HENRICI VIII. Regis, cum Pontifice Romano altercatio, quæ, uti Henricum à Pontifice penitus alienavit, ita commodissimam subministrabat ansam, ut deinceps sub eodem hoc Romanæ fidei defensore, Res tamen Romana collabasceret, atque ad Protestantium partes accederet Britannia: Eam igitur causam ut paulo altius repetamus necesse erit.

Duxerat HENRICUS admodum Juvenis A. 1509. d. 3. Junii annum agens duodevigesimum, magis tamen ex ultima mortui jam Patris Henrici VII. voluntate quam suo magno amore aut affectu, Catharinam Arragoniam, Ferdinandi Hispani Filiam, Fratris sui Arthuri viduam, cujus ducendæ veniam, Filio Pater, qui dotem tunc amplissimam ducenta ducatorum millia dimittere vel restituere nolebat, jam ab Julio II. Pontifice (a) impetraverat. Erat autem ea severioris indolis & austeris moribus, nec certe satis idonea ad Mariti affectum (b) ullis illecebris seu animi seu corporis sibi devinciendum ac retinendum, præsertim, quum ille ab natura suis in amoribus mutabilis esset & inconstans, quippe in cujus matrimonio ex sex uxoribus una tantum & tertia quidem & vix unius anni uxor, naturali morte est defuncta; ultima autem superstes quidem illi evasit, sed brevi eo tempore, quo nupta illi fuit, in maximo & ipsa egit periculo. Accedebat, quod Catharina minus commoda uteretur valetudine, neque

 aliam

(a) Bulla ea d. 26. Decembris A. 1503. erat obtenta, eâque continebatur: „ Papam pro auctoritate sua, petitioni Principum, Henrici & „ Catharinæ, qua Catharina legitime quidem cum Principe Arthuro ma- „ trimonio juncta (accedente forsan copula carnali) illo sine prole de- „ functo, ad conservandam pacem inter Angliam & Hispaniam, fratri „ nubere desideret, pro singulari cura, ad conservandam pacem inter „ omnes Catholicos Reges, annuere, supradictos Principes ab omni „ censura absolvere, & circa affinitatis impedimenta, non obstante Con- „ stitutione aliqua Apostolica in contrarium, dispensare, permittendo ut „ copulentur, vel, si copulati jam sint, copulationem confirmando, ac „ Confessario ipsorum injungendo, ut salutarem illis imponat mulctam, „ quod ante dispensationem matrimonium iniissent. „ Vid. BURNET Lib. II. p. 21. edit. Lat.

(b) Ita PERIZON. in Hist. Sec. XVI. p. 210. seq—231.

ex Anglia provocavit ad Aulæ Romanæ Curiam, quod in Mariti sui Regno, nec æquos Judices (a), nec fidos posset reperire causæ suæ patronos.

Perseverarunt tamen Legati in lite instruenda, sed Campegius, cujus potissima erat in hoc Judicio auctoritas, lento semper procedebat gradu, diligenter etiam in minima inquirens, æquitatis prætextu, sed revera, ut plures haberet differendæ sententiæ causas. Adeò ut Dux Suffolciæ, qui ex Regis consiliariis Actioni intererat, disertis verbis ac juratò pronunciaret (b): *Se nunc experiri, quam verum sit proverbium, nullum unquam Cardinalem Angliæ utilem fuisse.* Quo modo accidit, ut, dum quæsitis undecunque rationibus identidem moram interponit, Papa interim cum Cæsare controversias suas componeret, ac fœdus & amicitiam pangeret.

§. LXII. Eo facto, Papa mox causam divortii ad se ab istis in Anglia legatis (c) evocavit, quod factum est A. 1529. d. 19. Julii, quando simul literæ addebantur citatoriæ ad Regem & Reginam, ut vel ipsi vel per vicarios compareant. Qua in re non tantum Cæsari seriò id postulanti, quod sententiam contra Materteram pro ignominia familiæ suæ illata habiturus esset, ac pronuntianti, ,, se potius regnorum suorum (d) jacturam facturum quam id concessurum,,, obsequebatur, sed & suæ potestatis rationibus consulebat: Durum enim illi videbatur, non modo rescindere & irritum declarare, quod alius jam Papa publico diplomate concesserat, & pro legitimo haberi jusserat; sed disertè etiam ac palam suo facto Paparum jus imminuere, siquidem, ubi aboleret illud diploma & matrimonium, firmasset utique eorum sententiam, qui Papam à divinis legibus dispensare posse negabant, id quod in hac causa à Regiis semper urgebatur, quod-

(a) vid. BURNET. fol. 43. a qui ipsissima Regis & Reginæ verba ex archivis elicit. Simulque *Reginæ Appellationem*, cujus autographum adhuc extet in Anglia, commemorat, in qua & contra locum & contra Judices & contra consiliarios suos exceperit, quibus fidere non posset &c.
(b) BURNET. fol. 45. b
(c) BURNET. fol. 44. & 46. a
(d) BURNET. fol. 44. a

quodque Campegius in Anglia quum opponi audiret, ægrè tulerat.

Neque verò quisquam illa avocatione magis erat commotus, quam Henricus Rex, qui tum jam *Annæ Boleniæ* amore totus captus tenebatur. Erat hæc, filia Thomæ Bolenii tum Vice-Comitis Rochfordiæ, deinceps Comitis Wiltoniæ & Ormondiæ & antehac sæpius Legati in Aulam Gallicam, Virgo, nobilissima, pulcherrima atque pientissima, cujus utpote sæpius à Pontificiis Scriptoribus impetitæ famam cumprimis defendit *Gilb.* BURNETUS Episcopus Sarisberiensis, qui simul annotat, quam ea, in Aula Ducissæ Alenconiensis (a) (quæ Reformatis favebat) jam doctrinæ purioris imbuta fuerit assertis, ut deinceps ad Regium evecta fastigium, ejus patrocinio cumprimis gavisi fuerint qui Reformationi studebant.

Intereà, non in alium quempiam magis illa prolationis, unde hæc Evocatio erat orta, cudebatur faba, quam in Wolsejum Cardinalem, qui repente Regi factus suspectus, uti dudum invisus erat omnibus, loco suo movebatur, dum Cancellarii quod gesserat munus ad Thomam Morum devolvebatur, ipse autem aula ejectus, dignitate omni exutus, humillimo & abjectissimo pectore fortunam ferebat, eo cum eventu, ut in turrim Londinensem (b) duci jussus, in itinere morbum ex ægritudine animi contraheret, & suo defungeretur fato. *Is erat finis*, notante BURNETO (c), *& lapsus superbiæ & arrogantiæ; dicere enim ausim, arrogantissimum hunc fuisse hominem in omnibus vitæ suæ actionibus, quippe qui honorem suum magis curabat quam Professionem Ecclesiasticam, in qua mansuetudinem & charitatem exercere debuisset.*

§. LXIII. Regi, qui jam consilii inops & quid ageret incertus erat, novum & quidem plausibile proponitur medium, quod ille è vestigio, quasi prædam teneret manibus, arripere (d), atque ei se

(a) Ea erat Margareta, soror Francisci I. de qua quantum satis est egimus in Historia Reformationis Gallicæ.

(b) Rapin Toyras l. c. p. 287. 288.

(c) BURNET. fol. 48. b

(d) BURNET. fol. 46. b & 47. a qui refert quod Cranmeri consilium tantoperè placuerit Regi, ut eundem statim in suam accersiverit aulam, atque per jocum addiderit: *Se nunc prædam manibus tenere.*

se tradere constituit. *Thomas* CRANMERUS Theologiæ Doctor. in Universitate Cantabrigiensi forte tum *Walthami* commorabatur, atque ibi cum *Gardinero* & *Foxo* Secretario Regis atque Eleemosynario, cœnabat; Hi igitur, cum inter alia rogarent, quid Cranmerus de toto hoc divortii regii censeret negotio? respondit ille, „ sibi videri consultissimum, ut illustrium Theolo-
„ gorum & Academiarum exquireretur sententia de eo, utrum
„ Regis cum Catharina conjugium Jure divino esset permissum?
„ Quod si enim id negaretur, tum verò Papam non posse legi-
„ timum & licitum pronunciare, quod jure illo esset vetitum. „
Ea res, statim ut ad Regem relata esset, Crammerum ipsi quam maxime conciliavit; Quin & Ille adeo confestim huic mandavit, ut scripto publico super eadem re sententiam suam exponeret (a), sed &, auctorem eum secutus, in varias Europæ partes mox certos misit homines, qui consulerent ista de re Theologos.

Neque tamen usquam major fuit hæsitatio quam in ipsius Angliæ Academiis *Oxoniensi* atque *Cantabrigiensi*, quippe quæ suspectam Annæ simul & Crammeri religionem habentes, Catharinæ favebant, & huic Cranmeri sententiæ vehementer adversabantur: Vix tandem tamen ea post multas contentiones istic quoque prævaluit. At, alibi locorum, ipsa etiam in Italia, quò missus erat *Richardus Crookius* (b), linguæ Græcæ peritissimus, non plerique tantum celebres diversorum ordinum Monachi & Theologiæ ac Juris Canonici Doctores, (quorum nonnulli etiam editis libellis (c) divortium Henrici defenderunt,) sed &, Academiæ, Bononiensis (d) ac Patavina (e) sententiæ Cranmeri subscripserunt, vel simpliciter, „ legibus Levitici de prohibitis con-
„ sanguineorum & affinium conjugiis teneri etiam Christianos,
„ neque Papam ideo posse talium matrimoniorum dare veniam,
„ aut facere, quò minus ea sint ipso jure nulla, „ pronunciarunt. Earum

(a) BURNET. fol. 50. a
(b) BURNET. fol. 51. b
(c) BURNET. fol. 52. a
(d) BURNET. fol. 53. b
(e) vid. Epist. Crookij inter Documenta BURNETI Historiæ subjecta Lib. I. Num. XXXIII.



THOMAS CRANMERUS. m. 1556.

Ecclesiæ Anglicanæ Reformator et Martyr.

Earum exemplum mox pleræque secutæ sunt Academiæ in Gallia, atque ipsa imprimis Sorbona (a), quæ fide sua solenniter jurejurando obligata, in utramque istius sententiæ partem disertè concessit. In Germania, Hispania, & Flandria verò, tanta cum esset auctoritas Cæsaris, multum inde sperari non poterat, nisi à Lutheranis, cum quibus Cranmerus in Germaniam missus agebat, ac præ ceteris cum *Osiandro* (b), cujus neptim in uxorem duxerat; Horum uti non unanimis erat sententia, num Regis nuptiæ essent incestuosæ, num verò minus? ita tamen in eo consentiebant, quod negarent, Papæ unquam licuisse de legibus divinis dispensare; Cum quibus *Helvetii* ut plurimum consentiebant, veluti utrique tamen deinceps ubi Rex Annam *Boleniam* duxerat, utrumvis matrimonium improbabant, siquidem prius, tametsi non legitime contractum, non tamen ea propter rescindi debere judicabant, nedum ut Regi liceret, repudiata priore, alteram ducere in matrimonium; Et hæc quidem omnia ex *Lutheri*, *Melanchtonis*, *Osiandri*, *Phrygionis*, *Grynæi*, *Oecolampadii*, *Buceri*, *Zwinglii* & *Calvini* literis & ex iis quæ à *Burneto* sunt relata, satis colliguntur, cujus inter alia memorabile est epiphonema. (c)

„ Et Protestantes quidem, quod nemo inficias iverit, animi „ sinceritatem egregiè in hoc negotio patefecerunt, quemad- „ modum viros secundum conscientiam pronunciantes, & prin- „ cipia potius vera quam Politicorum axiomata sequentes de- „ cet. Etenim, si hæc secuti fuissent, dubium non est, quin „ longè plura in Gratiam tanti Principis facturi fuissent, cui „ tunc neque cum Pontifice neque cum Cæsare bene convenie- „ bat, cujusque favorem acquirere, non minima prudentiæ pars „ fuisset, frigidè verò in negotio ejus matrimoniali procedere, „ nihil aliud erat, quam ad iram eum provocare. Verùm ejus- „ modi artes, sede Apostolica dignæ, minimè conveniebant „ illis, quibus animus erat Apostolicam restaurare Religio- „ nem. „

(a) BURNET. fol. 54. a
(b) BURNET. l. c.
(c) BURNET. l. c. p. 54. 55.

§. LXIV. Rex cum Imperii Proceribus in Parlamento congregatis quod jam ſuperiore anno convocaverat, quum intra ſeptem annos nullum fuiſſet, omnia hæc communicavit, ſuamque illis cauſam approbavit: Deinceps & Clerus Anglicanus, 1531, „ illicitum Jure divino Henrici cum Catharina matrimo„ nium, neque Papæ Julii II. auctoritate confirmari potuiſſe,„ declaravit; Sed &, Synodus Cantuarienſis eopſe anno *Henricum* Eccleſiæ Anglicæ ſupremum Caput prima (a) renunciavit, quod & reliquæ dein item fecerunt. Quem titulum ita avide ſibi ſumſit Henricus, ut quoque in ejus rei memoriam nummos literis Hebraicis, Græcis & Latinis cudi curaverit, neque deinceps ab eo unquam deſiſtere voluerit; Dum intereà Supremus Regni Senatus in eundem titulum conſentiret, atque etiam anno 1532, lege publica Annatas (b) Papæ Romano à novis Epiſcopis ſolvi vetaret:

Quibus omnibus, tanquam inſolitis planè, nec ſatis cum illa ſuperiorum temporum credita Papæ infallibilitate ac ſuperioritate conciliandis, CLEMENS Papa Ro. irritatus, Regem citavit Romam, ut reſponderet ad Actionem, quam ibi Regina inſtituerat, & cauſam iſtic diceret: Ac tandem, licet jam Cæſaris partes in ceteris denuò reliquiſſet, amicitiamque & affinitatem cum Rege Galliæ Henrici amico contraxiſſet, hanc tamen in conſeſſu Cardinalium tulit ſententiam. „ Matrimonium illud Re„ gis cum Catharina juſtum eſſe & validum, Regemque uti in„ juſte eam repudiaverat, ita eandem repetere debere. „

Cæterum, Rex jam ſuperiore anno duxerat Annam BOLENIAM (c), & hoc ipſo dein A. 1533. prægnantem jam, palam declaravit Reginam; Quod iis tamen cum circumſtantiis eſt factum, ut prius, *Th. Cranmerus*, tum jam in *Gul. Warhami* defuncti locum delectus Archi-Epiſcopus Cantuarienſis, Regem pariter ac Catharinam Reginam citaret (d) ut ad diem 20. Maji comparerent;

(a) BURNET. l. c. p. 66. a

(b) Conf. ea quæ in ſequentibus ad Ann. 1532. & 1534. notabuntur.

(c) Id factum ſuaſore Franciſco I. Rege Galliæ, cum hi Reges fœdus pangerent Caleti, refert Rapin. Thoyraz lib. XV. p. 301.

(d) BURNET. l. c. p. 76. b

rent; quò de eorum Matrimonio ipse cum aliquot Episcòpis, adhibitis compluribus etiam Theologiæ & Canonici Juris Doctoribus, cognosceret ac sententiam ferret: Rex per vicarium coram Archi-Episcopo in Curia, Regina verò prorsus non comparuit: Atque tum, cum, post iteratas quasdam Sessiones d. 23. Maji sententiâ definitivâ dissolutum illud fuisset matrimonium, interjecto quinque dierum interstitio d. 28. Maji Regis matrimonium cum Anna Bolenia solenniter est confirmatum, quæ proin Kalendis Junii Regina Angliæ coronata fuit (a) ipsumque hoc novum Matrimonium per Legatos Regios cunctis Europæ aulis notum fuit factum. (b)

Enimverò, eodem hoc anno die VII. Septembris ELISABETHA, celebris illa Angliæ Regina fuit nata, statimque Walliæ Princeps & hæres regni declarata (c), ringente licet Papa cum universo ejus satellitio.

Ea res tota, quin multum contulerit ad Religionis in Anglia quoque paulatim emendandæ progressum, nemini potest esse dubium, modò consideret, Papæ Romani auctoritatem plane diffractam, atque in publico gentis conventu A. 1534. abolitam (d), *Wolseji* Cardinalis demortui potestatem conculcatam & eversam, *Th. Cranmeri* in Archi-Episcopatum, & Annæ Boleniæ in Regium matrimonium & splendorem, evectionem prorsus mirificam, quippe cum Anna Bolenia palam quoque Evangelii restaurati doctores foveret, & *Crammerus*, cui plurimum Rex tribuebat, æque ac *Cromwellus*, præcipuus tum Regis minister, Reginæ in hoc negotio quasi succenturiati succurrerent;

Sed, quomodo illud Evangelii restaurati negotium successerit, explicatius videndum.

§. LXV. Diffiteri equidem non possumus, Regem, tametsi Pontifici libellum repudii misisset, tamen adhuc mordicus illius

Cc 2 Eccle-

(a) BURNET. l. c. p. 77. a
(b) BURNET. p. 77. b
(c) BURNET. l. c. p. 78. b.
(d) SARP. Hist. Conc. Trid. l. I. p. 78. THUAN. Hist. Lib. I. fol. 31. CHYTRÆUS pag. 353. HEUTERUS Austr. Lib. X. c. 9. RAPIN. Thoyras T. V. p. 321—327.

Ecclesiæ placita tenuisse, veterisque religionis fuisse studiosissimum, accedente factione Papistica, cujus principes erant *Dux Nortfolkiæ* (a), Annæ avunculus, sed ei inimicissimus, *Gardinerus* Episcopus Wintoniensis, Cranmeri æmulus, & *Longlandus* Lincolniensis, Lutheranis per se infestus: Quid? quod, cum *Henricus* Rex pro defensione fidei antehac conscripsisset tractatum, difficile admodum esset, retractare id, quod omnes eruditi tantopere laudaverant & fuerant admirati, inprimis cum remissius agendo, atque Reformatores fovendo, *Luthero*, qui adeo contumeliose istum tractaverat & ejus sociis, nimium tribuere animumque additurus videretur. Præterquam, quod omnes veteri religioni addictos, si plura jam tum tentare voluisset, nimium quantum exacerbaturus esset, quorum una pænè vox futura esset, Regem tantummodo secundum proprios animi affectus dirigere Religionem, quique adeò mutationem fidei non ægre tantum essent laturi, sed & facilè per Pontificis vel Cæsaris emissarios rebellionem ac tumultus essent excitaturi.

Intereà tamen, admirando providentiæ divinæ nutu effectum est, ut omnia sensim in Reformationis commodum, vergerent, eaque doctrinæ purioris lux, quæ paucos solummodo collustraverat, facem primam efferente, *Frytho*, *Tyndallo*, atque aliis, deinceps *Cranmero*, *Cromwello* & similibus, succedente tempore, ut sunt hominum ingenia cupida rerum novarum, pronaque ad meliora pro vetustioribus capessenda, Britanniam universam illuminaret.

§. LXVI. Ut igitur ad anteriora nunc regrediamur tempora, ac quomodo Doctrina purior inter omnes illas oppositiones, abjecta veteri superstitione, confirmata fuerit atque stabilita, revisamus, operæ erit pretium.

Gulielmum TYNDALLUM eximio prorsus conamine Bibliorum utriusque Testamenti in linguam vernaculam sive Anglicanam versionem suscepisse, in superioribus vidimus. Is enim persuasus, quod ex ipsis fontibus ad communem usum translatis omnium optimè hauriri posset Doctrina Christiana, nihil antiquius quic-

(a) BURNET. l. c. p. 100.

quicquam habuit, quam ut studia sua ad transferenda cum V. tum N. T. scripta referret; Fuitque adeò hæc prima *Tyndalli* Versio, quæ Novi Testamenti libros complectebatur, & Pentateuchum Mosaicum (neque enim ultrà progressus est *Tyndallus*, uti ex Vita ejus Operibus præmissa patet) typis impressa, sive apud Colonienses (a) sive apud Antverpienses

(a) Refert *Joh.* COCHLÆUS in Commentariis de Actis & Scriptis *Lutheri* ad ann. 1526. fol. m. 132. seq. se, cum apud Colonienses, relicto Francofurto, ubi decanus erat Ecclesiæ *B. Virginis*, exularet (conf. *Ritter*. Histor. Reform. Francofurt. p. 82.) atque perciperet ibi Testamentum Novum Anglicè imprimi, fibulam illi rei imposuisse: Est locus uti virulentus, ita notabilis; „ Duo Angli Apostatæ (indigitat *Tyndallum* & *Frythum*), qui aliquandiu fuerant Witebergæ, non solum „ quærebant subvertere mercatores suos, qui eos occultè in exilio fovebant & alebant; Verum etiam cunctos Angliæ populos, volente nolente Rege, brevi per novum *Lutheri* Testamentum, quod in Anglicanam linguam traduxerant, Lutheranos fore sperabant. Venerant jam „ Coloniam Agrippinam, ut Testamentum sic traductum, per typographos in multa millia multiplicatum, occultò sub aliis mercibus deveherent inde in Angliam. Tanta enim eis erat rei bene gerendæ fiducia, „ ut primo aggressu peterent à typographis sex millia sub prælum dari. „ Illi autem subverentes, ne gravissimo afficerentur damno, si quid adversi accideret, tantum tria millia sub prælum miserunt; Quæ si „ feliciter venderentur, facilè possent imprimi denuò. Jam literas ad „ sanctos, qui sunt in Anglia, præmiserat Pomeranus, & ad Regem „ quoque scripserat ipse *Lutherus*. Cumque novum testamentum mox „ subsecuturum crederetur, tanta ex ea spe lætitia Lutheranos invasit, „ ac vanæ fiduciæ vento inflavit, ut gaudio distenti, ante diem ruperint „ secretum vanis jactationibus. Exulabat eo tempore Coloniæ *Joh. Cochlæus*...... Is typographis Coloniensibus notior ac familiaris factus, „ audivit eos aliquando inter pocula fiducialiter jactitare, velint nolint „ Rex & Cardinalis Angliæ, totam Angliam brevi fore Lutheranam. „ Audivit item, duos ibi latitare Anglos, eruditos, linguarumque peritos „ & disertos, quos tamen videre aut alloqui nunquam potuit. Vocatis „ itaque in hospitium suum quibusdam typographis, posteaquam mero „ incaluissent, unus eorum in secretiori colloquio revelavit illi arcanum, „ quo ad *Lutheri* partes trahenda esset Anglia. Nempe, versari sub prælo „ 3000 exemplarium N. T. Lutherani, in Anglicanam linguam translati, ac processum esse jam usque ad literam Alphabeti K in ordine „ qua-

ses (a) Anno millesimo quingentesimo vicesimo sexto: Vix autem ea Versio nobilissimo instituto prodierat, atque in Angliam transportata fuerat, quin multis modis eidem oblatrare Pontificii anniterentur; Certè eodem illo anno, à *Gulielmo Warham* Archi-Episcopo Cantuariensi mense Novembri *Mandatum* evulgatum fuisse constat *ad inquirendum* (*uti ejus rubrica habet*) *de libris N. T. in lingua vulgari editis*; Quod, ad Episcopos reliquos transmissum, unumquemvis Episcopum in sua dioecesi, ut ejusmodi interdictum publicaret, atque ad singulos beneficiorum ecclesiasticorum possessores transmitteret, obligabat; quò hi parœcianis suis seriò injungerent, ut omnes & singulos libros tam

„ quaternionum. Impensas abunde suppeti à Mercatoribus Anglis; qui „ opus excusum clam invecturi per totam Angliam latenter dispergere „ vellent, antequam Rex aut Cardinalis rescire aut prohibere possit. „ *Cochlæus* postridie..... abiit clam ad *Hermannum Rinck*, Patricium „ Coloniensem ac Militem Auratum, qui & Cæsari & Regi Angliæ fa- „ miliaris erat & consiliarius, eique rem omnem, ut acceperat vini bene- „ ficio, indicavit. Ille, ut certius omnia constarent, alium misit explo- „ ratum in eam domum, ubi opus excudebatur; Cumque ab illo acce- „ pisset, rem ita habere, & ingentem papyri copiam ibi existere, adiit se- „ natum, atque effecit, ut typographis interdiceretur, ne ultra progrede- „ rentur in eo opere. Duo Apostatæ Angli, arreptis secum quaternioni- „ bus impressis, aufugerunt, navigio per Rhenum adscendentes Wor- „ matiam, ubi plebs pleno furore Lutherizabat, ut ibi per alium typo- „ graphum cœptum perficerent opus: *Rincus* verò & *Cochlæus* de his „ mox admonuerunt literis suis Regem, Cardinalemque & Episcopum „ Roffensem, ut quam diligentissimè præcaverent in omnibus Angliæ „ portubus, ne merx illa perniciosissima inveheretur. &c.

(a) Uno ferè consensu Scriptores referunt Antverpiæ 1526. illam ipsam N. T. Versionem interprete *Gulielmo Tyndall*, & cum ejus notis prodiisse. vid. FULLER Lib. V. Histor. Eccles. Anglic. pag. 244. & BURNET. Lib. I. fol. 16. Quanquam etiam HOLLANDUS in Heroologia Anglicana referat Pentateuchum & Novum Testamentum Anglice versum à *Gul. Tyndall* Hamburgi 1527. prodiisse: Enimverò, credibile est ipsa exemplaria per varias civitates Germaniæ fuisse divisa, sicque alia Hamburgi, alia Antverpiæ, alia aliorum locorum nomina præ se tulisse, ne facile vel deleri à factione Pontificia possent omnia, quin imò ut tanto facilius per diversas vias in Angliam possent ceteris mercibus intermixta transportari.

tam exemtos quam non exemtos infra suam diœcesin ubilibet commorantes, infra 30 dierum spatium sub pœna excommunicationis & suspectæ hæreseos ad Vicarium Generalem deferrent & igni committendos traderent:

In eo mandato inter alia profitetur Archi-Episcopus (a). „ Ex „ fide dignorum relatione ipsaque rei evidentia ad suam jamdu„ dum pervenisse notitiam, quod nonnulli iniquitatis filii, ac „ Lutheranæ factionis ministri, quos summa excœcavit malitia, „ à via veritatis & Orthodoxæ fidei declinantes, non modo „ sanctum Dei Evangelium, sed etiam reliquam Novi Testa„ menti partem, in vulgare Anglicanum subdola versutia trans„ ferentes, ac nonnullos hæreticæ pravitatis articulos & opi„ niones erroneas, perniciosas, pestiferas, scandalosas, & sim„ plicium mentium seductivas intromiscentes, illibatam hacte„ nus Sacræ Scripturæ majestatem, sub nefariis & tortuosis in„ terpretationibus profanare, & verbo Dei sacrosancto & recto „ sensu ejusdem callide & perverse abuti tentaverint: „ Addit deinceps: *Quod hujus translationis nonnulli libri impressi, quidam cum glossis, quidam sine glossis, dictum pestiferum & perniciosum virus in vulgari idiomate in se continentes, in promiscuam Diœceseos & Provinciæ Cantuariensis multitudinem sint dispersi.* Unde suos hortatur, iisque injungit, ut ea quæ diximus, sedulò exsequantur.

Quid? quod de Episcopo Londinensi *Cutberto Tonstallo*, referatur, quod is, cum unum ex illis exemplaribus (b) nactus esset, in maxima concione ad populum Londinensem publice affirmaverit, suprà duo millia depravationum atque perversitatum se in uno Opere illo deprehendisse.

Nam & sigillatim adversus Præfationem Epistolæ ad Romanos præmissam, quod gravissimas instituerint querelas, quippe in qua tota subverteretur Fides Catholica, est annotatum.

Sunt verò etiam tum alii libri prohibiti, maximè illi, quos *Tyndallus* vel scripserat, vel in Anglicum idioma transtulerat, quorum

(a) v. Concil. Magn. Britann. Volum. III. fol. 706.
(b) COCHLÆUS l. c.

rum titulos habemus in Conciliorum Magnæ Britanniæ (a) Collectione, illi ipsi mandato subjunctos; Erant enim, notante BURNETO (b), Antverpiæ nonnulli, *Tyndalus*, *Joyeus*, *Constantinus*, alii, qui singulis annis novos componebant & in lucem edebant libros, maximè contra *Clericorum* mores corruptos, superstitiones peregrinationum, cultum Imaginum, Sanctorum & Reliquiarum, & contra fiduciam in illis, quæ tum familiari stylo *bona opera* nominabantur; atque è contrario, multa de Fide in Christum, cum vera Evangelica obedientia, ceu unico salutis consequendæ medio, scribebant.

Et scripsit tum adversus eos *Thomas* MORUS, Vir ob virtutes & eruditionem celebris, sed ita ut prius ab Episcopo sibi impetrare licentiam debuerit atque facultatem illos legendi atque in manus sumendi; Cujus Licentiæ (c) exemplar ipsi A. 1527. concessum, ob rei memoriam, ut hic inseramus, ab opere nostro non videbitur alienum:

Cuthbertus, permissione divina Londinensis episcopus, clarissimo & egregio viro Dom. *Thomæ Moro*, fratri & amico charissimo, salutem in domino & benedictionem.

Quia nuper postquam Ecclesia Dei per Germaniam ab hæreticis infestata est, inventi sunt nonnulli iniquitatis filii, qui veterem & damnatam hæresin *Wiclefianam* & *Lutherianam* etiam hæresin, *Wiclefianæ* alumnam, transferendis in nostratem vernaculam linguam corruptissimis quibusque eorum opusculis, atque illis ipsis magna copia impressis, in hanc nostram regionem inducere conantur, quam sane pestilentissimis dogmatibus, catholicæ fidei veritati repugnantibus, maculare atque inficere magnis conatibus moliuntur; Magnopere igitur verendum est, ne catholica veritas in totum periclitetur, nisi boni & eruditi viri malignitati tam prædictorum hominum strenuè occurrant; id quod nulla ratione melius & aptius fieri potest, quam si in lingua vernacula catholica veritas in totum expugnans, hæc insana dogmata, simul etiam impressa prodeat in lucem. Quo

(a) *Concil. Magn. Brit.* Vol. III. fol. 707.
(b) BURNET. L. II. fol. 92. edit. Latin.
(c) *Concil. Magn. Brit.* l. c. fol. 711. 712. & BURNET. in Documentis ad Histor. Ref. Anglic. ad lib. I. n. VI. fol. 6. 7.

Quo fiet, ut facrarum literarum imperiti homines in manus fumentes novos iftos hæreticos libros, atque unà etiam catholicos, ipfos refellentes, vel ipfi per fe verum difcernere, vel ab aliis, quorum perfpicacius eft judicium, recte admoneri & doceri poffint.

Et quia tu, frater chariffime, in lingua noftra vernacula, ficut etiam in Latina, *Demofthenem* quendam præftare potes, & catholicæ veritatis affertor acerrimus in omni congreffu effe foles, melius fubcefivas horas, fi quas tuis occupationibus fuffurari potes, collocare nunquam poteris, quam ut in noftrate lingua aliqua edas, quæ fimplicibus & idiotis hominibus fubdolam hæreticorum malignitatem aperiant, ac contra tam impios ecclefiæ fupplantatores reddant eos inftructiores. Habes ad id exemplum quod imiteris præclariffimum Illuftriffimi Domini noftri Regis *Henrici VIII*, qui Sacramenta ecclefiæ contra *Lutherum* totis viribus fubruentem afferere aggreffus, immortale nomen defenforis ecclefiæ in omne ævum promeruit.

Et, ne andabatarum more cum ejusmodi larvis lucteris, ignorans ipfe quod oppugnes, mitto ad te infanas in noftrate lingua iftorum nænias, atque una etiam nonnullos *Lutheri* libros, ex quibus hæc opinionum monftra prodierunt. Quibus abs te diligenter perlectis, facilius intelligas, quibus latibulis tortuofi ferpentes fefe condant, quibusque anfractibus elabi deprehenfi ftudeant. Magni enim ad victoriam momenti eft, hoftium confilia explorata habere, & quid fentiant quove tendant, penitus noffe. Nam fi convellere pares, quæ ifti non fenfiffe dicent, in totum perdas operam. Macte igitur virtute tam fanctum opus aggredere, quò & Dei ecclefiæ profis, & tibi immortale nomen atque æternam in cœlis gloriam pares; quod ut facias, & Dei ecclefiam tuo patrocinio juves, magnopere in Domino obfecramus; atque ad illum finem ejusmodi libros & retinendi & legendi facultatem atque licentiam impertimur & concedimus. dat. 7. d. Martii A. Dom. 1527. & noftræ confecrat. fexto

Neque verò *Thomam* MORUM in confcribendis & edendis adverfus *Tyndallum*, *Frythum*, aliosque Evangelicæ veritatis promotores tractatibus fegnem fuiffe aut minus alacrem, cenferi poteft, quippe cum potius pro more iftius feculi magna cum vehe-

mentia & acerbitate ſcripſerit; Et quanquam, quod alibi (a) jam à nobis evictum eſt, non eſſet Monachorum amicus vel fautor, ſed contra cleri ignorantiam vehemens declamator, eaque de cauſa Cardinali minimè acceptus, tamen infenſiſſimus erat, ſtudio veteris doctrinæ cui innutritus erat, hoſtis novorum Concionatorum, quorum conamina quantum in ipſo erat retundere, atque iis obicem ponere, conſilio, ſcriptis, facto, non deſiſtebat; Prouti cumprimis adverſus *Tyndallum* integris novem libris editis Religionem Pontificiam defendere eſt aggreſſus, quorum tres ſcripſit Regis Cancellarius ab A. 1529—1533. ſex poſteriores, eo munere abdicato; Idem enim ille Morus, in dignitate conſtitutus, Regi, ut leges contra hæreticos (b) executioni mandaret, auctor fuit, dicens, „ Romanam curiam citius Regi „gratificaturam ſi Eccleſiam ſuffulciat, & fidem masculè defen- „dat Rex, quam ſi minis utatur; „ Hinc edictum contra hæreticos promulgatum, plures illorum libri prohibiti, decretumque fuit, ut omnes adverſus illos leges exſecutioni mandarentur: hinc, ut qui in Angliam venirent, prehenderentur, ſedulo animadverſum fuit, quanquam plures ſedulitatem illorum effugerunt.

§. LXVII. Fuit hoc idem tempus, quo PATRICIUS HAMILTON (c) è *Johannis Ducis Albini* ſorore & fratre Comitis Araniæ natus, Juvenis ingenio ſummo, & eruditione ſingulari, conjuratione ſacerdotum oppreſſus, ad *Fanum Andreæ* in *Scotia* vivus eſt crematus: Is, uti regio ſanguine cretus erat, ita exoriente Reformationis luce, poſthabitis externæ nobilitatis titulis, admodum Juvenis veritatis ſtudio ſemet tradidit, atque adeò, cum in Patria tenebris plus quam Cimmeriis obſepta erant omnia, ſe *Marburgum* in noviter erectam *Haſſorum* contulit Academiam, ut abundantius in veritate confirmaretur, quæ verba ſunt LAMBERTI *Avenionenſis* (d) ad *Philippum Haſſiæ Landgravium*, cujus ſingulare

(a) Conf. *Introduct. Noſtr. in Hiſtor. Reform.* §. LXXVII. pag. 178. 179.

(b) BURNET. L. II. fol. 92.

(c) BUCHANAN. rer. Scoticar. Lib. XIV. §. XXXII. p. 489.

(d) *Lamb.* AVENIONENS in Præf. ad Commentar. in Apocalypſin A. 1528. editum & Sereniſſimo Principi *Philippo Haſſiæ Landgravio* dedicatum.

lare admodum atque illustre de eo cum sit testimonium, illud hic legere juvabit. Sunt autem hæc *Lamberti* verba:

„ De eo testor, me vix alium repperisse, qui de eloquiis Dei „ spiritualius & sincerius loqueretur; sæpe enim mecum de iis„ dem contulit. Præterea & is primus fuit, qui post erectam „ à tua Sublimitate Academiam, in eadem Christianissima ali„ quot axiomata palam (a) & doctissime, me hoc illi consulen„ te, asseruit. Ubi autem robustior in pietatis doctrina fac„ tus est, assumto uno ex tribus, quos secum huc veniens duxe„ rat, rediit in Scotiam & palàm Christum docuit, factus Sco„ torum primus & idem inclytus Ἀπόστολος. Mox Principes sa„ cerdotum cum satrapis suis, apud Sancti *Andreæ* Urbem con„ venerunt in unum, adversus Dominum & Christum, illius„ que Apostolum, Patritium, & illum quantumvis sanguine cla„ rum, & (ut puto) Rege adhuc puero, ab iis seducto (neque „ enim metu cognatorum ejus quidquam alioqui ausi fuissent in „ eum) vocarunt in concilium suum in Kalendas Martias Anni „ 1527. At ille in Christi confessione ardens totus, tempus „ ipsum prævenit, & pridie Kal. Martii mane, illis pinguibus „ Samariæ vaccis adfuit, & ab illis velut à Judæis Christus, „ damnatus, mox & morti adjudicatus est, atque à prandio „ ipsiusmet diei combustus, & factus Deo in hostiam sanctam & „ vivam.

Est autem notabile, quod non adeò diu post ejus supplicium, animos hominum conterruerit *Alexandri Cambelli* mors. (b) Is erat è sodalitio Dominicanorum, & ipse magno ingenio juvenis, & eorum, qui *Thomæ Aquinatis* sectam imitantur, inter eruditiores habitus. Cum eo *Patricius*, de Scripturæ S. interpretatione sermones sæpe contulerat; ac differendo eò perduxit,

(a) Sic igitur non tam, publicam sustinuit in Academia Marburgensi professionem, quod minus rectè apud SCULTETUM in Annalib. T. II. p. 176. traditur ex FOXI Comment. rer. in Eccl. gest. fol. 122. quam potius defendentis, uti in Scholis loqui solemus, partes in se suscepit.

(b) FOX Ecclesiastical. History. Vol. II. fol. 184. b. it. BUCHANAN. l. c. p. 489.

ut omnia prope capita, quæ tum habebantur paradoxa, vera fateretur; Nihilominus *Alexander*, vitæ quam veri cupidior, à suis persuasus, eum publicè accusavit. Patricius, ut erat natura vehementior, hanc hominis ambitiosi pravam gloriæ captationem ferre non potuit; sed palam exclamavit. „ Ego te, ho-„ minum nequissime, qui quæ nunc damnas, ea vera esse scis, „ & paucis ante diebus apud me es confessus, ad tribunal Dei „ vivi in jus voco. „ Qua voce *Alexander* perturbatus, nunquam ex eo die compos mentis fuit, ac, non multo post, insania conflictatus, mortem obiit.

Erant verò illa, propter quæ *Patricius* extremo afficiebatur supplicio, capita, per *Jacobum Betonium* (a) Archi-Episcopum *Andreanum* proposita, hæc.

„ Liberum hominis arbitrium esse nullum. Non dari Purga-„ torium. Sanctos Patriarchas etiam ante Christi passiones, cœlo „ fuisse receptos. Papam non habere nec solvendi nec ligandi „ potestatem, nec ullum Papam post Petrum eam unquam ha-„ buisse potestatem. Papam esse Anti-Christum, Unumquemvis „ autem sacerdotem eandem ac Papam habere potestatem. Pa-„ tritium *Hamiltonum* esse Episcopum. Non necesse esse ut quis „ ab Episcopo quandam recipiat Bullam. Votum religionis Pa-„ palis esse votum maledictum. Leges Papales obligare nemi-„ nem. Omnes Christianos, eo nomine dignos, notum facere „ debere quod sint in statu gratiæ. Neminem salvari nisi præde-„ stinatum. Infidelem & incredulum esse in peccato mortali. „ Deum esse causam peccati, eo sensu, quod cum is subtrahat „ gratiam ab hominibus, hi peccent. Diabolicam esse doctri-„ nam, siquis peccatori injungat pro peccatis pœnitentiam. Pa-„ tritium dubitare, num omnes infantes qui immediatè post „ Baptismum moriuntur, salventur, num verò minus. Auricu-„ larem Confessionem ad salutem minus esse necessariam. „ Quæ licet nominetenus non omnia quidem in sententia adversus ipsum pronunciata (b) commemorarentur, tamen omnia pro damnatis *Lu-*

(a) FOX. Opere Anglic. Vol. II. fol. 183.
(b) Sententiam exhibet eodem illo volumine FOXIUS, addita Lovanien-

Lutheri hæresibus venditabantur, & *Patritius* Juvenis annorum 23, tanquam hæreticus, potestati seculari tradebatur puniendus, bonaque ejus fisco addicebantur, dum ipse ferale ignis supplicium evitare nequibat.

Sed eodem hoc tempore Londini *Richardum* quendam, *Forster* coram *Cuthberto Tonstallo* & *Thoma Wolsejo* aliisque solenniter doctrinis *Lutheri* quarum suspectus erat, renunciare debuisse, & cumprimis illi sententiæ, *quod Sacerdos in Eucharistiæ sacramento conficere non possit corpus Christi*, itemque, *quod liceat diebus Saturni carne vesci*; Quam abjurationis formulam ex *Foxii* MSS. nobis conservavit in Annalibus doctissimus *J. Strypius* (a);

§. LXVIII. Vix autem credi potest, quantopere persecutionum tempestas eodem hoc anno efferbuerit in Veritatis Evangelicæ Confessores, quorum cum numerus tum zelus indies adaugescebat, atque præcipuè per Diœcesin Londinensem & Comitatus Essexiæ & Middelsexiæ, tractumque Colcestriensem se disseminabat, ut integrum Confessorum æque ac *Martyrum* catalogum ad hunc annum nobis referant Anglicarum rerum Annales (b); Certè, Novum Testamentum Anglicanum per *Hotchynum* (id est *Tyndallum*) translatum omnium fere manibus contrectabatur, siquidem ad ducentorum ac trecentorum exemplarium numerum illud à mercatoribus Germanis in Angliam transportatum (c), à

vaniensium Theologorum hanc sententiam laudantium Epistola, data *Lovanii* d. 21. Aprilis 1528. ubi & brevem quendam *Patricii Hamiltoni* tractatum exhibet, sub tit. *Patritii Loci communes*, quem in anglicanum idioma transtulit atque cum præfatione edidit *Joh.* FRYTHUS vid. l. c. à fol. 184—192.

(a) STRYPE Memorials Ecclesiastical under King Henry VIII. Vol. I. fol. 70.

(b) STRYPE loc. cit. integris capitibus VII. & VIII. fol. 74—87. incl. qui & in Appendice inter Documenta Num. XVII—XXII. refert Confessionem *Johannis Tyballi* fol. 35—38. & *Roberti Hemstedi* fol. 42. abjurationes illius *Tyballi* & *Th. Bougafii* & *Gulielmi Nectoni*, qui circumiverant diœcesin Londinensem ac Norwicensem, ad disseminandum Novum Testamentum *Tyndallianum*, majus æque ac minus, aliosque libros Lutheranos, publica auctoritate interdictos ac suppressos.

(c) STRYPE in Document. ad Vol. I. fol. 45.

quamplurimis avide legebatur, summoque cum gaudio & studio evolvebatur. Opiniones de corporali præsentia Christi in Eucharistia, de cultu Imaginum & de peregrinationibus religiosis, rejiciebantur, quin imò congregationes, conventicula dictas, habebant, quibus ex verbo Dei semet invicem instruebant atque puriorem doctrinam sibimet instillabant: Ea molimina non poterant non esse ingrata in oculis Episcoporum, qui iis excitati omnem navabant operam ad ea suffocanda, lucemque inde emergentem jam in ipsis principiis sufflaminandam.

Quò ante omnia faciebat solennis illa Visitatio in Diœcesi Londinensi per *J. Warthonum*, decretalium doctorem & Episcopi Londinensi vicarium generalem d. 24. Februarii 1527. & d. 2. 5. 4. 7. 12. 19. 20. Martii instituta, quippe in qua innumeri fere Confessores ad quæstiones respondere, atque sententiam vel retractare & abjurare sunt coacti, vel, ubi constanter in ea perseverassent, varii generis pœnis fuerunt subjecti.

Nam & A. 1528. Ejusmodi Visitatio (a) partim per ipsum Episcopum, partim per Ejusdem Vicarium Generalem in tractu *Essexiensi* instituebatur d. 28. Aprilis & Maji d. 14. itemque d. 15. & 20. Julii, multisque modis Evangelicæ veritatis propagationi erat infesta. Vocabantur enim in Episcoporum curias alii, quod liberos suos Orationem Dominicam lingua vernacula docuissent, alii, quod libros legissent prohibitos, alii, quod Concionatores hospitio excepissent, alii, quod contra peregrinationes religiosas, cultum & adorationem Imaginum locuti essent, alii, quod Jejunia ecclesiæ non observent, alii quod Confessionem & Sacramenta negligant, alii, quod contra vitia Clericorum loquantur. Plerique simplices erant atque illiterati, quibus Curiæ Episcopales, carceres & fasciculi lignei tantum incutiebant metum, ut retractarent, factaque abjuratione liberi dimitterentur.

Quid? quod A, 1528. d. 9. Junii Synodum Eliensem celebratam legamus in ecclesia conventuali de *Barnewell* (b); In qua, cum varia sunt statuta facta atque de rebus ecclesiasticis decreta, tum quoque inter alia, disertis verbis injungitur, „ quod „ rec-

(a) vid. Ejus Acta apud STRYPE l. c. fol. 86. 87.
(b) v. *Concil. Magn. Britann.* Vol. III. fol. 712. 713.

„ rectores & curati intra diœcesin & jurisdictionem Eliensem „ Biblia secundum novam interpretationem in ecclesiis suis nul- „ lo modo utantur, aut per quoscunque alios ecclesias suas ac- „ cedentes sic uti sinant, sed eos omnes & singulos admoneant „ & exhortentur ne eadem interpretatione utantur in prædica- „ tionibus suis. „

Sub idem tempus eximium illud *Gulielmi Tyndalli de Obedientia hominis Christiani* (a) opusculum prodibat, quod tanta cum accuratione universam officiorum doctrinam moralem exhauriebat, quodque tantæ præstantiæ fuit, ut *Anna Bolenia*, priusquam Regi nupta esset, potissimum ejus lectione atque meditatione dicatur in Reformatorum partes attracta fuisse, iisque per omnem vitam benè voluisse.

Præ cæteris tamen libris illa *Tyndalli* Translatio Novi testamenti, magna valebat auctoritate, ut omnis fere Episcoporum contranitentium & conquerentium, quod erroribus scateret, labor & industria eam supprimendi essent frustranea, atque eluderentur: *Tonstallus* saltem Episcopus Londinensis, dum singulari opera in id incumbebat, ut universa ejus exemplaria sibi, cum Antverpiæ moraretur A. 1529. comparando aboleret, nihil fere effecit aliud, quam ut, soluta pro illis Mercatori Anglo, qui *Tyndalli* familiaris erat, pecunia, *Tyndalli* inopiam sublevaret, comburendo autem ipsa exemplaria, odium vulgi incurreret, suspicionemque ejus adversus veterem religionem huic verbo contrariam suscitaret, atque desiderium legendi Novum Testamentum exacueret, & denique, ut *Tyndallo*, & ejus asseclis ansam suppeditaret instruendi novam (b) eamque emendatiorem longè ejusdem Translationis editionem, quæ anno statim sequente 1530. perficiebatur, quando plura quam antea eaque emendatiora in Angliam transmittebantur exempla.

Intereà verò A. 1529. d. 5. Novembris fit convocatio clericorum & cleri provinciæ Cantuariensis in Ecclesia *S. Pauli* Londinensi; in qua inter alia varii concipiuntur articuli, pro reformatione abusuum, atque inprimis pro reformandis clerico-

rum

(a) vid. STRYPE Memor. Eccl. Vol. I. fol. 112. 113.
(b) vid. *Histor. Reform. Belg.* §. XXXVII. pag. 108. 109.

rum moribus, adverſus exceſſivum eorum apparatum, itemque adverſus pravitatem ſimoniacam (a); Ita tamen ut ſimul quoque adverſus hæreticos varii conciperentur articuli, uti d. 29. Decembris Archiepiſcopus adverſus hæreticos declamavit, & Epiſcopus Bathonienſis libellum produxit continentem nomina diverſorum librorum hæreticorum (b), de quibus tamen ipſa actio prorogata eſt in aliud tempus, uti per quinque ſeſſiones & prorogationes convocatio continuata fuit usque ad diem 29. Aprilis anni ſequentis.

Clerici autem, quos maximoperè *Tyndalli* verſio N. T. habebat ſollicitos, eam apertè damnantes, hoc tempore aliam ejusdem Translationem (c) ſe edituros eſſe promittunt, quod tamen plures, nunquam illis in mentem veniſſe, credebant, quippe cum illi hoc artificio, dum ſpem editionis publica auctoritate munitæ faciebant, eludere conabantur deſiderium videndi opera *Tyndalli:* Sanè nec tentaſſe eos quicquam, nec in editione illa unquam laboraſſe, compertum eſt; Tandem verò etiam d. 24. Maji A. 1530. Scriptum quoddam à *Gul. Warhamo* Archiepiscopo, *Th. Moro* Cancellario, *Cuthb. Tonſtallo* Epiſcopo Dunelmenſi & quibusdam aliis Canonicis & Theologis approbatum in lucem prodiit (d), à quovis beneficii eccleſiaſtici poſſeſſore in Parœcia ſua legendum, ceu Medium & Admonitio præveniendi contagionem hæreſeos: Summa ejus hæc eſt: „ Regem plures „ convocaſſe Præſules, Virosque literatos ex utraque Univerſitate, ut nonnullos nuper in Anglicam linquam translatos libros examinarent atque explorarent, illos verò communi omnium conſenſu, ob capita hæretica in illis contenta fuiſſe „ dam-

(a) vid. Concil. Magnæ Britann. ad A. 1529. fol. 717. conf. fol. 719. 720. unde pericopam notabilem decerpere atque inter documenta huic Operi ſubnexa referre juvabit. Num. XXVI.

(b) Hunc Catalogum ex *Foxii* Hiſtor. Eccleſiaſtica Anglicè ſcripta T. II. p. 234. depromtum, itidem Documentis noſtris inſerere voluimus No. XXVII.

(c) BURNET. loc. cit. fol. 93.

(d) Totum illud ſcriptum ſub titulo, A publick Inſtrument &c. Collectioni Conciliorum M. Brittanniæ inſeruit J. WILKINS Vol. III. fol. 727—737.

„ damnatos; Ac, cum illis propositum esset; num necesse judicent Scripturam S. in linguam transferri vernaculam? censuisse, etsi id nonnunquam factum fuerit, nunc non esse necessarium, Regemque optimè facturum, si hoc tempore translationem in linguam Anglicam non permittat; „ Qua ratione omnis de translatione scripturarum spes planè est elusa.

§. LXIX. Cæterum eodem hoc anno 1530. ad nutum Regis prima edebantur auctoritate Parlamenti Anglicani Decreta publica, „ ne quis Anglicani Regni subditus deinceps, ullas sibi „ Dispensationes, Tolerationes, aliave privilegia, Roma expeteret sibique coëmeret, qui enim post ultimum Aprilis 1530, „ id facere tentasset, is in pœnam septuaginta librarum monetæ „ Anglicæ incurreret. „

Quid? quod ipse Rex, mense Septembri publica præconis voce per universum Regnum edixerit, ne quis subditorum suorum aliquid omnino commercii haberet cum Pontifice Romano, neve aliquid ab eo acciperent, aut ad illum mitterent, pecuniarum præsertim, sive per collybum sive alia quavis ratione, secus qui fecerit, is Regis indignationem, carcerem, aliasque durissimas pœnas extimescendas haberet; Romanum enim Pontificem esse Tyrannum, orbis terrarum prædonem, bellorum incentorem, & quovis alio magis quam Vicarii Christi nomine dignum.

Nam &, cum eodem hoc anno d. 28. Novembris Wolsejus Cardinalis, eo quo diximus modo mortem obiisset, factum est, ut Domus quæ dicitur communium, sive Senatus inferior, Parlamento tum temporis congregato, varia de Clericis gravamina scriptis consignata, Regique exhibenda traderet. (a)

In quibus, occasione violentarum illarum adversus putatitios hæreticos institutarum quæstionum, conquerebantur de actionibus in Curiis Ecclesiasticis, in specie verò, de citationibus Laicorum coram Ecclesiasticis, quæ dicebantur fieri ex officio, &, quod articuli, sine accusatore ipsis imputarentur, porro, quod non admitteretur excusatio, sed parti accusatæ vel abjuratio in-

E e jun-

(a) BURNET. lib. cit. fol. 68. a & STRYPE Memorials Eccles. Lib. I. c. 17. fol. 129. seq.

jungeretur, vel eam tradi flammis comburendam; Hoc enim grave & minimè ferendum (a) sibi videri.

Rex autem, quod sibi à Clero ob conculcatam Pontificis auctoritatem nonnihil metueret, hujus quoque vires infringendas esse censuit. Cum igitur Clerum (b), qui Cardinali Volsæo, tanquam Romani Pontificis legato, in quammultis obtemperaverat, incusaret; Cantuariensis statim centum librarum millia, Eboracensis autem Clerus octodecim librarum millia Regi dependit. Quibus minimè contentus Rex, suggerentibus (ut auctor antiquitatum Britannicarum conjicit) consilium, Thoma Crammero & Thoma Cromwello, postulavit à Clero, ut se solum, suum, totiusque populi, proximè ac secundum Christum Protectorem suppremumque Caput (c) agnosceret. Cui postulato, quamvis ægrè, tamen consensum est, ab utriusque provinciæ Clero. Rex & pecuniam & titulum accepit, Pontificiis tacitè frementibus, Evangelicis in sinu gaudentibus.

§. LXX. Prodiit eodem tempore liber, cui titulus erat *Supplicatio Pauperum*, sive *Mendicantium* (d) à Simone Fish de Grayes-Inn conscriptus; Queruntur in eo Pauperes, se ad extremam reductos esse angustiam, dum populi eleemosynas sibi destinatas interciperent Monachi, validi sed otiosi Fratres, idque sub titulo *Fratrum Mendicantium*, quorum uti Ordines erant quinque, ita si unicuivis ordini per septimanam a singulis familiis, vel quarta denarii pars solummodo erogetur, jam satis videri eam summam, ad sustentandos pauperes, qui verò nunc ea se frustratos esse conqueri debeant; Illos Ordines, Reipublicæ, quæ ita civibus exhauriatur, noxios esse, pluribus argumentis evincunt; Pontificem vero etiam crudelitatis & avaritiæ accusant, quod non omnes & singulos, siquidem id in ejus sit potestate, è purgatorio liberet, etiam gratis, cum nunc soli divites, soluto quantum satis est argento, carcere isto solverentur: Scriptum

(a) Quid verò Ecclesiastici A. 1532. ad illa gravamina responderint? addiscimus ex *Conciliis Magn. Britann.* l. c. pag. 750. & seqq.

(b) SCULTET. annal. T. II. p. 334. ex Annalibus rerum Anglicarum.

(c) conf. Concil. Magn. Britann. Vol. III. fol. 742. seq. ubi ipsa concessionis illius Acta leguntur.

(d) BURNET. L. II. fol. 93.

ptum hoc, uti ſtylo ingenioſo ita ſatyrico ſale erat conſperſum, ut multis mirum in modum arrideret, neque ipſi diſpliceret Regi, quippe cui illud ab Anna Bolenia erat exhibitum, conceſſa quoque auctori venia, & ab omni moleſtia, quam vereri poterat, immunitate.

At verò, ut libellus ille confutaretur, operæ videbatur pretium, iis, quibus priſtina ſacra curæ erant; Hi igitur, uti ſine mora id THOMÆ MORO, tum jam Cancellario, demandabant, ita prodiit ejus opera tum ad illam Supplicationem, alia reſponſionis loco *Supplicatio animarum ſcilicet in Purgatorio detentarum*. In ea ſuam, animæ, deplorant miſeriam, ſimul verò ingens deprædicant lucrum, quod ſibi affluere teſtantur ex Miſſis fratrum pro ipſarum liberatione celebratis, atque ita cognatos ſuos atque Majores implorant, ne non ſuccurrere velint Fratribus ſuis hanc opem ſibi miniſtrantibus. In eo libello Morus audacter aſſerit, fuiſſe hanc Eccleſiæ à multis ſeculis doctrinam, Scripturæ quædam loca probationis ſpeciem præ ſe ferentia profert, aliisque in ſpeciem compoſitis rationibus id palliat ac comprobare annititur.

Huic autem Mori libello cum *Johannes* FRITHUS (a) de Purgatorio ſuum opponeret tractatum, eumque graviſſimis muniret rationibus, is in Clericorum ita incurrit odium, ut, quem ita extinxerat ignem imaginarium, deinceps vero atque reali ignis ſupplicio compenſare debuerit.

Quidquid ſit, ſub finem anni 1530, *Thomas Hittonius* (b), Curatus & V. D. M. Madſtonenſis, cujus Tindallus in libris ſuis alicubi mentionem facit, quod libros nuper editos Antverpiæ, in Angliam adtuliſſet, atque inter ſuos diſſeminaſſet, Gravezandi captus eſt, atque Gulielmi Warhami & Joh. Fiſcheri auctoritate, poſt diuturnam & crudelem in carcere detentionem, ut vivus combureretur, fuit condemnatus.

§. LXXI. Annus hujus ſeculi *triceſimus primus* is erat, quo Henricus Rex prorſus Catharinam d. 14. Julii repudiare (c) ſeque ab

(a) BURNET. l. c. fol. 94.
(b) BURNET. l. c. conf. FOX rer. in eccl. geſt. comm. fol. 123.
(c) BURNET. l. c. fol. 67.

ab ea recipere satagebat, quippe cum eam inde ab hoc tempore viderit nunquam. Eodem hoc anno Lutheranismum magnos in Anglia fuisse progressus memoratur (a); Sed & eundem diversos habuisse Martyres compertum est, qui morte sua veritatem Evangelicam non sine vario animorum motu obsignarunt.

De *Thoma Bilneyo* jam vidimus (b), cujus supplicium memorabile, tametsi infirmos redderet meticulosiores, tamen animum addebat aliis, ut non vererentur etiam dirissima quæque pro veritatis professione constanti subire pericula atque supplicia.

Certe *Richardus Byfieldus* (c) Monachus Buriensis tum quoque d. XI. Novembris in campo Fabrorum (vulgo Smyts-field) in medio flammarum Martyrii coronam est adeptus, non aliam ob rationem, quam quod Antverpia subinde libros secum afferret prohibitos, eosque in examinibus institutis, utiles atque bonos assereret, quodque in vitam clericorum profanam atque dissolutam sæpenumero palàm inveheretur.

Mense Decembri *Johannes Tewksburius* tabernarius Londinensis (d), qui prius abjuraverat, pariter captus, in ædibus Thomæ Mori examinatus, à Stokeslæo Episcopo Londinensi (Tonstallus enim anno superiori ad Episcopatum Dunelmensem translatus erat) ad rogum damnatus in Campo fabrorum crematus fuit.

Eodem anno duo viri & una mulier Eboraci idem supplicium subierunt.

Factum hinc, ut sequenti Confessu Parlamenti habito non leves de actionibus istis moverentur querelæ; dum Domus Communium à Rege petebat, ut curiarum ecclesiasticarum pro lubitu & crudeliter agentium petulantiæ poneretur obex, quam tamen petitionem, cum ei nondum esset assensum, Clerici in crudelitate persistentes vix curabant, tantò in persequendo facti atrociores, quanto reliqui in conquerendo magis perseverabant & erant instantiores:

Eo-

(a) BURNET. ibid. fol. 67.
(b) vid. §. LX. pag. 193. 4. conf. BURNET. p. 94. 95.
(c) BURNET. l. c.
(d) BURNET. l. c. p. 95.

Eodem hoc anno, res accidit (a) novitate quidem admirabilis, & cujus admirationi nihil aut auctoris obscuritas, aut temporis, omnia diligenter explorantis, curiositas detraxit. Joannes Scotus, homo nec literis expolitus, nec usu magno rerum peritus, nec ingenii subtilitate ad fraudem appositus, cum in lite quadam succubuisset, nec judicatum solveret, in asylo Cœnobii Sanctæ Crucis, aliquammultos dies, sine cibo & potu se continuit. Res divulgata, & ad Regem Scotiæ tandem perlata est. Ejus jussu, veste mutata, & diligenter excussa, in arcem Edimburgensem seorsum ab omnium commercio sepositus, pane & aqua quotidie appositis, triginta duos dies omni cibo humano sponte abstinuit. Inde, tanquam re satis explorata, eductus, nudus in publicum prodiit: & ad plebis concursum frequentem satis diu ineptissima oratione habita, nihil in ea memoria dignum est locutus, nisi quod se dixit, „Mariæ virginis auxilio fretum, perferre, quamdiu luberet, jejunium. Hæc cum stultitiam magis, quam fraudem præferrent, dimissus, Romam profectus, & a Pontifice Clemente in custodiam datus, donec jejunando miraculi fidem fecisset. Illinc, veste, qua induti sacrificuli missantur, donatus, testimonioque confirmato sigillo plumbeo, quod apud Romanenses maximam fidem habet, Venetias venit: ac, jejunandi fide apud eos confirmata, cum voti reum diceret, ad viaticum itineris Hierosolymitani, quinquaginta nummos aureos (quos Ducatos vocant) accepit. Inde reversus, folia aliquot palmarum, ac sacculum lapidibus plenum attulit, quos videri volebat e lapidibus columnæ, cui Christus alligatus vapulavit.

Cum domum reverteretur, Londino transiens, cathedram, quæ est in cœmiterio ad D. Pauli, ascendit: ac, magna populi frequentia, de divortio Regis Angli cum Regina, de defectione a secta Romani Pontificis, concionatus, verbis quidem asperrimis, & per jugulum redituris, si paullum prudentiæ in eo repertum fuisset: conditus ibi in carcerem, cum prope quinquaginta dies continuos victu abstinuisset, inde incolumis fuit dimissus. In Scotiam reversus, cum Thoma Duchtio se conjun-

(a) BUCHANAN. rer. Scoticar. Lib. XIV. §. XL. pag. 493. 494.

gere voluit, qui circa ea tempora ex Italia advenerat, ædemque Mariæ Virgini, e ſtipe vulgo collata, ædificarat: magnumque è fictis miraculis quæſtum faciebat. Sed Thomæ prope omnibus vita flagitioſiſſima erat nota, & falſitas miraculorum deprehenſa. Nemo tamen ea palam redarguere, ob metum Epiſcoporum, audebat, qui hoc novo Atlante ſuum jam caducum Purgatorium fulcire conabantur: & ille, ut viciſſim gratiam eis referret, quoties ex opulentioribus ſacrificis eo quiſpiam miſſatum veniebat, mendicum aliquem, debilitate mentis aut corporis ſimulata, in promtu habebat, qui illo miſſante ſanaretur. Ab hoc Thoma, qui in ſocietatem lucri neminem admittebat, Joannes Scotus rejectus, cœnaculum ſubobſcurum in ſuburbio Edimburgenſi conduxit: & altari pro opibus erecto & ornato, filiam impuberem, ſed ſingulari oris elegantia, cereis circa accenſis, in eo, pro virgine Maria adorandam, ſtatuit. Sed cum is quæſtus opinioni non reſponderet, ad priſtinam vitæ rationem eſt reverſus, poſtquam in ſimulatione ſanctitatis præpoſteræ hoc tantum profecerat, ut omnes intelligerent, non voluntatem ei, ſed ingenium, ad impietatem comminiſcendam, defuiſſe.

Eodem anno 1531. d. 16. Februarii Germaniæ Principes, atque Civitates, qui Reformationem ſuſceperant, eam ad Reges Galliæ & Angliæ exarare ac transmittere Apologiam, cujus argumentum (a) in Hiſtoria Reformationis Gallicæ exhibuimus; Ad eam igitur Maji die tertio reſcribit Angliæ Rex (b), „ magna ſe cum voluptate legiſſe, quod eò ſpectent, ut ſalva „ permanente religione & inviolata pace, morbi ſanentur in „ Eccleſiis, & emendentur, quæ vel hominum nequitia vel igno- „ ratione depravata ſint atque corrupta; Quod etiam ſuis literis „ totam actionem commemorent, valdè ſibi eſſe jucundum, ex- „ citatam quidem fuiſſe famam, de ipſis non valde commodam, „ quaſi defenderent homines quosdam dementes, qui ſtudeant „ omnia perturbare, & ſumma miſcere imis, verùm, non ſe fi- „ dem habuiſſe, primùm quod Chriſtiana charitas ita poſcat, „ de-

(a) vid. Hujus voluminis §. XXVI. pag. 73——77. ex Sleidano Lib. VIII. à principio & Seckendorfio Lib. III. pag. 5.
(b) SLEIDAN. Lib. VIII. fol. 126. a b

„ deinde, quod id genus crimina judicaret, non posse cadere in
„ tanti splendoris, nobilitatis atque prudentiæ viros: Et, quan-
„ quam eorum, quæ ferebantur, nihil unquam crediturus erat
„ prius, quam certò comperisset, tamen quod ad hunc modum
„ sese purgarint, perquam sibi fuisse gratum, vel eò maximè,
„ quod judicio & opinione non aberraverit; quod igitur emen-
„ dari vitia petant, in eo suam & omnium bonorum volunta-
„ tem cum ipsorum studio planè congruere; Nam rerum huma-
„ narum hanc esse conditionem, ut tanquam in corpore, sic
„ etiam in republica & omni administratione continentibus ferè
„ sit opus remediis; magnam igitur laudem mereri qui medi-
„ cinam faciunt, & vulnus atque morbum ita curant, ut nihil
„ exasperent; non dubitare autem, quin eò tendat etiam ipso-
„ rum conatus, cavendum tamen esse diligenter ab illo genere
„ hominum, qui res novas appetunt, & ordinum æqualitatem
„ prædicant, & magistratum efficiunt contemtibilem; Ejus
„ enim sectæ quosdam intra sui regni fines aliquando fuisse, &
„ inde ex Germania eò penetrasse. Et quoniam de reverentia
„ magistratus mentionem in suis literis faciant, ideò se paucis
„ voluisse commonefacere, ne cui licentiæ fenestram aperiant;
„ hoc enim si caveant & emendationi studeant, optimam ope-
„ ram esse navaturos reipublicæ: Concilium quidem publicum
„ etiam inprimis optare se, Deumque precari ut principum
„ animos in hanc curam accendat: De ipsis autem omnia se
„ rectè sperare, nec esse quicquam quod ipsorum causa non ve-
„ lit; intercessurum etiam apud Cæsarem diligenter, ut con-
„ cordiæ rationes inveniantur, in eoque se facturum, quod
„ ipsimet singulis temporibus optimum esse judicabunt. „

§. LXXII. Sed progredimur ad annum proximum tricesimum scilicet secundum, tantò illustriorem, atque notabiliorem, quod eo Decretum est conditum de *Abrogandis Annatis*, sicque fundamentum fuit jactum instantis plenariæ à Curia Romana Separationis: Dicebantur autem *Annatæ*, reditus primi anni, quo episcopus quis factus esset, qui cum toti ad Pontificem Romanum redirent, ita cujusvis judicio atque æstimatione ingentem argenti copiam referebant, quam vectigalis instar quotannis reci-

cipie-

cipiebat Papa; Vix enim credi poteſt, quantam nummorum vim, ex Angliæ Regno, Romam aſportarint Pontifices Romani, & quantas Papæ pecunias pependerint Epiſcopi.

Certè, Archiepiſcopus *Cantuarienſis* (a), quoties vacare ſedem eam contingeret, annumerare debebat Papæ, Annatarum nomine decies millenos florenos. His inſuper acceſſerunt, pro uſu jureque pallii florenorum quina alia millia.

Archiepiſcopus *Eboracenſis* pro annatis decies item millenos, nec non pallio, ut exiſtimabatur, quinquies.

Epiſcopus *Elienſis* pro annatis ſepties millenos.

Londinenſis ter millenos. *Wintonienſis* duodecies. *Exomienſis* ſexies.

Lincolnienſis quinquies. *Lichfeldiæ Coventriæ*que Epiſcopus ter millenos. *Herfordienſis* millenos atque octingentos. *Sarisburienſis* quater millenos & quingenos. *Reliqui* item, pro rata portiones quisque. Sciendum eſt autem eſſe Florenum, coronatum Italicum, & ſolidos Anglicanos quaternos, ac denarios inſuper ſenos valere, id eſt ſeſtertios nummos vicenos ſeptenos. Ut jam non attingamus, quæ ex *Electionibus*, *Præventionibus*, *Diſpenſationibus*, *Pluralitatibus*, *Trialitatibus*, *Totquotis*, *Tolerationibus*, *Bullis*, *Sigillis*, *Signaturis*, neque ea quæ ex facta hominibus poteſtate carnes, ova, lactaria, edendi, & privatim ſacerdotibus concubinas habendi, & ex id genus mercibus neſcio quibus, Papæ in ſingulos annos obvenerant.

Nam & quadrantes caminorum nomine oſtiatim coacti, & Denarii Petri (b), ingentem pecuniæ vim efficiebant, prouti, ab iis annatim ſolvendis, nulla per totam Angliam, ne ipſa quidem Regis eximebatur familia; Uno verbo, venalia erant Romæ, uti habet Baptiſta Mantuanus:

Tem-

(a) JUELLUS in Reſp. ad Harding. pro apologia Eccleſ. Anglic. Opp. Tom. II. p. 558. ſeq.

(b) De Denario Petri conf. quæ à Cl. KOHLERO ſunt obſervata in ejus Amœnitatibus nummariis Vol. I. p. 17. ſeq. Et obſervat. *Mathæus Pariſius* ad A. 1246. Papam tantum ex Regno Angliæ recipere ſolitum fuiſſe, quantum ipſe Rex, conf. SARP. de benefic. pag. 234. Conf. J. FABRICII, Helmeſtadienſis Amœnitat. Theolog. Diſſert. I. quæ tota agit *de denario S. Petri*.

Templa, Sacerdotes, altaria, ſacra, coronæ,
Ignis, thura, preces, cœlum eſt venale, Deusque.

Totiusque fabulæ Romanæ pars optima maxima, erat Pecunia.

Ut mirum non eſſet, ipſam Papæ auctoritatem atque poteſtatem imminutam vehementer atque diffractam eſſe, dum ne amplius ii ſumtus fierent, interdicebatur. Ipſius autem Interdicti ſumma (notante BURNETO) huc redit (a): „ Magnam hactenus „ pecuniæ vim, ſub titulo *Annatarum* vel primitiarum (Bullarum aut aliorum ſcriptorum inhibitione extortarum) è regno „ ad Curiam *Romanam* fuiſſe translatam, ac ſæpenumero eveni- „ re, ut frequenti Archiepiſcoporum & Epiſcoporum obitu, „ ipſorum amicis, qui pecuniam iſtam miniſtraverant, in detri- „ mentum hoc cedat. *Annatas* iſtas nulla lege fundatas eſſe, nec „ alia ratione beneficiorum Eccleſiaſticorum poſſeſſores ad ea- „ rum ſolutionum obſtrictos eſſe, quam per inhibitionem bul- „ larum. Parlamentum itaque probè conſiderans, Annatas pri- „ mùm pro orbis Chriſtiani adverſùs infideles defenſione ſolvi „ ſolitas, nunc in debitum, à Curia *Romana*, ſibimet præter jus „ & contra conſcientiam arrogatum, eſſe converſas, atque hac „ ratione permagnas nummorum ſummas tranſerri, (dum anna- „ tæ à ſecundo *Henrici ſeptimi* anno ad tempus præſens ad octies „ centena millia excreverunt) præter alias iſtius Curiæ oneroſas „ exactiones; agnoſcere & decernere, ut Rex pro munere à Deo „ Omnipotente ſibi concredito, ceu Princeps Chriſtianus, op- „ preſſiones iſtiusmodi cohibeat, idque tanto magis, quia plures „ Præſules tum temporis ætate erant provecti, ac probabiliter „ propediem morituri, quo pacto immenſa nummorum vis cum „ regni diſpendio ex illo transportaretur. Primitias itaque Curiæ „ *Romanæ* non ampliùs ſolvendas, ſed in perpetuum abrogandas „ eſſe, ſub pœna confiſcationis, prædiorum, fundorum, item „ bonorum non hæreditariorum, nec non redituum ſedis ſuæ, „ quamdiu illam occupaverat, cuivis qui eas ſolvat, irroganda.

 „ Quod

(a) BURNET. Lib. II. fol. 68. 69. edit. Latin. qui & in Documentis Num. XLI. totum illud Interdictum nobis communicat.

„ Quod si Curia *Romana* Bullas inhibeat, nihilominus eum,
„ qui Episcopatum petit, à Provinciæ Archiepiscopo esse con-
„ secrandum; qui verò Archiepiscopatum ambit, à duobus in
„ Regno Episcopis in hunc finem ab ipso Rege constitutis,
„ consecrandum, & hoc modo consecratos, inaugurandos esse,
„ ita ut sedis suæ jure plenissimè fruantur: Attamen, ne Ponti-
„ fex & Curia *Romana* justam conquerendi causam habeat, sta-
„ tutum fuit, ut qui Episcopatum petunt, quinque *libras* pro
„ *centum* de sedium separatarum reditibus solvere teneantur. „
Parlamentum verò, extrema hæc tentare nolens, finalem Decreti istius decisionem ad Regem remisit, ut si Pontifex vel ex charitate & æquitate *Annatarum* solutionèm tollat, vel ita eam temperet, ut onus sit tolerabile, Rex ante *Pascha* anni 1533. vel ante proximam Parlamenti convocationem, Diplomate decernere & patefacere possit, num Præmissæ, vel ulla earum pars, sit observanda nec ne? Si verò ob hoc Decretum Pontifex vel Regi vel ulli subditorum per excommunicationem vel aliam Censuram, ullam creet molestiam, his non obstantibus Regem imperaturum, ut Sacramenta aliique Ecclesiæ ritus administrentur, nec permissurum, ut ulla istarum Censurarum vel promulgetur, vel executioni mandetur.

Et obtinuit tum quidem hoc idem Decretum (a), in Domo Procerum inchoatum, & ad Communes transmissum, horum approbationem & Regis assensum, etsi Confirmationem finalem in eo commemoratam ante nonum Julii diem anni 1533. non habuerit, quippe quæ tum demum, affixo Diplomate Regio, quo decretum prolixe recitatur, accessit.

§. LXXIII. Attamen, ne quis Regem, cui nihil magis curæ cordique erat, quam ut eam quam Papæ abdicaverat auctoritatem, sibi adrogaret, à Fide quæ dicebatur Catholica recedere velle, suspicari posset, per gravissimas illas effectum est persecutiones, quæ, eo non prohibente, in Confessores mortuos æquè atque vivos se exundabant. Atque est tum in *Johanne Bainhamo*, uno è primoribus Templi, (quo nomine locus quidam in civitate

(a) BURNET. l. c. p. 69. a

tate Londinensi, certo cuidam collegio studiosorum Juris destinatus, veniebat,) severitatis Pontificiæ statutum exemplum singulare. Is in Domo Cancellarii (a), cum persuasionibus permoveri non posset, ut si quos in eodem Templi Collegio nosset, qui novas opiniones foverent, detegeret, præsente Moro flagellatus, mox in arce, eodem præsente & spectante, tormentis fuit exploratus: neque tamen etiam fidiculis quicquam, quod ceteros gravaret, extorqueri potuit; quanquam metu superatus tandem abjuravit, post abjurationem verò eos in conscientia sensit angores, ut publicè in manu Novum Testamentum gestans, in Templum iverit, & palam lacrymas fundens confessus fuerit, se Deum abnegasse, populum rogans, ut à peccato, quod ipse commiserat, serio caveant, se enim infernum in conscientia sentire ob peccatum à se commissum. Mox itaque in arcem conjectus (Episcopi namque, ne crudelitatis insimularentur, Hæreticos in carceres Regis nunc conjicere solebant) quod *Thomam Becketum* Cantuariensem quondam Archiepiscopum, (quem ambitionis ecclesiasticæ signiferum Romana Ecclesia dudum in Sanctorum numerum retulerat) dixerat esse homicidam, atque addiderat, „ eum nisi vera pœnitentia scelera sua eluisset damna-„ torum numero esse inscriptum, porrò, quod de Sanctorum invocatione minus honorifice fuerat locutus, atque sacramentum altaris non nisi mysticè Christi corpus esse, docuerat, atque illud dentibus comminui negaverat, sola autem fide recipi asseruerat; accusatur, & sub finem Aprilis in campo fabrorum tanquam contumax & relapsus hæreticus crematur.

Fuit autem is ultimus, qui sub Cancellariatu Thomæ Mori, supplicio fuit affectus, quandoquidem Morus, simulac Annam Boleniam sibi duxerat uxorem Rex, munere suo semet ultro abdicavit.

Neque autem solummodo in vivos, sed & in mortuos eo tempore sævitum esse, compertum est: Certè Gulielmus Warhamus Archiep. Cantuar. *Gulielmum Thracium* Armigerum ex diœcesi Wigorniensi, quamvis mortuum, pronunciavit hæreti-

 cum

(a) BURNET. l. c. p. 95. 96.

cum (a), mandavitque exhumari, ficque à Chriftianorum fepultura rejici ac repelli, quidquid illius in fepulcro fupereffet; Parkerus Wigornienfis Officialis, cui hoc obtigerat mandatum, è veftigio non folum morem eidem gefferat, fed & ultrà proceſſerat, ipfum cadaver in ignem conjiciendo. Quam immanitatem cum Rex biennio poft, refciviffet, is ea ita dicitur offenfus, ut Parkerum actionis hujus barbaricæ procuratorem non modo ab officio dejecerit, fed & mulctæ loco mille coronatos ab eodem exegerit.

Fuerat fcilicet, longa confuetudine ufurpatum, ut fi quis Teftamentum conderet, ejus primordia fere hunc in modum conciperentur; *Animam meam commendo Deo, Beatæ Virgini & omnibus in Paradifo fanctis:* Eam formulam quod neglexiffet Thracius, atque, ejus loco teftatus fuiffet, „ Se animam fuam „ nemini nifi Deo tradere per mediatorem Jefum Chriftum in „ quo folo omnem reponeret fiduciam, „ feque adèo non intercefſionem Sanctorum petere profeffus effet, deinceps, quod Ecclefiæ nil quicquam legaffet, nec denique, fibi pro anima fua vel Miffam vel preces expetiviffet, id omne tantopere animum utriusque & Warhami & Parkeri exacerbaverat, ut infolenter adeò in defuncti corpus fævirent, illudque tanta afficerent injuria.

Sed & aliud eodem anno crudelitatis clericorum datum fuit exemplum in *Thoma Hardingo* (b), comitatus Buckinghamenfis cive, provectæ ætatis, qui, quod quædam Novi Teftamenti Anglici partes apud ipfum effent repertæ, & quod porcinas carnes per quadragefimam (c) deguftaffet, crudeliffimum in modum, procurante Longlando Lincolnienfi Epifcopo, ferali ignis fupplicio fuit addictus; quod factum eft in vigilia corporis Chrifti. Et fuit eodem tempore indulgentia 40 dierum promulgata, unicuivis fafciculum pro comburendo hæretico afferenti,

(a) BURNET. loc. cit. fol. 96. conf. Concil. Magn. Britann. Vol. III. fol. 725. & fol. 749.

(b) BURNET. loc. cit. itemque FOXUS in Comm. rer. in Eccl. Geft. pag. 126.

(c) SCULTET. Annal. Vol. II. p. 367. ex Foxo.

renti, quæ tamen pudenda clericorum immanitas, eum tum dicitur habuisse effectum memorabilem, ut Hardingus ad cujus caput fasciculus quidam ligneus projiciebatur, festina morte, contuso quippe cerebro ejus, gravissimis illis doloribus eriperetur.

Est autem eodem hoc anno (a) in gratiam Romani Pontificis, apud SCOTOS, quæstio severè in Lutheranós exercita; Pontifex, contra, ut Regi tam bene de se merito, gratificaretur, Sacerdotiorum decimas ei in proximum triennium dedit. Pontifex enim in Scotiam legatos miserat udituros Regem, ne exempló Angli avunculi sui ab Ecclesia Romana discederet. Rex de constantia sua promiserat, atque eo quo dictum modo in Lutheranos animadvertebat, qua data occasione *Alexander Alesius* (b) Scotus, Vir Doctissimus in Germaniam venit, multosque in ea annos Theologiam docuit.

§. LXXIV. Inter hæc mala undique prementia, cum factionem Papisticam foverent Thomas Dux *Nortfolkiæ* Annæ Boleniæ avunculus sed ei inimicus, Steph. *Gardinerus* (c) Episcopus Vintoniensis Th. Cranmeri æmulus, & Jo. *Longlandus* Lincolniensis, qui omnes, tametsi studium suum Regi adversus Papam sic satis probaverant, eum tamen ad persequendos hæreticos exstimulare non desinebant, singulare Evangelicis Confessoribus obtigit levamen, per exaltationem trium præcipue quatuorve personarum (d); Quum enim *Anna* BOLENIA hoc eodem anno ad Regale fastigium evecta, Regia gratia atque ipso matrimonio conspicua fulgeret, & palam fere novorum dogmatum Doctores tueretur; quumque ei in hoc negotio quasi succenturiati succurrerent *Thomas* CRANMERUS & *Thomas* CROMVELLIUS, quorum *ille*, in Warhami demortui locum ad Archiepiscopatum Cantuariensem evectus erat, *hic* verò, præcipuus Regis minister & in Thomæ Mori locum Regni erat

(a) BUCHANAN. rer. Scotic. Lib. XIV. C. XLIII. p. 495.
(b) SCULTET. Annal. Tom. II. p. 417.
(c) BURNET. loc. cit. fol. 100. a
(d) STRYPE Ecclesiastical Memor. Tom. I. Lib. I. Cap. XIX. fol. 144.

Cancellarius, paulatim Regis quoque animus & per certa quædam intervalla, (neque enim dum vixit, ullam unquam ſtabilem de doctrina Chriſtiana perſuaſionem habuit) ad leniora converſus eſt. Accedebat quarto loco *Thomas* AUDLEYUS (a), magni nominis Jureconſultus, & cauſarum Patronus, cui *Magni Sigilli* Cuſtodiam demandabat Rex, cujusque eximius itidem in Reformatos erat favor, ut quoque A. 1540. quando cauſa *ſex articulorum* agitabatur, is impendentem ab Evangelicorum capitibus ruinam prudenter averterit, atque effecerit, ut detectâ Eccleſiaſticorum captioſa fraude permulti abſolverentur.

Ipſa certè REGINA (b) præ ceteris animum addidit Reformatoribus, quippe quæ Regis animum inflectere norat, atque in ipſum haud minus dominabatur, quam ipſe Rex in ſubditos ſuos, palam vero etiam favebat Reformatoribus; Conſtituit ea ſtatim *Nicolaum Shaxtonem* & *Hugonem Latimerum*, qui A. 1529. Th. Bilneyi Sermonibus & confeſſione converſus erat (c), Sacellanos ſuos, eosque mox ad Epiſcopatus *Salisburienſem* & *Wigornienſem*, qui remotione Campegii & Chinuccii vacabant (d), evexit, ſemperque dum licebat, eorundem in ſe ſuſcepit patrocinium, neque quicquam eorum neglexit, quæ ad Reformationis ſtabilimentum apud ipſum Regem promovendum facere poterant.

Thomas autem CRANMERUS in ſublime illud faſtigium evectus, non minus omnem ſuam auctoritatem omneque ſtudium eò impendit, ut Evangelica quam profitebatur Religio proferretur ad plures, ac Papales ſuperſtitiones indies abrogarentur; Erat is, ob ſingularem eruditionem ac induſtriam, eximium (e) Reformationis promovendæ inſtrumentum; Nam & in eo, ceteris multis excelluiſſe dici debet, quod uti propria diligentia Veterum Scriptorum monumenta fere excuſſit omnia, ita propriis oculis in reſtituendis atque ad priſtinam ſimplicitatem reducendis rebus ſacris,

(a) STRYPE loc. cit. conf. Fox. comment. rer. geſtar. fol. 180.
(b) BURNET. l. c. fol. 99. a
(c) FOX. Eccleſiaſtical. Hiſt. Vol. II. p. 222. b
(d) vid. Collect. Documentor. Burneti. Vol. I. P. II. Num. XLII. fol. 71.
(e) BURNETUS Lib. II. fol. 99. b

230 230



THOMAS CROMWELLUS. *m.1540.*

Magnus Angliæ Camerarius sub Henrico VIII.

eris, videre potuerit, neque opus habuerit ex Scriptoribus exteris sua transscribere, quodque pro singulari animi, qua pollebat moderatione, ac prudentia, non temerè, sed juxta prudentiæ regulas in Reformationis negotio progressus fuerit. Et fuit sane ejus in rebus gerendis prudentia tanta, ut ne ipsum quidem Regem in amicitiis minimè constantem & contradicentes ferre non assuetum, etiam quum ei sese in notissima de *sex articulis* Reformationis contentione, opponeret, offenderit (a), aut ejus gratia unquam exciderit:

Proximus ab ipso, vel potius, illo superior erat *Thomas* (b) CROMWELLUS, qui, dum res integræ erant, omnia unus apud Regem poterat, unus negotiis omnibus fere præerat; Vir equidem claris familiis, cum infimæ sortis esset, haud innexus, sed ea tamen ingenii ac judicii virtute præditus, quæ illum ad celsissimum illud dignitatis ad quod pervenit fastigium evehere poterat, & ea deinceps generositate, atque beneficiorum in se collatorum memoria, ut eâ omnes fere Nobiles atque Aulicos antecelleret, in uno illo tantum culpandus, quod ultra quam satis est honoribus & divitiis coacervandis incubuerit, eoque ipso plurimorum sibi invidiam & odium arcessiverit. Cæterùm, uti cum Cranmero, illi magna intercedebat familiaritas, ita quod magno cum Zelo Reformationem promoverit, ex eorum temporum Annalibus constat, siquidem Rex eum præcipuâ gratia dignatus, ipsius inprimis operâ, primum in Papæ tyrannide abolenda, & post in Monasteriis demoliendis usus est, fuitque is primarius consultor, quod Biblia in Anglicanam linguam translata indultu Henrici VIII. per Graftonum & Whitchurchium Parisiis imprimerentur, atque emendatius quam ante, uti postea videbimus, publicarentur.

Prima Dignitas, quam successu temporis in eum Rex contulit (c), erat, quod eum *Vicarium generalem* & *Visitatorem generalem*

(a) BURNET. Lib. III. fol. 148. & 151.
(b) BURNET. Lib. II. fol. 99. b
(c) Heroologia Anglica fol. 7. Cæterum Vitam ejus latè satis ac luculenter enarravit FOXUS in Martyrologio Anglico sive, Eccles. Hist. Vol. II. p. 419--453. conf. Ejusdem rer. gestar. comment. fol. 154--164.

ralem omnium Monasteriorum (a), ceterorumque privilegiis munitorum locorum faceret; Porro ipsi data est Baronia *de Okeham* in agro Rutlandiensi A. 1536. deinceps, eum *Equitem auratum* Ordinis scilicet *Georgiani*, Rotulorum præfectum, *Privati Sigilli* Custodem, *Secretarium* postea summum fecit. Præterea eum illustri *Comitis Essexiæ* titulo exornavit A. 1539. Et Rex eum his ornamentis decorare non contentus, illum magnum *Angliæ Camerarium*, *Ecclesiastici Ordinis* Præsidem, & Delegatum suum *generalem*, sive, *Vice regentem*, & unum ex intimis suis consiliariis constituit. Quæ tamen omnes dignitates impedire nequiverunt, quò minus adversariorum insidiis esset expositus, ut tandem morte sua præcipite, quam fluxa & fragilis omniumque casuum momentis exposita sit Vita aulica, vivido velut exemplo debuerit comprobare.

§. LXXV. Quidquid sit, Fuit is annus Pontifici Romano, atque Sedi Romanæ longè funestissimus, quandoquidem illa quam diximus tum Diplomate Regio confirmabatur Constitutio, quâ abrogabantur Annatæ; Uti non minus Edictum est „ ne „ quis Pontifici in posterum quacunque de causa tributum, vel „ ejus quæstori Denarios Petri quotannis colligi solitos depen„ deret, gravissimis pœnis in secus facientes constitutis. „ Nam & omnis Pontificis potestas, úno ictu, facto supremi Senatus Decreto, tum concidit, quippe cum omnem Rex moveret lapidem, ut auctoritatem Pontificis Romani in regno suo extirpatam penitus redderet, ac eminentem Supremi in Ecclesia Anglicana post Christum Capitis dignitatem sibi soli vindicaret, idque per certos gradus, quorum (b) prior, posteriori viam veluti præmuniret. „ *Primùm* enim, uti vidimus, ipsa Pontificis „ circa legem Dei potestas dispensativa in controversiam fuit „ vocata; *Mox* ad examen, quale Pontifici dominium in Anglia „ competat, deventum; *Inde* Clericorum convictio in casu *Præ-*
„ *mu-*

(a) Ea dignitas (teste Burneto Lib. III. fol. 194.) ut plurimum confunditur cum ea quam deinceps obtinuit dignitate in rebus Ecclesiasticis procurandis longè adhuc majori, per quam ei quoque in omnes Episcopos & auctoritas & præeminentia competebat.

(b) vid. BURNET. Lib. II. fol. 80. a

„ *munire*, cum submissione Regi facta, secuta est; *Hinc* factum „ ut Jus Pontificis circa Annatas, aliasque exactiones in dubium „ fuerit vocatum & abrogatum. Secuta *mox* omnium appellatio- „ num ad curiam Romanam condemnatio. Et *denique*, tot ra- „ mis Pontificiæ potestatis amputatis, ipsa radix percussa, & „ fundamentum Papalis auctoritatis ad trutinam fuit revocatum, „ ac penitus subrutum. (a) „

Neque verò luculentius afferri potest documentum, ex quo numerus eorum, qui Reformationem anhelabant, potest colligi, quam quod tanta cum promtitudine, tamque unanimi fere sententia reciperentur & signarentur ab omnibus Supremi Senatus Anglicani membris, Acta, quibus & Papalis infringebatur Auctoritas, & Ecclesiasticorum imminuebatur potestas.

Non possumus autem non hic meminisse variarum Consultationum A. 1533. & 1534. susceptarum, variorumque Tractatuum, eodem tempore circa eandem hanc causam, editorum atque publicatorum. Equidem Thomas CRANMERUS ad Sedis Cantuariensis primariam dignitatem evectus, à Papa sibi Bullas adhuc confirmatorias, præcipiente Rege expetiit, easque omnes (b) mense Februario & Martio 1533. à Pontifice, ingratiis ipsius signatas, accepit, sicque d. 13. Martii ab Episcopo Lincolniensi, Exoniensi, & S. Asaphi consecratur, præstito quoque, non tamen

(a) BURNET. loc. cit.

(b) In prima ad Regem missa bulla Cranmerus Episcopus *Cantuariensis* ordinatur. Secundâ ad ipsum *Cranmerum* directâ Archiepiscopus creatur. Tertia eum ab omnibus Censuris absolvit. Quarta ad Suffraganeos spectat. Quinta ad Decanum & Capitulum. Sexta ad Clerum *Cantuariensem*. Septima ad Laicos istius sedis. Octava ad eos qui fundos possident, injungens illis, ut *Cranmerum* Archiepiscopum agnoscant. Omnes hæ Bullæ datæ erant 21. *Februarii* 1533. Nonâ, die 22. *Februarii* scriptâ, mandatur, ut præstito juramento in *Pontificali* contento, consacretur. Decimâ, die 2. *Martii* scriptâ, Pallium ei fuit missum. Tandem undecimâ eodem die scriptâ Archiepiscopus *Eboracensis* & Episcopus *Londinensis* pallium illi induere jubentur. Hæ erant istius temporis artes ad exaltandas compositiones, & locupletandam Cameram Apostolicam: tum enim *Petri* successores de eo acquirendo maximè erant solliciti, de quo ipse gloriatus fuerat, videlicet, *nec aurum sibi esse nec argentum.* BURN. l. c. p. 75.

ſine proteſtatione, ne quid inde vel cauſa Dei, vel Auctoritas Regis vel Regni Majeſtas detrimenti caperet, palam Pontifici conſueto Juramento. (a)

Sed eæ fuerunt Bullæ papales ultimæ; Simulac enim tota res in contentionem deveniſſet, non tantum in Synodis atque in Parlamento, ſed & in Academiis & privatis ſedibus Epiſcopalibus, ea ita eſt ventilata & à cunctis fermè in Anglia eruditis, indagata atque ſolerter excuſſa, ut brevi poſt in hanc ſententiam Lex (b) publico Regni Senatus conſulto definita ſit atque promulgata, „ Pontificis Auctoritatem in Anglia carere fundamento; initium meram uſurpationem, progreſſum verò tyrannidem fuiſſe, exactiones iſtius Curiæ ubivis graves, in Anglia verò fuiſſe intolerabiles; ac, quamvis variæ propterea poſterioribus ſeculis motæ fuerint querelæ, non tamen ſecutum ullum levamen, legesque de Proviſoribus ſemper caruiſſe effectu; idcircò, cum actionibus ipſorum nullum poſſit afferri moderamen, non aliud ſupereſſe remedium, quam ut putatitia ipſorum Auctoritas rejiciatur atque extirpetur, & Pontifex impoſterum pro Epiſcopo Romanæ Eccleſiæ & Juriſdictionis circumjacentis, per veteres Canones definitæ, habeatur; Rex interim, Auctoritatem ſuam & Regni privilegia reaſſumat, quibus Angliæ Reges nunquam formaliter renunciaverant, etſi ultimo ſeculo ad uſurpationem non amplius conniverint. „

Certè OXONIENSES diſertis verbis in eam definiverunt (c) ſententiam „ Papæ in Regnum Angliæ non majorem eſſe poteſtatem quam cujusvis alterius Epiſcopi externi. „

CAN-

(a) De cujus Juramenti validitate, ipſiusque Cranmeri in eo præſtando ſinceritate jam non diſputamus. *Rapin.* THOYRAS Tom. V. pag. 314. de eodem agens, hanc addit monelam: Ce n'eſt pas là un des plus beaux endroits de ſa vie. Intereà tamen illam Proteſtationem tum à Cranmero factam, cum doctiſſ. Strypius in Vita Cranmeri exhibuiſſet, atque exinde in Conciliis Magnæ Brit. legatur Vol. III. fol. 757. exinde eandem depromere atque documentis noſtris No. XXVIII. inſerere voluimus.

(b) BURNET. loc. cit. p. 84.

(c) BURNET. Hiſt. Reform. Tom. III. inter Docum. fol. 53. 54. ſeq. & Concil. Magn. Brit. fol. 775.

CANTABRIGIENSES (a) non minus hanc formaverunt conclusionem; „ Quod Romanus Pontifex non habeat à Deo „ in Sacra Scriptura concessam sibi majorem auctoritatem aut „ jurisdictionem in hoc regno Angliæ, quam quivis alius Episcopus externus. „

CANTUARIENSIS Archiepiscopus tanquam Regni Primas, his omnibus non solùm adsentiebatur, verùm etiam tanquam Actor primarius omnem illam inflabat tibiam.

EBORACENSIS Archiepiscopus, Eduardus (b), unà cum Synodo sua provinciali idem illud iisdem pæne Verborum forformulis asserebant.

Decanus & Capitulum Ecclesiæ cathedralis S. Pauli in civitate LONDINENSI (c) porrò, Prior & Capitulum VIGORNIENSE (d) itidem, disertis verbis Papæ Romani auctoritatem proscribebant, summamque Regis & definitoriam & Legislatoriam in rebus Ecclesiasticis asserebant Potestatem; Simul verò etiam semet obstringebant, „ quod in nulla vel privata vel pu- „ blica concione quicquam ex S. Scripturis desumtum ad alie- „ num sensum detorquere vellent; „ Quin potius, se ipsum Christum, ejusque verba & facta, simpliciter, aperte, sincere, ad Normam seu Regulam Sacrarum Scripturarum & verè Catholicorum & Orthodoxorum Doctorum prædicaturos esse Catholicè & Orthodoxè.

Extat etiam nunc *Abdicationis* quædam *formula* à Sex Proceribus totidem domuum religiosarum signata, atque Regi exhibita, quam nobis conservavit Ill. BURNETUS. (e)

Unicus autem inter Episcopos, qui tamen & ætate & nominis celebritate ceteris excellebat, *Jo. Fischerus* Roffensis, octogenarius, adsentiri reliquis nolebat, quæ res, & quod cum puella

Gg 2 Can-

(a) Coucil. Magn. Brit. Vol. III. fol. 771. 772.
(b) Coucil. M. Brit. l. c. fol. 782.
(c) Concil. M. Brit. l. c. fol. 774.
(d) BURNET. Tom. III. Docum. fol. 55.
(e) vid. BURNET. Vol. I. in Collect. Documentor. Num. L. unde eandem depromtam exhibebimus in documentis nostris huic volumini subjectis N. XXIX.

Cantiensi quædam ipsi intercesserat familiaritas, non ita multo post, eum & carceri mancipavit, & ut capitis supplicium lueret, effecit, invidiosa Henrico cæde.

§. LXXVI. Quidquid sit, prodierunt tum in lucem varii Tractatus & Scripta varia, ex quibus, uti & ex Concionibus tempore isto ab Episcopis habitis, aliisque authenticis monumentis, summam argumentorum, quibus decreta sua superstruxerunt Angli, congessit BURNETUS atque suæ inseruit Historiæ. (a)

Inter ea Scripta (b) cumprimis erat ipsius REGIS liber (c), qui tanto magis Romanum irritabat Episcopum, quanto luculentius in eo, cum Tyrannis tum Usurpatio Romani Pontificis depingebatur: Ejus Titulus erat: *De Potestate Christianorum Regum in suis Ecclesiis contra Pontificis tyrannidem & horribilem Impietatem.*

Deinde liber ab *Eduardo Foxo* Episcopo Herefordiensi compositus, sub titulo *De vera differentia Regiæ potestatis & Ecclesiæ*, qui A. 1534. primum vulgabatur, at verò temporibus Eduardi VI. Regis Angliæ tantopere æstimabatur, ut tum quoque in Anglicum idioma & converteretur & recuderetur, & singulari addita præfatione Henrici Staffordiensis commendaretur.

Accedebat liber, quem citat JACOBUS I. in ejus pro Juramento fidelitatis Apologia (d) sub titulo *Christiani hominis Institutio*, qui & decretus in Synodo publica, & ejusdem Auctoritate est editus.

Nam

(a) BURNET. Hist. Ref. L. II. Vol. I. p. 80. seqq.

(b) vid. STRYPE Ecclesiastical Memorials Vol. I. Cap. XX. pag. 149. 150.

(c) Quod enim Rex ejus sit auctor, non tantum omnes tradunt Anglicarum rerum scriptores, sed & ipse Rex A. 1533. in sua cum Gul. Bellayo Galliæ legato consultatione, inter alia id testatur, *qu' il avoit composé un livre sur l' autorite usurpee des Eveques de Rome, & sur les prerogatives des Souverains, mais qu' il ne le publieroit point, jusqu' à ce qu' il ne vit plus aucune esperance d' accommodement.* teste Rapin. *Thoyraz.* Vol. V. p. 315. qui tamen observat, librum ipsum necdum terminata causa, Romam delatum Papam vehementer exacerbavisse. p. 321.

(d) Opp. Jacobi I. Regis Angl. fol. 278.

Nam & *Steph. Gardinerus*, Episcopus Wintoniensis eodem tempore libellum *de Vera Obedientia* (a) edidit; cui adnexa fuit *Bonneri* Episcopi Præfatio de *summo & absoluto Regis Imperio*.

Stockeslæus verò etiam Episcopus Londinensis & Cuthb. *Tonstallus* (b) Dunelmensis pro defensione causæ Regiæ prolixam ad Reginaldum Polum paulò post Cardinalem, scripserunt Epistolam.

Nam & *Richardus* SAMPSONIS (c) Regii Sacelli Decanus, eximiam Regique cumprimis probatam edidit Tractationem, sive *Orationem*, *Qua docet*, (*uti habet titulus*) *hortatur*, *admonet*, *omnes potissimum Anglos*, *Regiæ dignitati cumprimis ut obediant*, *quià Verbum Dei præcipit*; *Episcopo Romano ne sint audientes*, *quia nullo jure divino in eos quicquam Potestatis habet: postquam ita jubet Rex, ut illi non obediant. Qui contra fecerit, eos præcipuè docet, Legem divinam contemnere. Non est ergo quod sibi timeant Angli de humana quavis potestate Episcopi Romani, qui aliam quam humanam, hoc est, humano consensu non habet. Obediant igitur Deo non homini.* Apud Thomam Barthelet, cum privilegio.

Et placuit is liber tantoperè Regi (d), ut eum præ reliquis omni-

(a) Hunc libellum Argentorati, curante W. F. Capitone 1536. 8. recusum, excerpsit Doctiss. SCHELHORNIUS in Amœnit. Historico-Eccles. Tom. I. pag. 837. seq. qui tamen simul, quam idem ille Gardinerus fuerit versipellis, ostendit, quamque, cum Maria Papæ studiosissima in solium esset evecta, non solùm sententiam mutaverit, sed & eos, qui ex animo eadem quæ tum asseruerat sentiebant, atrocissime vexandos ac fune, ferro, flamma compescendos censuerit.

(b) BURNET. Hist. Ref. Lib. II. Vol. I. p. 80.

(c) Hunc libellum longè rarissimum, ipsique Doctiss. Schelhornio desideratum, cum STRYPIUS inseruerit Documentorum Collectioni ad Tomum I. Num. XLII. p. 109—118. eundem inde depromere atque Documentis nostris inserere voluimus Num. XXX.

(d) Et fuit ille *Rich. Sampsonis* ob eandem hanc Orationem in Indicibus librorum prohibitorum, inter primæ classis hæreticos relatus, Anno tamen 1540. eum commercii cum Pontif. Romano suspectum in Turrim Londinensem fuisse conjectum, sed, cum Regi se subjecisset, veniam cum libertate impetrasse, ex Burneto docet Cl. SCHELHORNIUS in Amœnitat. Hist. Eccles. I. p. 61. Cæterùm Erasmus eundem inter præcipuos suos patronos retulit. vid. Erasm. Epistolar. Vol. I.

omnibus mitteret Reginaldo Polo, in Italia, & quidem in Patavio Venetæ ditionis Urbe, tum versanti, unà cum literis suis, quibus eum jubebat, „ vel adsentiri illi sententiæ, quam liber „ defendebat, vel rationem scripto reddere, si aliter sentiret, & „ ejus libri argumentis respondere.„ Videlicet, verebatur Henricus quod res erat, ne nummos suos (quos in singulos annos singulari liberalitate (a) in ipsum expendebat) ulterius profunderet, & liberalitatis suæ rivos derivaret in hominem causæ suæ adversantem, acerrimisque hostibus suis addictissimum. Hinc ista ratione experimentum capere volebat, quid in posterum ab illo sibi esset expectandum. Et scripsit tum verè POLUS, illud *pro Unitatis Ecclesiasticæ defensione Opus* (b) illudque quatuor mensium spatio perfecit, experimentum facturus, quantum ingenio & eloquentia valeret ad fulciendum, qui tum valde nutabat, Præsulis Romani *Primatum*, quem Suprematum potius alicubi Salmasius appellitandum censuit, nos verò commodissimè, vocabulo à Paulo Sarpio (c) solerter excogitato, *Totatum* nuncupandum arbitramur.

Sed &, de hæreticis ita dictis eopse anno lata lex est, quæ equidem abrogationem (d) continebat statuti ab Henrico IV. sanciti, quo Episcopis quemvis hæreseos suspectum in carcerem conjiciendi potestas dabatur; sed tamen simul definiebat: „ Contra „ hæreticos, juxta accusationes duorum ad minimum testium „ agendum esse, ac tum rem examini subjiciendam, accusatis „ verò in publica Curia ad accusationes respondendum, qui, si „ rei sint, nec abjurare velint, vel relapsi sint, morte mulctandi; Edicto Regis *de Hæretico comburendo* primum impetrato (e); At verò, & constitutum est, nemini ob Canones „ vel

(a) SCHELHORN. loc. cit. pag. 17.

(b) Historiam Ejus Operis rarò obvii una cum luculento ejus excerpto nobis concinnavit Cl. SCHELHORNIUS in Amœnitat. H.E. Tom. I. p. 1—190.

(c) vid. SARRAV. in Epist. Gudianis subject. pag. 171.

(d) BURNET. Hist. Ref. T. I. Lib. II. fol. 86.

(e) Rex enim veritus, ne religionis potius quam tyrannidis Pontificiæ pertæsus, à Papa desciviße videretur, ut omnem suspicionem favoris in Lu-

„ vel Leges Pontificis, vel ob dicta aut facta contrà illas, mole-
„ stiam creandam; denique, Homines ob hæresin delegato com-
„ missos dato vadimonio eximi posse, ea conditione ut vocati
„ sisterentur. „

§. LXXVII. Est verò circà idem tempus, religiosa quædam, pæne dixerim flagitiosa, quæ omnium fere ore celebrata fuit lusa Fabula, à *Puella* quadam *Cantiensi*, & ejus sociis, quam paucis enarrabimus, ut ea cœperit, ut fuerit progressa, denique ut ea fuerit elusa, novo planè documento, quam fuerit genius Clericorum, Curiæ Romanæ commodis adhærentium, fraudibus & imposturis magis deditus, quam religioni ac sinceræ in Deum pietati, tametsi Religionis velum suo obducerent sceleri.

Erat Elisabetha BARTONIA, Cantio oriunda, quæ regio est Angliæ maritima, vulgo dicta *Puella Cantiensis*, quæ cum subinde hystericis convulsionibus ad phrenesin usque laboraret, persuaderi sibi passa est, ut divinas jactaret revelationes; Certè, cum illa prius in ecstasibus talia proferret verba, quibus & admirationem apud nonnullos & opinionem ac si à Deo inspirata esset, excitaret, accessit Richardus Master parœciæ Aldingtonensis Pastor, lucri inde sibi captandi cupidissimus, atque puellæ, quæ tum ut plurimum eorum quæ in paroxysmo dixerat, oblita erat, primùm persuadere conatus est, quicquid dixerat, id immediatæ Spiritus S. inspirationi ferendum esse acceptum;

Deinceps verò etiam, ecstases fingere & paria proferre verba sicut ante, eam edocuit, adeò ut quoque brevi temporis spatio in his talibus & expedita esset & spiritum simulare edocta; Res increbescit, evocantur multi, accurrunt alii: Pastor ille Canonico quodam Cantuariensi Bockingio in sceleris societatem assumto, primò quæstum facere tentabat ex Imagine Mariæ, quam in Sacello suo habebat repositam, quamque hæc ipsa puella

Lutherum aut eorum dogmatum auctores à se removeret, sævire cœpit in id genus hominum, quod hæreticos vulgus appellat, & ignibus cremandos dedit, non solùm Batavos quosdam Anabaptistas, sed etiam vera pietate insignes aliquot viros, referente ex Annalib. Anglicis SCULTETO. Tom. II. p. 445.

la præcipuè commendabat, referens, „ sibi in ecstasi B. Virgi-
„ nem apparuisse & significasse, prius ad pristinam sanitatem se
„ non iri restitutum, quam Imaginem suam in eo Sacello repositam
„ visitasset; „ Rumor promanat ad plures, conveniunt ad duo hominum millia illam visitationem contemplaturi; Ipsa in Sacellum adducta, statim distorto vultu paroxysmos fingens, insolitisque corporis commotionibus varia singularis pietatis proferre verba, de divina sibi facta inspiratione, de vocatione ad vitam monasticam cœlesti, de Doctore Bockingio, futuro suo Patre spirituali, etsim. Et, ne quid fraudi deesset, simulabat ea tum quasi ad B. Virginis intercessionem sanitati esset restituta, simul verò etiam vitam amplectebatur monasticam. Tum vero, ad lusus & lasciviam quoque conversa refertur, & habuisse eundem Bockingum non Patrem solummodò spiritualem sed & carnalem: At verò, priores illi raptus minimè cessare, Visiones miræ, cantus auditi cœlestes, Revelationes futurorum, jactabantur; videbatúrque ea permultis, inter quos & Gul. Warhamus erat Archiepiscopus Cantuariensis, compositæ fraudis ignarus, donum accepisse propheticum; Inter hæc, ea multis adversus peccata increbescentia, atque cumprimis adversus novam doctrinam, quam hæresin vocitabat declamare, atque etiam quædam de Regis divortio reliquis immiscere. Fuit tum à Monacho quodam Deeringo harum fraudum socio, *Liber revelationum* & vaticiniorum ejus conscriptus, qui avide recipiebatur; Simul in vulgus sparsum, „ Mariam Magdalenam ipsi Epistolam literis aureis
„ exaratam atque in cœlo scriptam dono dedisse, „ quæ multis fuit ostensa. Non erubuit autem palàm improbare Regis divortium, atque dicere „ Deum sibi ad preces suas revelasse, si Rex
„ in divortio pergat, atque aliam ducat uxorem, ipsum non tan-
„ tum dignitate regia intrà unius mensis spatium exutum iri, sed
„ & infami morte moriturum, & quæ ejus generis erant alia. „ Fidem puellæ, quum commode satis personam quam susceperat, ex præscripto Sociorum ageret, habebant plerique, ipse etiam Episcopus Roffensis *Fischerus*, aliique, qui causam Reginæ tuebantur; Hi igitur sæpe cum ea collocuti, magnam ipsi, interea dum reticerent ea quæ de Rege dixerat, conciliabant auctoritatem,

tem, quæ res non poterat non ad turbas & ſeditiones eſſe comparata, cum plurimi ab officio & fidelitate Regi debita tacitis veluti greſſibus recederent ac abalienarentur. Neque igitur latere is rumor Henricum diu poterat, inprimis, cum nec Pontificis legati, nec Catharina Regina, nec qui ei favebant, eum diſſimulare, quin potius in vulgus emanare facerent, ſi vel ita forte frangere aut emollire ſaltem poſſent Regis animum.

At verò Rex, cum prius eum rumorem ſpreviſſet, haud ita multo poſt, mandatum dabat, ut puella daretur in carcerem, utque ejus ſocii, Maſterus, Bockingus, Deeringus, Goldus uterque, Hugo Richus, atque reliqui rigido ſubjicerentur examini, quando conſpiratio tota adverſus Regis cum vitam tum regnum ſimul & detecta eſt, & acerrimo ſupplicio vindicata; Puella ſive Monialis, Maſterus, Bockingus, Deeringus, Richus, Risbyus & Henricus Goldus, ſummæ accuſantur & convincuntur perfidiæ. Epiſcopus verò Roffenſis, Thomas Goldus, Th. Laurentius, Edu. Twaites, Joh. Adeſonius & Th. Abelus rei cenſentur neglectus deferendæ proditionis: Proin bona ipſorum omnia Fiſco Regis addicta ſunt, ipſi verò, quamdiu Regi libuerit, in carcere detinendi, librique Revelationum ſub pœna Carceris Miniſtris Regiis tradendi decernuntur. Uno verbo, detectis ipſorum flagitiis, poſtquam ipſi in Templo S. Pauli artes ſuas & dolos profeſſi agnoviſſent omnes, capitis ſupplicium pariter ſubierunt: Et ſunt memorabilia prorſus illa Bartoniæ (a) verba, quæ A. 1534. d. 20. Aprilis publicè coràm reliquis illius ſceleris ſodalibus recitavit: „ Heic adſum, ut extremum patiar ſupplicium, neque ſolum propriæ, quam promerui; ſed & illorum, qui unà mecum patiuntur, mortis cauſa ſum. Attamen, ut verum fatéar, non ſola ſum culpanda, quandoquidem viros hos eruditos haudquaquam latuit, miſeram me fuiſſe & rudem puellam, illisque haud difficile erat conjicere, ea, quæ

(a) vid. BURNET. fol. 88.b. 89.a Eſt verò hæc tota res tantò notabilior, quod non defuerunt ſequentibus temporibus, qui mira quadam impudentia, & Bartoniam inter Sanctos & ſceleris ejus auctores & conſortes, inter Martyres pro Fide Catholica recenſere ſunt auſi, conf. *Theatr. crudelit. hæreticor.* p. m. 30.

„ per me facta fuerant eventu caritura, potius pro ea qua pol-
„ lebant prudentia, cuncta fictitia fuisse, cognoscere debuissent.
„ Quia verò figmenta mea ipsis fuerunt proficua, hinc factum,
„ ut multis me elogiis celebrarint, mihique persuaserint, non à
„ me, sed à Spiritu S. opus totum procedere, quocircà laudi-
„ bus supra modum evecta, superbiæ & fatuis imaginationibus
„ locum dans, me quicquid vellem, fingere posse putabam, id
„ quod in eum, in quo nunc versor statum, miseram me traxit.
„ Deum proin & Regiam Serenitatem pro venia supplex oro,
„ cunctosque adstantes, ut divinam Clementiam pro me & cul-
„ pæ sociis seriò implorent.

§. LXXVIII. Religiosæ hæ fraudes irritarunt quam maximè & Regis & populi animum in Monachos & Papæ Romani sectatores; Rex autem abolita prorsus omni Papæ Romani in Angliæ suæ ecclesias potestate ac auctoritate, pœna etiam capitis constituta (a) si quis supremam Pontifici potestatem adscribat, semet ipsum supremum earum Caput ac Principem Solenni Supremi Senatus Anglicani lege lata (b) renunciari curabat; Quo titulo, incredibile dictu, quam impensè fuerit gavisus, ut non tantum Ecclesiasticos omnes tam Angliæ quam Hiberniæ Sacramento adigeret, ut se tantum Ecclesiæ caput à Christo proximum agnoscant; Sed &, ut Magistratus civiles omnes atque Ministros aulicos majores minores in eandem sacramenti fidem cogeret; Quid? quod ipse Rex, cum A. 1535. Biblia Latina suis auspiciis imprimenda curaret, in Typographia Regia, eisque suo nomine Præfationem præfigeret, in eadem illa Præfatione, ita de se (c): „ Nos itaque considerantes id erga Deum
„ officii, quo suscepisse cognoscimur, ut in Regno simus, sicut
„ Anima in corpore & Sol in mundo, utque loco Dei judicium
„ exerceamus in Regno nostro, & omnia in potestate habentes,
„ quoad jurisdictionem, ipsam etiam Ecclesiam vice Dei sedulo
„ regamus ac tueamur, & Disciplinæ ejus, sive augeatur, aut
„ sol-

(a) THUANUS Lib. I. C. XVI. fol. 31. 32.
(b) Verba illius Decreti memorabilia leguntur in Bibl. Angl. T. XIV. p. 46.
(c) *Biblioth. Anglois.* Tom. XIV. p. 18. 19.

„ ſolvatur, nos ei rationem reddituri ſimus, qui nobis eam credidit, & in eo Dei vicem agentes, Deique habentes imaginem, quid aliud vel cogitare, vel in animum inducere potuimus, quam ut eodem confugeremus, ubi certò, diſcendum eſſet, ne quid aliud vel ipſi faceremus, vel faciendum aliis præſcriberemus, quam quod ab hac ipſa Dei lege, ne vel transverſum quidem digitum aberrare convinci queat. „

Neque id tantum, verum etiam, Nummis à ſe cuſis, eundem titulum, ne non cuivis innoteſceret, inſcribi curavit, Lingua *Latina*, *Hebraica* & *Græca* (a); Sic enim Latina Inſcriptio, capiti Principis circumſcripta, ita ſe habebat: *Henricus Octa. Angliæ. Franc. & Hib. Rex. in Terr. Eccle. Angl. & Hib. ſub Chriſt. Caput ſupremum.*

Parti averſæ autem legebatur inſcriptum, partim Hebraicè; ita: הנריכש. שמיני. ג. מלך. באמונה. סגן. אנגליאי. והיברניאי. מתחת .משיח. ראש. עליון. partim Græcè, hunc in modum. ΕΝΡΙΚΟΣ. Ο. ΟΓΔΟΟΣ. ΤΡΙΣ. ΒΑΣΙΛΕΥΣ. ΠΙΣΤΕΩΣ. ΕΝ. ΤΗ. ΕΚΚΛΗΣΙΑ. ΤΗΣ. ΑΝΓΛΙΑΣ. ΚΑΙ. ΙΒΕΡΝΙΑΣ. ΥΠΟ. ΧΡΙΣΤΩ. ΑΚΡΗ. Η. ΚΕΦΑΛΗ. Londini 1545.

Et ſanè, ne nudus ille ſolùm videretur titulus, omnem abinde operam navavit Henricus, conſtituto eum in finem Vicario ſuo Generali *Thoma Cromwello*, cum ampliſſima in omnes res Eccleſiaſticas ordinandas atque conſtituendas poteſtate (b); Ubi inter alia diſertis verbis repetit Rex „ ſuæ Regiæ Excellentiæ primam, & ſupremam poſt Deum Auctoritatem, in quoscunque Regni ſui incolas, nullo ſexus, ætatis, ordinis, aut conditionis habito diſcrimine, ſacro teſtante eloquio, cœlitus eſſe demandatam, ſuique adeo muneris eſſe, Eccleſiam Anglicanam vitiorum vepribus purgare, & virtutum ſeminibus & plantis conſerere. „

Quamvis etiam illa, quam biennio poſt obtinuit Cromwellus, Dignitas, haud paulo fuerit major, uti jam §. LXXIV. obſervavimus.

(a) *Biblioth. Anglois.* l. c. p. 20. 21. conf. quæ verbo jam ad §. LXIV. monuimus.

(b) Iuſtrumentum illius conſtitutionis habemus in collect. Concilior. Magn. Britann. Tom. cit. p. 784. ſeq.

§. LXXIX. Dum verò hæc in Anglia geruntur, in Regno Scotiæ, 1534. mense Augusto, acriter in Lutheranos est inquisitum. (a) Quidam coacti publice recantare, nonnulli, quod citati non adessent, exules pronunciati. Duo cremati: quorum alter, David Strado, ejus criminis omnino purus erat; sed cum in decimis publicano solvendis paullo pertinacius ageret, Lutheranismi accusatus, pœnas commentitii criminis luit.

Et, quanquam hoc eodem anno Anglus, mense Novembri Episcopum S. Davidis, sive Menevensem, in Scotiam mitteret, qui libellos Anglico sermone scriptos, religionis Christianæ dogmata continentes offerret, Regemque rogaret (b), ut eos perlegeret, ac diligenter quod in eis scriptum esset expenderet; quò Scotum à Papæ Romani communione abstraheret; Tamen id irrito tum consilio factum esse constat, quippe cum Rex Scotiæ aulicis quibusdam, Sacerdotum ordini addictissimis eos libros inspiciendos traderet: At, illi vix inspectos hæreseos damnarunt, & Regi sunt gratulati, quod oculos in tam pestiferis Scriptis intuendis non conscelerasset. Prouti, cum ad colloquium privatum Jacobum invitaret Henricus, is illud omni nisu declinare, atque ne cum Henrico paria faceret, evitare est conatus.

At verò, nec in ipsa Anglia, quanquam disciplina (c) mutaretur, hactenus in doctrina quicquam mutatum est. Nam & Synodo

(a) BUCHANAN. L. XIV. C. XLIX. p. 490. seq.

(b) BUCHANAN. loc. cit. p. 499. conf. STRYPES Collection of Monuments &c. Tom. I. Num. LXIII. fol. 155. & seq. ubi Legationis illius Instructio quædam recensetur. Neque ferè est dubium, quin ii libelli eos continuerint Tractatus, quos diximus, magna tum copia adversus Papæ authoritatem pro Regis suprematu editos.

(c) THUANUS fol. 32. Legimus enim Henricum Regem, simulac ille ejus Suprematus auctoritate Parlamenti definitus esset, è vestigio *Leges* quasdam condidisse *Ecclesiasticas*, circà sermones Ecclesiasticos publicè habendos, Preces concipiendas &c. quarum specimen exhibet BURNET. Histor. Reform. Tom. III. in Collect. Monum. num. 29. fol. 58. & seq. Nam & leguntur Literæ Regis ad Episcopos datæ, pro observatione illarum Legum Ecclesiasticarum in Concil. Magn. Britann. Tom. III. fol. 779. 780. unde eas depromere atque documentis nostris . XXXI. inserere volupe fuit.

nodo Londini habita VI. Eid. Jun. antiquam & hactenus receptam doctrinam confirmavit Henricus: & æquè eos qui ab illa recesserant, & Lutheri sive Zwinglii (a) opinionem sectabantur, atque eos, qui pontificis auctoritatem propugnabant, morte mulctavit, æque Pontificiis ac Protestantibus invisus, qui ordinem in disciplina ecclesiastica mutatum, quamvis diversa ratione arguebant. Nam & alicubi Calvinus (b), qui abrogatam Pontificis in Anglia potestatem non ægre ferebat, sibi acriter animum pupugisse testatus est, quod se Henricus Caput ecclesiæ appellavit.

Prima tamen in *Johannem Fischerum* Episcopum Roffensem, jam octogenarium, & *Thomam Morum*, effusa est persecutionis tempestas: Hi enim, cum præstare illud, quod diximus juramentum, eo quo conceptum erat modo, nollent, in carcerem conjecti, atque in eo, pro ratione ætatis dignitatisque durius etiam, quam par erat, habiti, quin imò ab ipso condemnati sunt Parlamento, ut in perpetuam darentur custodiam; Quum verò iidem deinceps Regis Primatum in ecclesia Anglicana etiam rejecissent (c), damnati denuò, capitis supplicium luerunt, invidiosa tamen Henrico cæde, quum Viri fuissent egregii (d), & integerrimæ vitæ, nisi quod in eos, qui ab Ecclesiæ Romanæ dogmatibus secesserant, acerbè sæviissent; Fischerum, dum in carcere erat, Papa Cardinalem renunciaverat; sed nihil eum juvit hæc purpura, quin magis illa Regis irritavit animum. Mor-

(a) RAPIN. THOYRAZ. Liv. XV. p. m. 337.

(b) Sunt notabilia CALVINI in Amos VII. 13. verba. Opp. Tom. V. fol. 223. „ Qui initio tantopere extulerunt Henricum Regem Angliæ, „ certe fuerunt inconsiderati homines; dederunt illi summam rerum „ omnium potestatem, & hoc me semper graviter vulneravit. Erant enim „ blasphemi, quum vocarent ipsum summum caput Ecclesiæ sub Christo. &c.

(c) Quomodo quæstionibus captiosis, ad illam, quam cautè ceteroquin evitabat, rejectionem, fuerit seductus, dum in carcere versabatur Morus, in enarratione Vitæ ejus videmus exponi. vid. *Biblioth. Anglois.* Tom. XIV. pag. 31—34.

(d) Characterem utriusque cum Fischeri tum Mori vivide nobis delineavit BURNET. lib. III. fol. 193.

tem uterque mira exceperunt animi tranquillitate & constantia, ut ne jocis quidem in ferali suggestu pro indole ingenii sui abstinuerit Morus, alter verò elegantius solito vestitus in eum prodierit.

§. LXXX. Intereà Rex, tametsi ab omni doctrinæ innovatione penitus abhorrere videretur, tamen multa secum ruminari, atque cumprimis de Conciliis (a) & ea convocandi auctoritate varia apud animum suum statuere, quò tantò majori cum potentia consiliis Pontificiis, tum Concilii publici Mantuæ celebrandi Indictionem præ se ferentibus, obviam ire atque obicem ponere posset; Eum igitur in finem (b) sibi cum Germaniæ Principibus Protestantibus atque Theologis agendum esse ratus, Legationem mittebat hoc anno in Germaniam, cujus erat Princeps, *Eduardus Foxus* Episcopus Herfurtensis. (c) Hic initio commemorat, quam magna sit inter Britanniæ reges & Saxoniæ principes agnatio, sanguinisque propinquitas, regem optimè erga ipsum atque socios affectum esse, præsertim, cum hoc eos inprimis agere videat, ut pura Dei cognitio propagetur etiam ad alios: Et quanquam multæ sint ipsis hoc nomine factæ contumeliæ, tamen idcirco nihil eum abhorrere, neque de ipsis aliter sentire, quàm de viris bonis, qui præter officium ac sine ratione nihil facturi sint, & hoc solum spectent, ut per veram Euangelii prædicationem gloria Dei celebretur: idem quoque regis esse studium, idque satis declarare illam, quæ jam sit per Angliam facta, mutationem: etenim Regis mandato jam abolitam esse magnam partem errorum, & de communi omnium assensu, pontificatum Romanum ac illius imposturas

(a) Conf. BURNET. edit. Latin. pag. 100. qui ibidem conclusum quorundam Episcoporum *de Convocatione Concilii Oecumenici*, ex autographo refert, suæque narrationi inserit, unà cum Oratione *Th. Cranmeri* de *Conciliis Oecumenicis*.

(b) Sunt verò etiam, qui judicent eum propiorem cum Protestantibus communionem quæsivisse, quod Paulus III. P. R. qui Clementi VII. successerat, eopse tempore dirum anathematis carmen, in Regem Apostatam emisisset & subditos ab obedientia jussisset liberos. conf. RAPIN. THOYRAZ. Tom. V. Lib. XV. pag. 341. 342.

(c) SLEIDAN. Lib. IX. p. 155.

ſturas omnes è regni finibus exterminatas eſſe, non ſecus atque per Saxoniam, cumque ſit idem utrobique ſtudium atque voluntas, regem ſingulari quadam in ipſos accendi benevolentia, & rogare, ut ita pergant, & eandem planè doctrinam profiteantur omnes: hoc enim eſſe perpetuæ pacis firmamentum: & quanti ſint exorti motus ex opinionum varietate, regem habere compertum, & anabaptiſtas exemplo ſuo demonſtraſſe: præ ſe ferre nunc pontificem, quaſi de concilio cogitet: ac ſanè, ſi qua ſit adhuc reliqua diſſenſio, neque de dogmatis omnibus conveniat, in commodum hoc ipſis futurum, ubi ventum fuerit ad concilium: qua tamen in re theologis minimè culpam attribuat: nec enim unquam eccleſiæ ſtatum ita fuiſſe tranquillum, ut non aliquod fuerit aliquando diſſidium: hoc etiam Petri & Barnabæ atque Pauli demonſtrari poſſe exemplo: cogitandum igitur eſſe de pace, quæ firmo ſcripturæ fundamento nitatur: pontificem autem hoc agere totis viribus, ut ejusmodi pacem, atque concordiam impediat & evertat: itaque regem ſic exiſtimare, quoad illius imperium, tyrannis atque ſævitia durabit, ad conciliationem perveniri non poſſe: propter eiectam nuper ex Anglia ſervitutem omnium fœdiſſimam, & recuperatam à rege libertatem, idolum illud & Antichriſtum planè furere, & quum apertè nihil poſſit, moliri fraudem & inſidias, & falſis criminationibus concitare reges: nam etſi potentiæ ſuæ retinendæ cauſa quidvis faciat, tamen hoc etiam ejus eſſe conſilii, ut inflammatis animis utrinque, bellum exardeſcat: hæc autem ideò regem ipſis exponi voluiſſe, non quod pontificem metuat: ſic enim eſſe paratum à rebus omnibus, ut neque de illo, nec de ipſius omni clientela ſit ſolicitus, verum, ut ipſi, quid moliatur Antichriſtus, liquidò perſpiciant, hoc præſertim tempore, quando Concilium ille ſe procurare ſimulat, cum interim longè diverſum habebat in animo: regem agnoſcere quidem atque fateri legitimam disceptationem fore cumprimis utilem & reipublicæ ſalutarem: ſed tamen, ne concilium fiat, in quo de ſtabilienda ſolùm dominatione pontificis tractetur, omnibus modis providendum: itaque petere & admonere, ne quod concilium approbent prius, quam publica pax orbis Chriſtiani conſtituta ſit: cupere etiam, ut verus

rus Dei cultus restituatur, ad eamque rem perficiendam & tuendam, non recusare, sese ipsis conjungere: & hæc quidem esse quæ habeant in mandatis: rogare autem, ut in posterum sibi liceat amplius de his rebus, privatim cum delectis aliquot conferre: sic enim affectum esse regem erga religionem & ipsos, ut suas fortunas omneis atque se ipsum eò sit impensurus. Ad hæc illi respondent, & collaudata regis voluntate, „ cupere se de-
„ monstrant inprimis, ut longè lateque disseminetur evangelii
„ doctrina: quicquid etiam ejus rei faciant, ex officio fieri: &
„ quanquam summis eo nomine sint affecti contumeliis & in-
„ juriis, tametsi gravissimas in se concitarint offensiones, licet
„ fremitum atque minas plurimorum sæpe sint experti, non
„ tamen idcirco remisisse studium rei sanctissimæ propagandæ,
„ hujus autem odii tam vehementis & acerbitatis hanc solam esse
„ causam, quod impios errores & falsa dogmata repudiarint:
„ jam, quod suam operam in eo rex amplissimis verbis polli-
„ ceatur, quod etiam è suis finibus episcopi Romani tyranni-
„ dem, à quo sanè tanquam à fonte dimanarit quicquid est im-
„ pii falsique cultus, projecerit & eliminarit, id sibi perjucun-
„ dum auditu fuisse, deumque precari, uti pergat: quod etiam
„ moneat, cavendum esse, ne quid incommodi pariat dissensio
„ doctrinæ, permagnam habere se gratiam: sed nihil esse reve-
„ ra dissidii, & in ea se permansuros esse doctrina, quam sint
„ Augustæ testificati: nam ad Anabaptistas quod attinet, vin-
„ dicare se graviter in eos, nisi ad sanitatem redeant: illos
„ etiam ibi potissimum regnare, quibus in locis prohibita sit
„ evangelii doctrina: de concilio deque pontificis astu sermo-
„ nem illum omnem sibi pergratum etiam esse: jam autem in
„ Germania versari legatum pontificis, & polliceri conci-
„ lium, Mantuæ cogendum: egisse quoque de hac re cum
„ Electore Saxone: quid autem ipsi, communicatis consiliis,
„ ad illius postulata responderint, scripto comprehensum esse,
„ quod ei sint daturi, perferendum ad regem, ut quid suæ
„ sit in eo mentis, intelligat, legatum illum pontificium præ
„ se ferre, quasi solius sit pontificis indicere & habere con-
„ cilia: se verò existimare, cæteros reges & ordines reipu-
„ blicæ

„ blicæ non hoc ei concessuros, ut ipsis inconsultis ita faciat, „ in hac præsertim religionis atque fidei causa, quæ legitimam „ disceptationem postulet: Iam de coniunctione regis quod di- „ xerit, agere summas ei gratias: ut etiam hæc tam salutaris „ doctrina cursum suum retineat, nulli se labori suo vel periculo „ parcituros esse, neque dubitare, quin Deus hanc omnem actio- „ nem regat, quantumvis etiam invitis & reluctantibus aduersa- „ riis, & quia privatim cupiat de hisce rebus conferre prolixius, „ delectos esse quosdam ad eam rem, quibuscum sua communi- „ cet: rogare autem, ut regi ista renunciet, suumque studium „ illi (a) commendet. „

Nec immeritò Protestantes Principes in sua responsione civilis animi speciem præ se ferebant, nec plura tamen audebant polliceri, non alia de ratione (b) quam quod invidiam à societate Anglicana & Gallica (c) metuerent apud Cæsarem, cui uterque Rex adversabatur; deinde, quod scirent, Regi, religionem prætextus saltem loco esse, & nil seriò ab eo desiderari, quam ut in profligata illa causa matrimonii applaudentes haberet.

§. LXXXI. Ut verò se res habeat, est tum *Rob.* quoque BARNESIUS (d) Theologus præclari nominis, in Germa- niam

Ii

(a) Ea Responsio collecta est ex Actis Archivi Vinariensis, quæ Latinè & Germanicè manu Melanchthonis Spalatini & Burchardi Vice-Cancellarii Electoralis, consignata reperiuntur. Teste Seckendorfio in H. Luth. L. III. fol. III.

(b) SECKENDORFF. Lib. III. fol. 110.

(c) vid. §. XXXVIII. pag. 117. 118.

(d) *Roberti* hujus BARNESII vitam brevibus delineatam huc meritò referimus ex Jo. BALÆI Centur. V. de Illustribus Scriptoribus Angliæ: Is vero ita: „ Robertus BARNS, Anglus in Nordovicensi comitatu „ Lynna non procul natus, inter tam varias hominum factiones, ad Au- „ gustinianorum mendicantium sectam arripiebatur. Juvenes ætate ac „ studio pares, licet professione diversi, anno Domini 1514, Cantabri- „ giæ sophistarum scholas frequentavimus. Ipse nihilominus in re litera- „ ria ex ingenii facilitate multis passibus præcucurrit. In theologia scho- „ lastica tandem Doctor effectus, percepta ex Lutheri libris Dei veritate, „ extemplò cœpit luctator egregius cum monstris immanissimis congredi. „ Æterni patris eloquiis armatus, constans veritatis assertor, in Draco- „ nem

niam missus, qui speciatim cum Theologis Wittebergensibus

„ nem ac Bestiam fortiter dimicabat, eorumque subvertit castra. Sed statim à furentibus Babylonici regni ministris ad tribunal raptus, anno „ Christi millesimo quingentesimo vicesimo quinto, in Februario, ac „ per Londinensem, Roffensem, Bathoniensem, & Asaphensem episcopos, super viginti quinque articulis ceremoniarum damnatus, ad palinodiam sub Cardinale cogebatur. Tertio carcerariæ inclusionis suæ anno, diruptis catenis in Germaniam ad Lutherum aufugit. Ubi apud eum „ atque alios veræ pietatis amatores ad aliquot annos servatus, in Angliam denuò revertebatur. Ex tunc justitiam fidei in solis Christi servatoris operationibus, contra impios humanorum operum buccinatores, „ tam concionibus quàm scriptis synceriter erigebat, ut antiqui serpentis „ caput eo calcaneo rursus contereretur. Non poterat igitur Satanas novas ei per episcopos insidias non struere.

„ Scripsit iste fidelissimus divini verbi minister, ad Henricum octavum „ Anglorum regem, ex variis auctoribus collectas,

„ Romanorum Pontificum vitas.
„ Sententias ex doctoribus.
„ Compendia suarum concionum.

„ Hæc omnia Latinè. Quæ sequuntur, idiomate Anglico edidit.

„ De sacerdotum conjugio.
„ Supplicationem ad regem Angliæ contra episcopos.
„ De sua condemnatione.
„ De justificatione fidei.
„ De ecclesia & membris.
„ De ejusdem ecclesiæ clavibus.
„ De servo hominis arbitrio.
„ Licere laicis sacras scripturas legere.
„ De constitutionibus humanis.
„ Pro utraque sacramenti specie.
„ Sanctos non esse invocandos.
„ Indicem de dictis patrum.
„ De Ecclesia ad Morum.
„ De jurisdictionum abusu.
„ De rebus Ecclesiæ, atque alia quædam.

„ Istum cum duobus sociis non puduit Londini crudelissimam pro Jesu „ Christi nomine incendii mortem oppetere, sub Stephani Wintoniensis & „ consimilium Antichristorum tyrannide, anno à Christi nativitate 1540, „ die 30. mensis Julii: nulla causa adhuc data, nisi, quòd fuerit strenuus

„ Euan-

bus (a) conferret, atque Phil. Melanchthonem in Angliam invitaret. Philippus enim Melanchthon ſe Angliæ Regi inſinuaverat, atque per *Alexandrum Aleſium* Scotum, (qui religionis ergo Scotiam relinquere debuerat) librum commentarium in Epiſtolam ad Romanos ipſi miſerat, uti ex Epiſtola ad Regem (b) menſe Auguſto data apparet: Ei clementer reſpondere Rex, & ſimul aureorum ducentorum munus ei mittere; Has Regis Literas cum ex Valentini Bavari compilatione, nobis aſſervaverit Illuſtris Seckendorfius (c), ut integre eas hic adſcribamus, non abs re erit:

HENRICUS D. G. Angliæ & Franciæ Rex, fidei defenſor & Dominus Hiberniæ, ac ſupremum Eccleſiæ Anglicanæ in terris ſub Chriſto caput, Philippo Melanchthoni Sanctæ Theologiæ Profeſſori eximio, amico noſtro plurimum dilecto.

„ Quod Chriſtianæ religionis ipſiusque veritatis propugnandæ „ ſtudioſiſſimum te percepimus, ſic eo nomine ſinceriſſimi iſtius „ tui animi inſtituto jam pridem afficimur, ut nihil æque in „ votis habeamus, ac aliquam ſeſe offerre occaſionem ſanctiſſi- „ mos iſtos tui pectoris conatus quacunque noſtra opera juvandi „ ac promovendi. Ad hujus vero noſtræ in te dilectionis non „ vulgaris animum, quam maxima nuper acceſſit ex literis abs te „ per Alexandrum Aleſium ad nos datis, quæ, etſi tui candoris „ & amiciſſimi erga nos ſtudii indices eſſent ſatis locupletes, id „ tamen non obſcuro egregii deſtinati muneris teſtimonio pul- „ cherrimo teſtari voluiſti. Munus certè ex ſui ipſius excellen- „ tia dignum, quod boni omnes complectantur, &, quod „ noſtro nomini dicatum eſt, nobis omnium quam maximè cha- „ rum & acceptum. Ob igitur iſtam benè erga nos affectæ vo- „ luntatis ſignificationem ingentes & quantas poſſumus ex ani-

 mo

„ Euangelii profeſſor. A quo licet ſuccumbere ſit viſus, potenter ta- „ men nunc regnat, atque condemnat juſtus mortuus impios viventes. „ Hujus nempe vitam pietatis & honeſtiſſimorum exemplorum plenam, „ certiſſimis argumentis noverunt multi. „

(a) SECKENDORFF. Lib. III. fol. 110.
(b) vid. MELANCHTH. Epiſt. Lib. III. ep. 4. pag. 490.
(c) SECKENDORF. loc. cit. fol. 111.

„ mo gratias tibi habemus, persuasumque esse volumus, nos
„ rectissimis istis tuis, & cum Deo conjunctis studiis nullo un-
„ quam tempore aut loco defuturos esse. Cætera ex fidelissimi
„ ac intimi consiliarii primariique secretarii nostri Thomæ
„ Cromvelli literis uberius cognosces, quibus rogamus, ut
„ cunctam fidem habere velis, & bene ac diu valeas, ex Regia
„ nostra Vintoniensi d. 1. Octobris 1535. (a) „

Et parum certè abfuit, quin Melanchthon tametsi eodem fermè tempore & à Gallo, ut in Galliam consultandi gratia veniret, sollicitaretur (b) Anglicanum illud iter suscepisset: Reliqui enim Angliæ Legati, posteaquam & cum Theologis Wittebergensibus & cum Electore Saxoniæ & cum Principibus Protestantibus egissent, atque ut Protestantes Legationem in Angliam mittere vellent, expetiissent, Elector equidem per Legatos suos ea de re cum sociis agebat, & splendidam in Angliam Legationem decernebat: Denominabat scilicet *Georgium* (c), Principem *Anhaltinum*, tum illustris generis causa, tum, quod Vir esset doctus, & Dei verbique ejus amans & studiosus, & Prælatus Ecclesiæ; *Melanchthonem* etiam mittendum offerebat, fassus tamen, Academiam Wittebergensem difficulter carere illo posse, & plurimos ejus causa in illam confluere. Additurus erat *Franciscum Burchardum*, Vicecancellarium suum, qui Melanchthoni charissimus erat. Landgravius missurus erat *Comitem Solmensem* & *Jacobum Sturmium*, tum ex Theologis, *Bucerum*, *Snepfium* & *Brentium*. De mandatis etiam deliberatum erat, quæ in summa eò tendebant, „ ut Rex Augustanam Confessionem, salva emen-
„ datione ex verbo Dei, in regno suo reciperet, eamque in
„ Concilio defenderet; deinde, ut protectionem Protestantium
„ cum titulo *Defensoris* susciperet; Si verò de capitibus reli-
„ gionis cum Legatis Principum concordia iniri non posset,
„ nec Rex articulos, de quibus Wittebergæ Legati ejus, cum
„ Theo-

(a) Responsum MELANCHTHONIS extat Lib. I. ep. 27. die 1. Decembris datum. pag. 21. 22.

(b) vid. *Histor. Ref. Gallic.* in hoc opere §. XXXIX. XL. pag. 118--123.

(c) SECKENDORF. loc. cit. fol. 113.

„ Theologis convenerant, approbaret, tractare tamen jubeban-„ tur, de mutuis auxiliis, quorum modus proponebatur &c. „ Verùm, plerique Principum & Civitatum Legati à tractatu cum Rege Angliæ abhorrebant, multi defectu mandati sese excusabant; Itaque nihil definiri potuit, & posteà Elector Landgràvio d. 12. Julii sollicitudinem suam aperuit, suadens, ut vel mora necteretur, vel aliquis in Angliam explorator mitteretur, vel Æpino (a) Hamburgensium Superintendenti, qui magnam cum Thoma Cromwello, Regis primario in rebus Ecclesiasticis ministro, familiaritatem habebat, negotium daretur, ut, quæ in Anglia fierent, sciscitaretur. Literæ enim à Barnesio ad Melanchthonem allatæ erant, in quibus mutationem rerum (b) significabat, & iter in Angliam dissuadebat.

Convenerunt tandem Principes, ut literæ ad Regem (c) scriberentur, easque Melanchthon composuit, & datæ sunt Kal. Sept.

Petunt hisce, ut Rex mentem suam de articulis, de quibus inter Legatos ejus & Theologos Wittebergenses conventum fuerat, aperiret, ut & de Concilio, de cujus Indictione fama jam percrebuerat. Verum hæ literæ tardè ad Regem pervenerunt.

 §. LXXXII.

(a) Eundem hunc Johannem ÆPINUM, Hamburgensium Ecclesiasten primarium, tum quoque ab Henrico VIII. in Angliam arcessitum fuisse constat ex ejus Vita, quam descripsit GREVIUS. p. 21. & seq. ipseque id testatur A. 1548. Æpinus in Ep. Dedicat. ad Eduardum VI. *Deinde ut testarer, me retinere illam ipsam voluntatem, quam ante annos* XII. *legatione nomine Hamburgensium fungens apud potentissimum & prudentissimum Regem Majestatis tuæ patrem testatam reliqui, qui eodem tempore constituerat, ecclesias reformare in Anglia & effecisset dubio procul nisi rei magnitudo nonnihil deterruisset, & quidam Evangelii Christi hostes dissuasissent, & avertissent ipsius animum à tam sancto & salutari incepto: Fecerat ejus rei præclara auspicia.*

(b) Dedicaverat enim tum quoque Melanchthon Henrico Regi novam Locorum Theologicorum editionem 1536. quæ dedicatio legitur in Melanchth. Epistolis Lib. III. ep. 6. p. 491. seq. sed, cui deinceps manu Melanchthonis subscriptum est hoc dystichon. *Dum laudandus erat, Regem laudavimus Anglum, Hei mihi, quam varium est Regibus ingenium.*

(c) SECKENDORF. l. c. p. 113.

§. LXXXII. Hæc dum per Legatos Henrici in Germania aguntur, nihil æque Regi ad ſtabiliendam Auctoritatem ſuam ſummam, & Cranmero aliisque ad promovendum Reformationis negotium, videbatur neceſſarium, quam ut per univerſam Angliam innumera illa Monachorum Cœnobia excuterentur, atque tota illa monachalium impuritatum colluvies à ſordibus ſuis repurgaretur; Eratque Rex tantò in id proclivior, quod iidem illi Monachi omnes lacertos moverent, ad reſiſtendum mandatis Regiis, ad ea exagitandum, & perpetuas ſi pote ſeditionibus (a) faces ſubjiciendum. Enimverò, durum illis videbatur, quod alium quam Papam, Eccleſiæ caput agnoſcere, & ejus poteſtatem in res ſacras repudiare deberent. Quum ergo illi hiſce decretis ſe opponerent (b), & res novas molirentur, tum in Confeſſionibus, tum in colloquiis, plebi, varia, quæ in Regem erant injuria, ſuggerendo, atque animos adverſus ipſum inflammando, miſſi ſunt in Monaſteria, qui res & vitam eorum ſedulò inquirerent. Ea inquiſitio ſummis quibusdam viris demandata, ne in vanum abiret, aut dicis gratia tantùm ſuſciperetur, ab ipſo Rege, per manum Cromwelli Vicarii Generalis, Inſtruſtiones Viſitatoribus obſervandæ ſunt conſignatæ, quas cum brevi compendio (c) nobis exhibeat BURNETUS, earum ſummam hic legere juvabit: Inquirere ſcilicèt debebant.

„ Num Cultus divinus, die & nocte, horis convenientibus
„ peragatur? Quot fratres plerumque ſint præſentes? Quinam
„ frequenter ſint abſentes?

„ Num numerus completus, juxta fundationem, in quavis
„ Domo adſit? Qui fuerint Fundatores? Quæ facta ſint additamenta
„ à tempore fundationis? Qui reditus? Num ex uno Ordine
„ mutata unquam fuerit in alium? A quo? Qua de cauſa?
„ Qua-

(a) BURNET. Lib. III. fol. 103.

(b) Franciſcanos fratres ſemet inprimis & aperte quidem oppoſuiſſe obſervat BURNET. l. c. p. 104. dum reliqui clandeſtinis moliminibus rem agebant.

(c) BURNET. l. c. p. 105. 106. qui & in Collectione Documentorum ad Libr. III. n. I: II. III. ſeq. eas omnes ad numerum 86. nobis exhibuit. conf. *Collect. Concilior. Britann.* fol. 786—789.

„ Qualia habeat edicta *de non alienandis terris in usum Eccle-
„ siæ, magistratûs injussu?* Et, num Fundatores sufficienti autho-
„ ritate, tales Donationes conficiendi, fuerint instructi?
„ Cujus impulsu, & quibus de causis exempti sint â Diœce-
„ sanis suis?
„ Localia ipsorum Statuta pariter inspicienda sunt & exami-
„ nanda.
„ Inquirendum in electionem Præpositi. Regula cujusvis Do-
„ mûs expendenda. Quot Novitii? Quo tempore Novitii ad
„ Professionem admittantur?
„ Num sciant Regulam suam, eamque observent? Cumpri-
„ mis tria Vota, Paupertatis, Castitatis & Obedientiæ? Num ali-
„ quis ullam habeat pecuniam inscio præposito? Num mulie-
„ rum conversatione utantur intra vel extra Monasterium? vel,
„ num quædam sint posticæ, per quas mulieribus liceat ingredi
„ Monasterium? Num pueros secum habeant cubantes?
„ Num observent Regulas Silentii, Jejunii, Abstinentiæ &
„ Cilicii? vel, quâ authoritate dispensationem habeant ab aliqua
„ illarum?
„ Num edant, dormiant, vestes suas portent, & in Monaste-
„ rio maneant juxta regulas suas?
„ Num Præpositus nimium sit asper, vel nimis clemens? Et,
„ an cum fratribus agat ex studio partium vel malitiose?
„ Num quidam fratrum sint incorrigibiles?
„ Num Præpositus singulis annis rationem fideliter reddat?
„ An cœteri quoque Ministri rationes exhibeant? Item, an re-
„ ditus Domûs juxta fundatoris mentem impendantur?
„ Num structura ædificiorum curetur, & laminæ atque sup-
„ pellex studiose conservetur?
„ An sigillum Conventûs, & scripta Domûs sedulò asserven-
„ tur? Item, an à Præposito codicilli locationis, erga cogna-
„ tos & amicos, in detrimentum Domûs sint facti? An hospi-
„ talitas servetur, & an in receptione Novitiorum, pecunia ali-
„ qua vel remuneratio petita fuerit vel promissa? Quâ cum cu-
„ râ & sollicitudine Novitii instruantur?
„ An aliquis Domum sit ingressus, sub spe, se aliquando in
„ Præpositum electum iri?

„ Num

„ Num in exhibitione patrimonii Præpositus Pensionem ali-
„ quam sibi reservárit? vel, quid lucri de illis faciat?
„ Ratio sumenda omnium beneficiorum Ecclesiasticorum &
„ Vicariatuum quamvis Domum concernentium, quo pacto be-
„ neficia ista administrentur.
Cuncta hæc in domibus Monachorum seu Fratrum erant per-
vestiganda:
In Visitatione autem Monialium inquirendum.
„ Num Cœnobium probè sit septo munitum, & an januæ
„ & fenestræ maneant clausæ, ita ut nemo possit ingredi tempore
„ minùs convenienti?
„ Num aliquis cum Sororibus converseτur solus, absque venia
„ Abbatissæ?
„ Num aliqua Sororum ad Professionem fuerit coacta, vel à
„ cognatis, vel ab Abbatissa?
„ An sine venia extra limites se conferre soleánt? Et, an illo
„ tempore vestem suam gerant?
„ Quibus occupentur negotiis præter cultum divinum? Quid
„ commercii ipsis sit cum Viris Religiosis? An scribant literas
„ amatorias? An mittant vel accipiant dona vel munera?
„ An qui ipsis est à Confessionibus, Vir sit prudens & doctus,
„ nec non bonæ existimationis? Quoties singulis annis Sorores
„ confiteantur & communicent?
Ab iisdem porrò visitandæ erant Ecclesiæ Collegiatæ, Xeno-
dochiales & Cathedrales, ut & Ordo Equitum *Hierosolymitano-
rum.* Ubi tamen nonnisi Scripta inspicienda erant, ut, quid ex
illis de Reformatione Ordinum Monasticorum colligi possit, con-
staret: quibus Regis nomine mandata quædam erant injungenda.
„ Ut omni studio & labore contendant, ut Decretum de Re-
„ gis Successione observetur (ubi dicitur, *ipsos manu & sigillis*
„ *id confirmâsse.* Unde patet, omnes in *Anglia* Domos Religio-
„ sas id agnovisse:) & ut populum doceant, potestatem Regis
„ esse supremam in terris, sub Deo; Pontificis verò *Romani* Au-
„ toritatem, astu saltem, & perversis ejusdem Canonibus & De-
„ cretalibus fuisse usurpatam, à Principibus quidem diu tolera-
„ tam, nunc autem meritò abrogatam.
„ Ab-

„ Abbates & Fratres à Juramento quod Pontifici vel Principi
„ alicui extero præstiterant, liberi renuntiandi; Statutaque Or-
„ dinis alicujus, ad subjectionem aliquam exteram obstringentia,
„ abroganda atque è libris delenda.

„ Ne Monachus limitibus egrediatur, neque mulier illos in-
„ grediatur, sine venia Regis vel Visitatoris, nec nisi unus sit
„ introitus.

„ Nonnullæ Regulæ circa Convivia præscribendæ, & injun-
„ gendum, ut caput Veteris & Novi Testamenti legatur: Men-
„ sa Abbatis cibo communi, non autem cupediis aut dapibus in-
„ struenda, Abbate, vel Seniore aliquo præsente, & hospitibus
„ ministrante.

Sequuntur Regulæ de Eleemosynarum distributione, item mi-
nistratione, tum in morbis tum in sanitate.

E singulis domibus unus, vel duo in Universitate alendi, qui
probè eruditi cœteros instruere possint: Singulis diebus Lectio
Theologica per integram septimanam habenda: Fratres honestis
exercitiis occupandi.

„ Abbas vel Præpositus singulis diebus partem aliquam Regu-
„ læ explicabit, & ad legem Christi applicabit, atque demon-
„ strabit, ceremonias ipsorum nonnisi elementa esse, ad Chri-
„ stianismum introducentia; Religionem non in vestitu, vel
„ ejusmodi ritibus, sed in puritate cordis, sanctitate vitæ, fide
„ non fucata, charitate fraterna, & vero Dei cultu in spiritu &
„ veritate, consistere: Non itaque Ceremoniis inhærendum, sed
„ per illas ad veram Religionem ascendendum esse.

Adduntur aliæ Regulæ de reditibus Domûs, adversus dispen-
dia, & ut nemo ante vicesimum ætatis annum in domum religio-
sam admittatur.

„ Quivis Sacerdos in domo singulis diebus Missam celebret,
„ inque illa pro Rege & Regina preces fundat.

„ Si quis mandata hæc infringat, ad Regem vel Visitatorem Ge-
„ neralem deferendus. Visitatori Authoritas competit reum pu-
„ niendi, atque libros Censuræ Visitatoris Generalis subjiciendi.

§. LXXXIII. Visitatores, qui inde à mense Octobri A. 1535.
Operi suo strenuè incumbebant, rem omnem literis deferre ad

Cromwellum Visitatorem Generalem tenebantur; Ex quibus etiamnunc, in quantum eæ per injuriam temporum non sunt abolitæ, colligitur, quam omnia propemodum in illis cucullatorum claustris turpia essent atque infanda (a); Certè plurimi monachorum flexis genibus culpam fatebantur, at verò se contra voluntatem ad votum Monasticum coactos fuisse referebant; Hos, Visitatores, data venia, in libertatem asserebant: Sed &, omnia fere rixis, discidiis & factionibus erant repleta, dum qui erant superiores, immanem in reliquos barbariem ac tyrannidem exercebant: Plurimi, rigorem mandatorum regiorum pervidentes, malle se planè aboleri quam ita reformari, ajebant. Cuncti, suprà modum idololatriæ atque superstitionibus, captandisque inde lucris nefariis, erant dediti.

Per nequitiam eorum, qui Monialibus erant à Confessionibus, pleræque Religiosæ uterum gerere deprehendebantur; Tanta erat Abbatum, Monachorum & Fratrum, non solùm cum scortis, sed & cum conjugatis, tamque nefanda familiaritas, & libidinum sceleratissimarum impletio, ut nequidem à scelere Sodomitico (b), quamplures ipsorum essent immunes;

Adeò fornicationibus, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum servitu, veneficiis, inimicitiis, contentionibus, æmulationibus, rixis, dissensionibus, sectis, invidiis, homicidiis, ebrietatibus, & his similibus verminabant omnia, quorum si contexere velimus catalogum, integer fere tractatus conscribendus esset:

Erant igitur, qui sive pudore, sive metu, sive religione, sive libertatis specie inducti, claustra sua Regi tradebant ac resignabant (c), etiam priusquam Senatus consultum, de supprimendis mino-

(a) BURNET. lib. cit. fol. 109.

(b) Huc facit illud BUCHANANI.

Quid referam in vulgus mysteria condita, fraudes
Occultas, ritus nocturni arcana, negatum
Depositum, cæsas post stupra nefanda puellas,
Quidquid & extinctis, frater patrare lucernis,
In fratres solet imberbes.

(c) vid. BURNET. loc. cit. & in Docum. ad Lib. III. num. 3. Sect. I. ubi exemplum ejus Resignationis legitur.

minoribus Monasteriis omnibus vel factum esset vel approbatum. Parlamentum enim A. 1536. cum turpia illa & infanda essent relata, una lege sex & septuaginta supra trecentas (a) suppressit minores Abbatias, tribus verò annis post, etiam reliquas & majores, earumque omnium bona Regi donavit.

Quæ res, cum multum habere videretur ex iniquo (b), & indignis acciperetur modis, non à Monachis tantùm, qui magno erant numero, usque ad decem millia (c), eorumque propinquis, sed &, *tum* à Nobilibus, qui præterquam quod, quum liberorum copia nimis abundarent, partem eorum huic vitæ devovere erant soliti, bona illis ablata, ad suas ergo familias, unde fuerant olim profecta, reverti debuisse censebant, *tum* à Plebe, quæ in itinere faciendo, pro more illius temporis, quando rara adhuc erant in viis diversoria, tecto plerumque & mensa à Monachis excipiebantur.

Rex ergo ex consilio Cromwelli (d), ut invalescentibus in se susurris obviam iret, & Proceres insuper suis partibus devinciret, pleraque prædia, vel levi prorsus pretio vendidit Nobilibus, vel cum vilioribus longè permutavit, sed ea lege, ut in iis & ipsi benigno acciperent viatores hospitio.

Nec tamen omnibus vel sic satisfacere potuit, minimè verò iis, qui religionis suæ studio isthæc detestabantur, unde & res in civiles mox erupit tumultus, annis sequentibus demum compositos.

§. LXXXIV. Sed &, fuit in Synodo, quæ tum celebrabatur LONDINENSI, magni momenti quæstio redintegrata, „de adornanda Bibliorum in linguam vernaculam translatione, eaque in „omnes Angliæ Ecclesias introducenda.„ Rex in eam concedebat sententiam, non alia ductus ratione, quam, ut vel ita illam à se amoliretur calumniam, quasi Uxorem dimittendo & Hierarchiam Papalem evertendo, peccasset adversus Scripturam S. Cranmerus autem, Cromwellus, & reliqui Reformationi faventes, id omni nisu agebant, quod præviderent, nihil opportunius ad Re-

(a) BURNET. loc. cit. p. 110. 111.
(b) PERIZON. Hist. Sec. XVI. pag. 224. 225.
(c) BURNET. lib. cit. fol. 126.
(d) BURNET. l. c. fol. 127.

formationis negotium promovendum suscipi posse, neque quicquam conducere magis ad superstitiones omnes Papales exterminandas & doctrinæ purioris usum introducendum. Fuerat ea de re jam prius deliberatum, cum Tyndalli versio supprimeretur, & Clerici, ne id infesto in veritatem animo à se videretur factum, promitterent novæ Versionis editionem. At verò, neglectum id non solùm fuerat hactenus (a), verùm etiam, non ita multò post, majoris partis assensione decretum fuerat, „ ne quidem opus esse „ ejusmodi versiòne, inprimis cum Rex eam non urgeret, totam„ que illam rem à Regis arbitrio tantùm pendere, cui ea tota „ quoque sit relinquenda; „

CRANMERUS igitur & reliqui præsentem temporis opportunitatem captantes, Regisque inclinatione freti, Synodo proponebant, ut à Rege venia Scripturam S. transferendi peteretur. At verò, tum alterius factionis principes, atque inter eos cumprimis GARDINERUS (b) cum suis asseclis, ei propositioni, cum in ipsa Synodo, tum apud Regem, obsistere, atque in Synodo declarare, „ quod omnes hæreses & opiniones „ absurdæ quæ in Germania germinaverant, jamque in Anglia „ videbantur pullulascere, non nisi ex solo Scripturarum libero „ usu atque illimitato essent ortæ; sibi igitur satius videri, præ„ posterum ejusmodi & promiscuum Scripturarum usum coër„ cendum magis esse quam promovendum, quippe quo tanquam „ laqueo periculosissimo, facile tota natio Anglicana posset illa„ queari; deinceps, brevem præcipuorum fidei dogmatum Ex„ positionem lingua vernacula, pro instructione vulgi adornari „ posse, quò subditi in obedientia erga Regem & Ecclesiam „ in rebus fidei contineantur. „ Id, cum à Gardinero prolatum percepisset pars melior, equidem ejusmodi tractatus lingua vernacula adornandi editionem non improbabat, ut magnopere tamen urgeret, „ populo concedendam esse Scripturarum omnium „ lectionem & scrutinium, quo vel de consensu ejusmodi tracta„ tuum cum Scripturis posset esse certus; Fuitque hæc tum ratio, plurium suffragio & vultu & verbis approbata, sicque ab utroque

(a) conf. §. LXVIII. pag. 216.
(b) BURNET. loc. cit. p. 111. 112.

que Comitiorum Senatu, Regi, propoſita; Apud quem, cum ea res ageretur, in diverſas denuò itum eſt partes: Erant, qui dicebant (a) multas inde diſcrepantes orituras eſſe opiniones, neque Regem, ſi hoc concedat, ulterius ſubditis ſuis imperaturum. Alii contrà, nulla re Primatum Regis populo magis redditum iri acceptum, Pontificem verò cunctis exoſum, putabant, quam ſi oſtendatur, lucem, liberumque Verbi divini uſum, à Regis illis eſſe redditum, quos Romanus Pontifex, cœca obedientia ſibi præſtita, in tenebris detinuerat, nihilque Pontificis auctoritatem efficacius extirpaturum, & Monachorum impoſturas detecturum, quam Biblia Anglica; ex quibus cuivis facile pateſcat, cuncta iſta nullum habere in Scriptura Sacra fundamentum.

Argumenta hæc, cum èa vi, quam ANNA Regina in animum Regis etiamnunc exercebat, copulata, tanti fuerunt ponderis, ut ſine mora, manus operi juſſu Regio admoveretur; Quibus verò id negotii fuerit commiſſum, vel qua ratione id adminiſtraverint, ſibi non compertum eſſe teſtatur Burnetus. (b) Id ſaltem certum eſt, triennio (c) poſt demum illam Verſionem Lutetiæ Pariſiorum (d) inchoatam & Londini perfectam typis impreſſam prodiiſſe.

§. LXXXV. Neque verò unquam feliciorem rerum ſucceſſum aut ſereniora tempora, qui Reformationi favebant, ſibi polliceri potuiſſent, quam eadem hæc, niſi brevi mutata rerum ſcena, repentino caſu in ipſam REGINAM Reformationis fautricem illuſtriſſimam, graviſſima tempeſtas exorta fuiſſet, quippe quæ eodem hoc anno varium & mutabile Regis ingenium triſtiſſimò fato debuit experiri.

Exſpiraverat circà hujus anni initium d. 8. Januarii (quod Anglis ad A. 1535. refertur) ætatis anno quinquageſimo, Catharina Arragonia, poſtquam ultimis ad Regem literis (e), iisque accuratiſſimè ſcriptis, Mariam illi, communem Filiam commendaſſet, fœ-

(a) BURNET. l. c. p. 112.
(b) BURNET. l. c. p. 112.
(c) De quo deinceps §. XC. diſpiciemus. & BURNET. Hiſt. Ref. Lib. III. pag. 140.
(d) Conf. SLEIDAN. Lib. XII. fol. 140.
(e) BURNET. lib. cit. fol. 110.

fœmina, probitatis, ſeveritatis, caſtimoniæ laudibus conſpicua, ſed propoſiti valde tenax, & ad verſatilem Henrici animum ſibi devinciendum nullis artibus aut dotibus inſtructa.

Anna autem Regina, tametſi illa Catharinæ morte ſupra modum exhilarata (a), atque tot ingenii longe hilarioris illecebris adjuta, diu tamen retinere Henrici favorem atque amorem aut explere non potuit, gravius longè malum quoque paſſa, quaſi ejus ſatietas ſimul cum odio illum cepiſſet. Ea menſe Januario prolem maſculam enixa erat, ſed mortuam. (b) Sunt, qui putant, primam inde ortam Regis averſionem, quippe qui non minus ſiniſtrè de ſecundo hoc matrimonio, ex infelici hoc eventu judicare inceperit, quam de priore, ex filiorum ſuorum obitu judicaverat;

Ut verò ſe res habeat, cum Regina confœderationi cum Proteſtantibus Germaniæ ſanciendæ cumprimis faveret, in odium Pontificiorum tantò magis incurrit, quantò hi infenſiori in Lutheranos omneſque Evangelicos erant animo; Amare autem Rex jam ceperat, Virginem prorſus formoſam (c), moribus inter ſeveram Catharinæ gravitatem & jucundam Annæ hilaritatem medium ſervantem, *Johannam Sancti Mauri*, ſeu, ut vulgo nunc dicitur, *Seymouriam*. Quod, cum odorarentur, & ſimul alieniorem jam ab Anna animum perſpicerent Pontificii; Hi, & inprimis Dux Norfolkiæ, veteris ſuperſtitionis tenaciſſimus, atque Steph. Gardinerus, eorumque contribules, Regis pectus criminoſis in Annam ſuſpicionibus implere, atque eò calumniarum progredi, ut eam criminarentur, quaſi non tantum ab aliis adulterio, ſed & à Fratre pollueretur inceſto. (d) Suggerebant inſuper ſpecioſam Regi certæ utilitatis rationem. Nam, quum neque

(a) BURNET. lib. cit. fol. 110. *Regina vero Anna non adeò decenter ſe geſſit ſuper hac morte, nimiam namque tum geſtibus tum ornatu præ ſe ferebat lætitiam.*

(b) BURNET. lib. cit. fol. 112.

(c) BURNET. l. c.

(d) Burnetus totum negotium maxima fidelitate ex authenticis Literis & Actis eorum temporum eruit, atque, ne minima quidem circumſtantia omiſſa, ſive ea in favorem Reginæ, ſive contrà faceret, excuſſit l. c. à fol. 112—118. ipſiusque Annæ innocentiam luculenter evicit.

neque ex Anna, quæ abortum nuper fecerat, plus quam unicam haberet Filiam, quumque minus legitima insuper existimaretur, ab his, ex Catharina tanquam in incesto, ab illis, ex Anna tanquam in adulterio genita, Henrici proles; Si nunc, illa mortua atque hac sublata, aliam duceret, liberos erat suscepturus nulli omnino controversiæ obnoxios.

In turrim ergo, præcipitato prorsus Regis, ad quod à natura pronus erat consilio, nihil exspectans tunc minus, subitò abducta est Anna, & inimicis quasi dedita, nec unquam deinceps in Regis conspectum admissa. Crimina nullis argumentis fuerunt probata. (a) Et Ipsa constanter, etiam in extremis, sed & Amatores ejus, ut dicebantur, qui & ipsi fuerunt arrepti ac supplicio affecti, de innocentia sua sanctissimis modis Deum sunt testati. Unum excipio *Smetonium* Musicum (b), qui ter se cum Regina concubuisse confessus traditur, sed quem coram ipsa nunquam audiverunt Judices, & ne ut testem quidem publicum adversus eam adhibuerunt. Nec dubitant Angli scriptores (c) spe veniæ illi facta, quæ tamen hominem frustrata est, inductum, ad id, ut quæsitum profiteretur crimen. Certè Norrisius, Reginæ cubicularius, ad idem faciendum eadem spe excitatus, è contrario affirmare perseveravit, se bona fide credere, Reginam ejus criminis, cujus secum & cum aliis perpetrati accusaretur, innocentem. Fratrem, qui visus aliquando fuerat inclinato tantum in Reginæ lectum corpore, ut solent aliquid in aurem jacentis insusurrantes, accusavit Uxor, sed pessimæ indolis mulier, quæ & ipsa postea propter flagitia, cum quinta Henrici uxore, Catharina Houwartha, pariter perpetrata, pariter quoque capitis supplicium subiit.

Non tamen plane extra culpam fuisse, dici potest Anna (d), si con-

(a) Conferri hic merentur quæ à STRYPIO in Memoriis Ecclesiasticis Lib. I. cap. 36. Vol. I. fol. 279. seqq. sunt allata ex Gulielmi Kingstoni, Præfecti carceris, Litteris identidem ad Cromwellum scriptis.

(b) Ita brevi compendio rem enarrat. PERIZONIUS in Hist. Seculi XVI. pag. 227. ex Burneto & aliis. conf. *Rapin.* THOYRAZ. Lib. XV. p. 353.

(c) BURNET. l. c. fol. 117.

(d) *Rapin.* THOYRAZ. l. c. p. 355.

confideremus, quam morofo illa & inconftanti effet homini nupta. Nempe, ut animi erat hilarioris, ita liberius quoque cum illis, qui circà erant, loqui folebat. Ea res irritavit quosdam, ut fuum amorem, feu vere, five ex affentatione, ipfi declararent, quod non fatis feverè illa rejecit, fed contra, qui mos eft feminarum, fibi in eo plaudentium, & Filiæ ejus Elifabethæ fuit vel maximè, delectata eo videtur.

Morti ergo addicta eft, ad quam antequam duceretur, ultimis ad Regem literis, quum amores alterius, de quibus fe dudum queftam ait, ut &, quod inimicis jam fuis unice aufcultaret, illi exprobraffet, quumque fe denuò criminum iftorum infontem declaraffet, gratias tamen, fed mordacis facetiæ egit, quod quum antea fe Reginam ex privata feciffet, nunc etiam ut Martyrem in cœlum mitteret. (a) Aft Henricus vel fic, obliterato omni humanitatis fenfu, quafi vereretur, ne non fatis in propatulo effet parricidii iftius caufa, altero ftatim die Johannam Seymouriam duxit uxorem, & Elifabetham Annæ filiam in proximo Parlamento omni fpe & jure fucceffionis (b), æque ac Mariam Catharinæ, excludi, damnationemque Matris confirmari curavit.

Johanna autem *Seymouria* inter Henrici uxores præ ceteris favorem ejus ac benevolentiam fuit affecuta, in eo reliquis felicior, quod amori non fupervixit, ipfique Filium Eduardum VI. in Regno Succefforem enixa eft.

§. LXXXVI. Magnam vero rerum mutationem magna excepit confiliorum mutatio (c), tametfi tanta nequidem, quantam extimefcebant Reformationis fautores, aut præfagiebant Pontificii, injecta fit Reformationis negotio mora, quandoquidem Johanna

(a) Hanc Epiftolam cum ex Bibliotheca Cottoniana ediderit atque documentis fuis ad Lib. III. No. IV. fol 88. inferuerit Burnetus, inde eam depromere, atque huic Volumini No. XXXII. fubnectere juvabit.

(b) Adeò ut publico Senatus Anglicani decreto quoque fit ftatutum, „ perduellionis reos effe omnes, qui vel priora matrimonia, prolemque „ ex illis fufceptam legitimam effe, faterentur, vel proli è Regina Jo„ hanna fufcitandæ juramentum præftare nollent. „

(c) BURNET. loc. cit. fol. 118.

hanna æquè atque etiam Anna, Reformationi favebat, & Doctoribus Evangelicis erat addicta;

Interea tamen, persecutionum æstus in privatos quosdam Confessores (a) ingruebat, qui hoc anno 1536. ad supplicium rapiebantur, quorum jam non inimus numerum.

Cæterum, ut de civilibus circa successionem consiliis nihil referamus; Paulus III. Pont. Rom. qui in Clementis VII. locum ante biennium successerat, sublatis, uti opinabatur, dissidii caussis, Catharinâ & Annâ, opportunum maximè tempus adesse ratus est, ad tentandam altera vice reconciliationem cum sede Romana, successu tamen frustraneo; Rex enim totalem Pontificiæ Auctoritatis abrogationem novo Statuto unicuivis injungere, atque inter alia hoc uti Præfamine (b), „ quod Episcopus Romanus, quem nonnulli Papam vocant, inde à longo „ tempore Verbum Dei obscurasset, quò vanitati suæ, gloriæ, „ avaritiæ, ambitioni & tyrannidi in animas, corpora & bona „ Christianorum velificaret, Christum à dominio in animas hominum, Principes verò à potestate in regna sua excludendo; „ quod in Anglia immensam pecuniæ vim, somniis, vanitatibus, & superstitionibus suis collegisset; Ideò usurpationes „ has legibus abrogatas esse, atque nunc decretum ferri, ut quicunque putatitiam illam auctoritatem amplius vel agnoscere vel „ tueri ausus fuisset in mulctam Præmunire (c) incurreret, omnesque Ministri Regii, quà Politici quà Ecclesiastici sub certis pœnis, in transgressores sedulò inquirerent. „

Huic Statuto, addebatur aliud, quo privilegia, dispensationes, beneficia etsim. hactenus à Pont. Ro. indulta omnia declarabantur irrita, vana & nullius valoris, omnibusque injungebatur, ut,

(a) vid. STRYPE Memorials Ecclesiast. Tom. I. fol. 286. seq.

(b) BURNET. l. c. fol. 120.

(c) Quale illud sit statutum, *Præmunire*, his verbis exponit *Rapin*. THOYRAZ. Volum. III. ipsam pag. 335. *Le statut, qui fut appellé Præmunire, ordonnoit, que si quelque sujet du Roi portoit dans une cour etrangere des causes, dont la connoissance apartint aux Juges Royaux, il seroit emprisonnè, & son bien confisqué au profit de Roi.* cf. p. 376.

ut, si quæ haberent eorum Acta, ad Cancellariam Regiam referrent, vel ad Ministros Regios eam in rem constitutos.

Brevi post, die videlicet vicesimo tertio mensis Junii, in Conventu Ecclesiastico, Domus inferior (a) sexaginta septem articulos adversus hæreticos ita dictos cum veteres tum recentiores proferebat, eosque ad Domum superiorem referebat, atque ut effrenis illa quidvis adversus receptam Ecclesiæ & Canonum doctrinam proferendi coërceretur licentia, efflagitabat, quæ tamen omnia insidiose admodum effingebantur ad traducendum novos, uti appellabantur, concionatores atque ut, si pote, Cranmero, Shaxtoni atque aliis Reformationis patronis (b) labem affricarent, eorumque conamina Reformandi sufflaminarent; Arbifrabantur autem commodam hanc occasionem sibi datam esse, quod Regis animum à Cromwello, Cranmero atque aliis, qui Annæ Boleniæ adhæserant, alienatum esse suspicabantur: Neque tamen ea res ipsis ex voto cessit; Cromwellus enim post paucos dies, ad supremum Auctoritatis Ecclesiasticæ fastigium evectus, Regis locum tenens (c) declarabatur; Cranmerus autem favore Regis inviolato gaudebat, & reliqui, uti perversis illis Pontificiorum artibus se opponebant, ita Cromwelli & Cranmeri auctoritate nixi Reformationem urgebant. Certè Cromwellus jussu Regis in eadem Synodo proposuit (d), „velle „Re-

(a) vid. FULLER The Church History of Britain Lib. V. centur. 16. fol. 208—212. & Concil. Magn. Brit. Vol. III. p. 804. seq.

(b) Erant tum Episcoporum quidam *Pro* Reformatione, alii *Adversus* eam

Th. Cranmer. Archiep. Cantuariensis.	Edu. Lee Archiep. Eboracensis.
Th. Goodrich Episc. Eliensis.	Jo. Stockesley Ep. Londinensis.
Nic. Shaxton Ep. Sarumensis.	Cutb. Tonstal Ep. Durhamensis.
Hugo Latimer Episc. Worcestriensis.	Steph. Gardiner Ep. Wintoniensis.
Edu. Fox Ep. Herefordiensis.	Rob. Sherborne Ep. Cicestriens.
Joh. Hilsey Ep. Roffensis.	Rich. Nix Ep. Norvicensis.
Gul. Barlow Ep. S. Davidis.	Jo. Cite Ep. Carlilensis.

conf. FULLER loc. cit. fol. 212.

(c) vid. BURNET. l. c. fol. 121. conf. §. LXXIV. pag. 232. it. *Rapin.* THOYRAZ Hist. d' Anglet. Liv. XV. Tom. V. p. 358.

(d) BURNET. loc. cit. fol. 122.

„Regem, ut ritus & cerimoniæ ecclesiasticæ ad normam Scrip-„turæ Sacræ emendarentur, nec quicquam nisi quod ex Scriptu-„ris comprobari posset, reciperetur vel admitteretur, absurdum „namque esse, potius ad Glossas & Pontificum decreta, quam „ad ipsam Scripturam, quæ sola Religionis leges contineat, re-„currere.„

Adsentiebatur Cromwello *Alexander Alesius*, Scotus, quem tum comitem habebat, quique multis argumentis duo saltem dari Sacramenta, Baptismum atque S. Cœnam, adstruebat.

Est verò tum in duas itum partes, cum alii Eboracensem, alii Cantuariensem sequerentur Archiepiscopum; Priores se Alesio opponere. Posteriores ejus in se suscipere causam. Uti tum egregie (a) de Scripturæ S. præ omnibus Doctoribus Scholasticis auctoritate, itemque de usu Sacramentorum, de Traditionum fallibilitate, de corruptelis per Monachos & fraterculos in Doctrinam Christianam introductis, disseruisse dicitur Cranmerus & qui ab ejus erat partibus Edu. Foxus Episcopus Herefordiæ; Fuit autem totius contentionis is eventus, ut Articuli quidam (b), & circa emendandam doctrinam & circa reformandos ritus Ecclesiasticos conciperentur, quos deinceps à Rege correctos atque approbatos, publica auctoritate Regia in lucem editos, atque à Cromwello, Cranmero, & septendecim Episcopis, quadraginta Abbatibus & Prioribus, quinquaginta Archidiaconis & Procuratoribus Domus Comitiorum inferioris, signatos, ad tempus aliquod recipere debuit Ecclesia Anglicana; Et quanquam in his articulis, minus plena nec ad omnes numeros composita haberetur Reformatio, quippe cum in iis Auricularis etiam Confessio stabiliretur, corporalis in Sacramento præsentia adstrueretur, cultusque Imaginum & Invocatio Sanctorum quodam modo retinerentur; Tamen, quod Sacræ Literæ, fundamentum fidei, spretis Traditionum & Decretorum fabulis & Scholasticorum doctorum tricis, ponerentur, quod imme-

 diatus

(a) BURNET. loc. cit. fol. 22.

(b) Hos articulos ex FULLERO l. c. p. 214. seq. excerpsit BURNETUS l. c. fol. 122. 123. unde eos inter documenta retulimus No. XXXIII. conf. *Rapin.* THOYRAZ. p. 359. 360.

diatus Imaginum & Sanctorum cultus etiam removeretur, & cumprimis, quod Purgatorii nundinatio abrogaretur, id omne in lucro reputandum esse censebant Reformatores, qui hos Articulos, tanquam Anglorum INTERIM considerandos esse judicabant, usque dum serenior dies (a) sereniorem doctrinæ spargeret lucem, uti iidem non poterant non esse sudes in oculis Pontificiorum, omniumque eorum, qui Papalibus næniis dediti, omnem planè doctrinæ immutationem respuebant, atque jactam hanc primam Reformandæ doctrinæ aleam sibi maximoperè infestam opinabantur.

§. LXXXVII. Sed prolatum est eopse tempore atque Regi exhibitum eximium quoddam Scriptum, adversus Papæ Romani citationem ad Concilium Oecumenicum Mantuæ celebrandum, quam Edu. Foxus Ep. Herefordiensis, tanquam Henrico Regi insinuatam, Synodo obtulerat; In eo Scripto gravissimis rationibus ostendebatur, „ quam Rex Papali ejusmodi Concilio „ ejusque Decisiòni se submittere nullo modo posset; quippe „ cum, nec Papæ, nec Cæsari nec ulli Regi aut Principi sigillatim, cujuscumque dignitatis esset, ea Potestas competeret, „ atque auctoritas, absque cæterorum Principum Christiano- „ rum consensu; „ Idem illud Scriptum (b) à Synodo approbatum atque signatum à Cromwello, Cranmero, quatuordecim Episcopis, & quadraginta Abbatibus & Prioribus & Clericis Synodi Cantuariensis, Regique exhibitum, illam deinceps protulit commemorabilem Declarationem (c) quæ A. 1537. & Regis & Procerum Regni Anglicani nomine prodiit, cujus summa huc redit;

(a) BURNET. l. c. fol. 124.

(b) Conf. BURNET. l. c. fol. 124. 125. qui & in Docum. ad Lib. III. No. V. illud scriptum exhibet, unde illud depromtum & Num. XXXIV. Documentis nostris insertum legitur. conf. Concil. Magn. Brit. Vol. III. fol. 808. 809.

(c) De qua SLEIDANUS Lib. XI. fol. 189. b SARPIUS in Hist. Conc. Trid. p. 72. SURIUS in Comment. rer. a. 1500. gestar. p. 304. & alii. Integram autem declarationem Wittebergæ A. 1537. apud Johannem Luft impressam, sibi à doctissimo SCHELHORNIO communicatam, Bibliothecæ Bremensi inseruit Cel. Th. HASÆUS Class. V. p. 507. & seqq. unde eandem depromtam Documentis nostris inserere voluimus Num. XXXV.

redit; „ Concilium à Pontifice convocatum esse, cujus ille rei „ potestatem non habeat, & convocatum esse quo tempore bellum ardeat Cæsaris cum Rege Galliæ, & Mantuæ designatum esse locum, quò non omnibus venire tutum sit neque „ commodum; Se quidem ex animo cupere Concilium Christianum, sed ad Pontificium minimè venturum esse, neque legatos etiam missurum: Nam hoc illis esse proprium, ut sui emolumenti causa, & Christum & veritatem in ejusmodi conventibus opprimant; Nihil verò sibi cum Episcopo Romano esse „ commune, nec illius edicta magis ad se pertinere quam cujusvis alterius episcopi: De Cæsaris atque Regum auctoritate „ convocari solita esse Concilia: hunc sanè morem esse recuperandum hoc præsertim tempore, quando tam graves habeat „ accusatores Pontifex, neque tamen absque vitæ periculo reprehendi possit & accusari coram, nisi legitimum habeatur „ concilium: Non etiam sibi suisque cautum esse fide publica, „ &, ut cautum sit, tamen obstare manifesta pericula, cur non „ veniat; etenim, ut fidem fallant, & innocentum cruore sese „ respergant atque polluant, non esse pontificibus inusitatum, „ &, ut aliis eò venire sit integrum, sibi tamen gravissimis de „ causis non esse, cui pontifex tendat insidias, quem oderit acerbissimè, & in summum odium apud alios reges adducere „ conetur, non alia profectò de causa, quam quod ipsius profligata sit è suo regno tyrannis, & annui census sublati; quam „ sanè rem indignissimè ferat, eòque magis quod metuat, ne „ ceteri Reges exemplo suo moniti, idem aliquando faciant: „ Nunc etiam ad calendas usque Novembres prorogatum scilicet esse concilium, neque tamen adscribi, quo loco sit habendum, & in Mantuæ principem conferri culpam; annon „ hoc sit, orbem terrarum ludificare? Mantuanum certè nihil „ peccare, qui suam urbem tantæ hominum multitudini nolit „ absque præsidio committere, sed in ipsum unum esse rejiciendum omnem culpam, qui nihil agat sincerè sed omnia fraudulenter, & captiose: quod si jam aliam forte concilii sedem „ constituet, futurum, ut aut alicujus Principis, qui sit ipsi devinctus, aut suæ ditionis urbem aliquam designet: peram-

„ plam enim habere ditionem & tenere pulcherrimas urbes, quas „ & ipſius majores per vim atque dolum occuparint, & ipſe „ mala fide poſſideat: cum autem de vero Concilio plerique „ omnes judicio præditi deſperent, optimum ſibi videri, ſiqui- „ dem in ſuo quisque populo magiſtratus, religionem emendet; „ quod ſi conſuetudinem forte pontifex objiciat, id nullum ha- „ bere locum, nam & Cypriani teſtimonio, conſuetudinem, quæ „ veritate nulla nititur, aliud nihil eſſe quam errorem invetera- „ tum; Suum igitur hoc eſſe conſilium, ut ante dixerit, eam- „ que ſibi videri commodiſſimam rationem, qua ſi quis aliam „ habeat meliorem, non ſe recuſaturum. „

Scripſerant enim in eandem fermè ſententiam quoque ad Regem d. VII. Kalendar. A. 1537. Principes Smalcaldici Fœderis, ipſique ſuam publicè editam Apologiam, quare Concilio Papali Mantuæ indicto, intereſſe non poſſent, cum adjuncta Petitione, ut Cæſar liberum Concilium indiceret, mittebant, Ejus imploraturi conſenſum; In ea Epiſtola (a) inter alia dicunt, „ quod „ Indictio illa Papalis ſit iniquiſſima, & inſidiarum ac periculi „ plena, quod qui illam recipiunt, aſſentiantur omnibus ante hac „ jam factis Judiciis de doctrina Evangelica, ſine ulla cognitione „ aut examinatione Generalis, liberæ & Chriſtianæ Synodi, „ condemnanda &c. ſeque adeò ſui officii eſſe credidiſſe, ut Re- „ gibus & Principibus, ſicque etiam Regi Angliæ ſuam hanc „ animi mentem ſignificarent, ut adverſariorum calumniis & „ aliorum ſuſpicionibus occurrerent. „

§. LXXXVIII. Fuit hoc idem fere tempus, quo *Reginaldus* POLUS illud, de quo jam in ſuperioribus (b) Opus adverſus Henricum Regem adornabat, illudque ad Regem mittebat (c) tum cum Annam Boleniam capite plexam eſſe audiviſſet, atque ſpem Regis animum Pontifici iterum lucrandi ſuſcepiſſet; Opus, quod

(a) Edidit hanc Epiſtolam ex autographo BURNETUSi in Tomo III. Hiſtor. Ref. Anglic. inter Documenta Num. XLVII. fol. 110.

(b) conf. §. LXXVI. pag. 238.

(c) vid. *Regin. Poli* Epiſt. ad Eduard. VI. in SCHELHORNII Amœnit. Hiſt. Eccleſ. T. I. p. 224. & p. 243.

quod rectè notante BURNETO (a), majorem ab auctore ejusque eloquentia, quam eruditione vel ratiociniis nactum est celebritatem.

In eo saltem adeò asperè in Regem, cujus tunc præter ceteros fruebatur liberalitate, debachatur, ut facilè ubique luculentissima ingenii ejus ex aëre Italico mirum quantum infecti & plusquam novercali in Henricum odio flagrantis, vestigia deprehendere unicuivis extra partes posito lectori liceat; Certè inter alia dicit (b), „Regem qui se Caput Ecclesiæ Anglicanæ „venditet, factum esse supremum caput ecclesiæ malignantium, „quin imò, ipsum esse caput Ecclesiæ Satanicæ; Inauditam ejus „esse in Pontificios quosdam crudelitatem, quæ Cerbero potius „tricipiti quam Regi conveniret; Regem bicipitem esse, uno „tantum capite à Cerbero qui triceps fingatur vinci. Eum esse „Turca immaniorem, nec de ullo alio quam de Satana ipso tan-„tam crudelitatem probabiliter cogitari posse.„ Varia quoque interspergit ad Angliam in Regem suum concitandam (c), ipsumque Cæsarem, ut in Regem potius quam in Turcam arma convertat exhortatur (d): Annam Boleniam appellat Jesabel, ipsumque Regem Achabo & Nebucadnezari comparat, eumque Nerone ac Domitiano sæviorem deprædicat; Cæterum, quod ipsam adtinet, quam agere vult causam, is nullo utitur argumento (e) quo non sint usi in concludendo alii, neque ullum emittit telum, quod

(a) BURNET. l. c. fol. 125.
(b) SCHELHORN. loc. cit. pag. 69.
(c) v. SCHELH. in Historia operis hujus §. XXI. p. 94. & seq.
(d) SCHELHORN. loc. cit. §. XXII. p. 99. & seq. & inprimis p. 102. Sunt autem, qui familiariter Polum norunt, qui dicant, ei Evangelii doctrinam probè fuisse cognitam; Quod autem in Henricum Regem ita scripserit, causam esse putent, ut suspicionem evitaret Lutheranismi. Librum verò sumtu suo curavit Romæ procudi, sicuti ferunt, & ad se receptis omnibus exemplis, Pontifici tantùm atque Cardinalibus & intimis amicis legendum dabat, nam & illis probare sese volebat, & simul verebatur, ut est credibile, ne si vulgo legeretur, in eorum reprehensionem incurreret, qui longè diversum ab ipso non semel audiissent. vid. SLEIDAN. Lib. XI. fol. 174. b
(e) Ita VERGERIUS in Præf. ei Operi à se iterum edito submissa.

quod non jactum sit à reliquis qui papatum defenderunt. Ornamenta quædam affert, non sententiarum, quæ pondus afferant conclusionibus, sed verborum è sophistarum officinis, quæ aures impleant, non satisfaciant mentibus eorum qui legunt, & ea ipsa adhibita sunt, ut magis exercitationis cujusdam juvenilis videantur quàm seriæ actionis.

Neque igitur mirum, quod REX tantoperè irritatus iniquissimo, isthoc Poli scriptum acerbis & ignominiosissimis criminationibus scatens, tulerit animo: At verò is prius tamen dissimulare dolorem (a), atque ad Polum, ut in Angliam reverteretur scribere, utque nonulla libri sui loca planius exponeret hortari, & blandissime cum Polo agere: Sed, cum byssinis verbis apud eum nihil effici animadverteret, tum, primò injuriam atrocissimo sibi scripto illatam calamo vindicandam curabat, eumque in finem Cutberto Tonstallo, tum Dunelmensi, & Johanni Stockeslæo, Londinensi Episcopo, ut suarum actionum vindicias adornarent, imperat; deinceps ipsum Polum perduellionis reum declarat, omnia ejus bona fisco addicit, quinquaginta aureorum numùm millibus in ejus caput (b) præmii loco constitutis, familia interim & cognatis ejus Regis indignationem ferentibus, dum simul ex unius Poli conatibus (c) Rex dijudicabat, quænam esset voluntas ceterorum per regnum suum Ecclesiasticorum, sicque facile inducebatur, ut, eorum quilibet peccasset, ultimo in eos supplicio animadverteret, quò simul hostes certissimos è medio tolleret, & reliquos eorum pœna conterritos facilius in officio contineret. Quod verò illas concernit Vindicias à Tonstallo & Stockeslæo adornatas, illi perinsignem ad Polum scripserunt Epistolam, tanta cum ingenii dexteritate, tantaque cum argumentorum soliditate, ut si quis integrum Poli volumen cum ea solummodo con-

(a) Id ipse testatur POLUS in Ep. ad Eduard. VI. apud Schelhorn. loc. cit. §. XXV. pag. 218. 219. conf. SCHELHORN. in Historia ipsius hujus Operis §. XV. pag. 70. & §. XVII. pag. 75. BURNET. loc. cit. p. 126.

(b) SCHELHORN. l. c. p. 88.

(c) GOODWIN. in Annalib. rer. anglic. sub Henr. VIII. Eduardo VI. & Maria Lib. I. p. 218.

conferat, facile pateat, unicam hanc Epiſtolam (a) integro volumini longè præferendam eſſe; Quæ tantò magis eſt notabilis, quod hi ceteroquin ita Romanæ Eccleſiæ eſſent & manerent addicti, ut Reformationem usque ad extremum vitæ halitum fuerint abominati, vehementerque dum ipſis licebat in Evangelicos ſævierint (b); Cæterum quando Burnetus (c) etiam *Gardineri* librum de Vera Obedientia tum editum refert, quaſi & ille Polo fuiſſet oppoſitus, in eo virum eximium falli (d) certum eſt, cum Gardineri opus jam A. 1535. eſſet emiſſum, neque unicum fere in ejus libro, de Polo, aut de hoc ejus Opere legatur verbum; *Polus* autem Opus equidem jam impreſſum ſed nondum tamen in lucem editum, A. 1536. Anna Bolenia jam ſublata, privatim ad Regem miſit, uti vidimus.

Interea tamen commemorari meretur STARKII Epiſcopi Durhamenſis ad Polum, eandem in rem data Epiſtola (e), quâ admodum vividè & injuriam Regi factam & vim veritati illatam, Polo exprobrat: Uti inter alia: „ Nec tibi Pole ita imponas, ut „ cum tuearis hanc Pontificis auctoritatem, negotium Chriſti „ te agere putes. Ego certè vereor, ne dum hoc agis, Chri„ ſtum plane deſeras. Quid enim aliud eſt, Chriſtum deſerere, „ quam legitimo Principi, qui in bonis artibus te liberaliter „ educavit, in honeſtiſſimis mandatis non obtemperare? Quid „ dulciſſimæ Patriæ, quæ te aluit, operam tuam denegare? Pa„ rentibus & chariſſimis amicis humani hominis officia non præ„ ſtare? At dices, & Princeps & Patria Chriſtum deſeruere. „ O Pole, quam inſanis, ſi propter unum Pontificem deſertum „ nos Chriſtum deſeruiſſe arbitrére. Ego profecto ſpero fore, „ ut, poſt hanc à Pontifice defectionem, arctius Chriſto hærea„ mus. „

(a) Exhibetur hæc Epiſtola in appendice Vitæ Eraſmi Roterodami ab Samuele Knighs Anglicè deſcriptæ, eſtque excerpta à Doctiſſ. SCHELHORNIO loc. cit. p. 76—86.

(b) Conf. SCHELHORN. l. c. §. XVIII. p. 86. 87.

(c) BURNET. l. c. fol. 126.

(d) SCHELHORN. l. c. pag. 33.

(e) Legitur hæc Epiſtola inter Documenta ad STRYPII Memor. Eccleſ. Tom. II. Num. XXX. fol. 190—198.

§. LXXXIX. Hoc fere tempore in lucem prodierunt Mandata, à CROMWELLO, Regis Locum tenente ac Vicem-gerente Ecclesiastica, tantò notabiliora, quod in iis primum haberetur Statutum supremæ Auctoritatis Regiæ: In prioribus enim, vel statutis vel ordinationibus, vel definitionibus, semper accesserat Synodi consensus (a). Jam verò nuda & sola Cromwelli vicem Regis sustinentis, aderat Auctoritas (b); Summa eorum hæc est (c).

Ut I. Omnes beneficiorum Ecclesiasticorum Possessores quadrimestri proximè sequenti, singulis diebus Solis, postmodum verò bis in quovis quadrimestri populo notificent, Pontificis Romani hactenus usurpatam potestatem nullum habere in lege Dei fundamentum, proin meritò in hoc Regno abrogatam esse: Regi verò Jurè divino supremam in omnes regni sui subditos potestatem competere. Ideoque omni studio & conatu in id incumbant, ut Pontificis auctoritas extirpetur, Regis verò stabiliatur.

II. Ut articulos nuper editos & à Synodo approbatos (d) plebi proponant, eique, qui articuli sint fidei, & qui saltem inserviant servando in Ecclesia ordini, significent.

III. Ut Articulos, de abrogandis superfluis feriis nuper sancitos, maxime tempore messis, proponant.

IV. Ne in posterum Imagines vel Reliquias superstitionis vel lucri gratia extollant, neque plebem ad suscipiendas peregrinationes religiosas hortentur, quasi ab hac vel illa imagine benedictiones vel alia commoda impetrari possint. Potius populum ad observationem mandatorum divinorum & opera charitatis cohortentur, illique persuadeant, majorem se Deo cultum præstare, si domi manentes familiæ suæ prospiciant, quam si tempus peregrinationibus impendant, & præstare, nummos pauperibus erogare, quam ejusmodi rebus impendere.

V. Po-

(a) Ita BURNETUS l. c. fol. 128.

(b) Est tamen credibile Cranmerum Archiepiscopum illas inflasse tibias, esseque hæc statuta ab ipso adornata. BURNET. l. c.

(c) Ipsa statuta à Burneto Documentis ad Lib. III. Num. VII. sunt inserta fol. 91. 92. conf. *Concil. Magn. Britann.* Vol. III. fol. 813. 814.

(d) vid. §. LXXXVI. p. 263.

V. Populum hortentur, ut liberos Orationem Dominicam, Symbolum Apostolicum & Decalogum, Anglicè doceant: ac quivis beneficii Ecclesiastici possessor, singulis diebus articulum explicet, donec populus eorum notitiam sit assecutus, prætereà operam dent, ut liberi ad honestum aliquod negotium inde à juventute educentur.

VI. Dent operam, ut Sacramenta ritè & decenter in Cœtibus suis administrentur, ipsis verò absentibus curam erudito & experto Curato committant, qui populum in sana doctrina erudiat; quò cuncti perspiciant, Pastoribus, Dei gloriam, & animarum ejus concreditarum curam, majori esse cordi, quam commodum privatum.

VII. Ne tabernas vel cauponas, nisi ob causas prægnantes frequentent: neque post captum cibum lusui nimium indulgeant, sed studio Scripturæ Sacræ, vel honesto alicui exercitio vacent, memores, se puritate vitæ aliis prælucere debere.

VIII. Quandoquidem bona Ecclesiæ sunt bona pauperum, quivis beneficii Ecclesiastici possessor, qui viginti libras vel plures accipit, nec in loco residet, singulis annis quadragesimam (a) beneficii partem inter cætus sui pauperes distribuat.

IX. Quivis beneficii Ecclesiastici possessor centum libras quotannis accipiens, sumtus ad alendum in universitate scholasticum suppeditet: qui absoluto studiorum cursu, Muneri cuidam publico in Ecclesia præficiatur.

X. Ubi functio quædam ecclesiastica, vel Vicarius aliquis detrimentum aliquod acceperit, possessor beneficii Ecclesiastici singulis annis quintam reditus sui partem, resarciendo damno impendat, donec in pristinum sint redacta statum, in quo postmodum ea conservet.

XI. Cuncta hæc mandata sub pœna suspensionis vel confiscationis redituum observentur.

Hæc Statuta (notante BURNETO (b)) nec Clericis corruptis,

(a) Non *quartam*, uti vitiosè habet Versio Burneti Latina.
(b) BURNET. loc. cit. fol. 128. b

nec Laicis veteri doctrinæ adhærentibus, grata erant; Eædem opiniones de peregrinationibus, Imaginibus, Sanctis defunctis & Instructione populi in principiis Religionis lingua vernacula, propter quos Lollardi non ita pridem vel combusti vel ad palinodiam redacti fuerant, Regis nunc jussu & auctoritate stabiliri videbantur: Inde colligebant, Regem quidem de conservanda veteri doctrina multum promisisse, sed ea frigide servare. Clerici maxime dolebant, quod talia sibi præscriberentur à Rege mandata, absque consensu Synodi, atque inde se in posterum mancipia Vicarii Regii futuros esse conjiciebant. Ægrè ferebant, quod emolumenta ex Imaginum, Reliquiarum & Peregrinationum cultu redundantia sibi aufferrentur, & ex opposito tributa gravia ipsis imponerentur; de quinta parte pro reparationibus, decima pro stipendio in pauperes vel studiosos, de quadragesima pro eleemosynis eroganda etsim. quæ cuncta ipsis videbantur intolerabilia: In primis cum labores viderent multiplicatos, & semet ipsos ad vitam severiorem obstrictos, luxui autem ac libidini modum impositum.

Hæc igitur & similia, quod scilicet alienata essent & abrogata Monasteria, quodque vererentur, ne ulterius quoque Reformationis limites extenderentur & Lutherana dogmata vel sibi præscriberentur à Rege, vel publice saltem admitterentur, id effecerunt, ut Monachi & quotquot Cerimoniis Romanis erant addicti, fortunam Rebellionis tentarent, variis in locis, cumprimis in comitatu Lincolniensi (a), itemque in regionibus ad septentriones porrectis, & Provinciæ Eboracensis partibus Scotiæ vicinis, magna animorum conspiratione arma capientes, sub specioso defendendæ Fidei, restituendæ Ecclesiæ, conservandæ Familiæ Regiæ, & extirpandæ hæreseos titulo. Et, cum Septentrionales collecto satis magno exercitu, sibi Tumultus Ducem elegissent, Askum, hominem magnæ auctoritatis, & qui rebus gerendis par erat, omnem illam Expeditionem ita susceperunt solemniter, ut Sacerdotes cruces manibus gestantes exercitui præirent, in vexillis Crux cum quinque vulneribus & calice depingeretur, quin imò ut in manica quisque sua gestaret tesseram, Symbolum quinque vul-

(a) BURNET. l. c. fol. 129.

vulnerum Christi cum nomine Jesu; Qui verò cruces & sigilla sequebantur, juramento asseverabant, „ se *Peregrinationem* hanc „ uti appellabant *Gratiæ*, non, nisi pro gloria Dei, conserva- „ tione Regis & prolis Regiæ, corrigendis Nobilibus, & è me- „ dio tollendis malis Consiliariis, suscipere, non autem ob com- „ modum privatum, vel, ut injuriam alicui inferrent, vel ut „ ex odio quempiam interficerent, quippe cum nihil aliud quæ- „ rerent, quam Crucem Christi, ejus Fidem, Ecclesiæ resti- „ tutionem & hæreticorum hæresiumque suppressionem. „

Interea tamen ubique oppressi, brevi ideò, partim vi & minis, partim promissa venia & amnestia publica, ad officium redierunt tumultuantes, siquidem Rex ad eorum postulata hunc in modum responderet: „ Quod ad fidei eversionem, quam exti- „ mescebant, se in fidei Christianæ defensione (a) ad ultimum „ vitæ halitum perseveraturum. Ignarum autem vulgus minimè „ decere, Regem suum, quæ vera sit fides, docere, vel ab „ universa Synodo approbata corrigere. Se hactenus libertatem „ Ecclesiæ Anglicanæ tuitum fuisse & tuiturum deinceps. Do- „ lere autem se perquam vehementer, quod malint unum vel „ alterum barbarum reditibus & beneficiis Monasteriorum frui, „ quò vitam agere possint dissolutam & abominandam, quam „ ad Regem illos reditus redundare, ad faciendos sumtus in rem „ militarem adversus Reipublicæ hostes exteros; Leges verò „ quod adtinet, summæ esse arrogantiæ, rudem plebem, quæ „ salutares sint vel minus, decernere, quasi ipse viginti octo „ annorum spatio de illis melius judicare non didicerit. Regi- „ men porrò suum ita se administrasse, subditos in pace & æqui- „ tate conservando, adversus hostes exteros defendendo, limi- „ tibus de securitate prospiciendo, subditis multoties veniam „ atque gratiam largiendo, ut parem regni administrationem „ sub decessoribus vix ostendere queant. . . . . „ Mirum deinceps sibi videri, quod ipsi, rerum ignari sibi ima- „ ginentur, se de consiliariis suis ipso Rege & Senatu melius esse „ judicaturos. . . . . Neque ullius esse momenti, que- „ relas ipsorum adversus nonnullos Præsules, quasi contra fidem

(a) BURNET. l. c. fol. 131.

„ catholicam concionarentur, id enim, ipſis longè diſtantibus, „ nec conciones illorum frequentantibus, non niſi ex aliorum „ relatione conſtare. „ Tandem cum expoſtulatione concludit, ac amorem erga ſubditos eſſe tantum aſſeverat, ut hanc ſeditionem ignorantiæ potius ac imprudentiæ quam malitiæ & invidiæ tribuere, hinc clementer ignoſcere velit, quemadmodum ex ipſa promulgatione ſint percepturi;

Eo facto, atque ſeditione utcunque compoſita, dum ſeditioſis injungebatur (a), ut ante 1. omnia promiſſionibus & juramentis tumultus tempore præſtitis, revocatis, Regis Clementiam flexis genibus implorent, 2. Regi ejusque hæredibus & ſucceſſoribus fidelitatem jurejurando ſpondeant, 3. Statutis Parlamenti ſub hoc Rege ſancitis obtemperent. 4. absque Regis auctoritate arma non capiant. 5. in ſeditioſos manus injiciant. 6. Monachos, Moniales & Fraterculos, Cœnobiis dirutis reſtitutos, denuo removeant, & denique Tumultuantium Duces primarios, Askum & Darcyum Regi tradant.

Rex ſuperiòrem illam quam ſuſceperat, quæque, durantibus his turbis intermitti debuerat, redintegrat Viſitationem Abbatiarum: Tum verò, majores Abbates, plerique inviti quidem, ſed ſibi malè conſcii & metuentes, quidam verò etiam ultrò & lubentes, ſuas dimiſerunt A. 1537. 1538. Abbatias, & ſolenniter in Regem transtulerunt, quod ipſum dein à Parlamento 1539. eſt confirmatum; Certè, quod centum quinquaginta novem reſignationes anno 1538. qui erat Regni triceſimus, in Indicem fuerint relatæ, teſtatur Burnetus, addens quod de iis Autographa 155 adhuc ſuperſint. (b) Et fuerunt illæ Reſignationes quamplurimæ ita factæ ut ſimul vitæ flagitioſæ & diſſolutæ adderentur Confeſſiones (c); In-

(a) vid. BURNET. l. c. fol. 132.

(b) BURNET. l. c. fol. 134. qui & in Documentis ad Lib. III. Num. 3. Sect. 3. fol. 82. ſeq. Nomina domuum reſignatarum refert.

(c) vid. BURNET. l. c. fol. 133. Cæterum Confeſſio Prioris Ordinis *Benedicti* Sancti *Andreæ* in Comitatu *Northampton* eſt notabilis, quod ea continet flagitia, ob quæ, propria ipſorum Confeſſione, ab inferno deglutiri meruiſſent; Fatentur enim, ſe cultu divino neglecto, in vanitate, ingluvie, deteſtando cum beſtiis coitu, aliisque flagitiis, vitam egiſſe: Pro-

Inter hæc d. 12. Octobris A. 1537. nova Henrico exſurgit proles maſcula ex Johanna Seymouria, cui nomen EDUARDI in ſacro baptismate imponebatur, Et, quanquam minus felicia viderentur nativitatis ejus auſpicia, quippe cum Regina mater (a) ex difficili partu, biduo poſt, ſpiritum daret, maximo cum Reformatorum luctu, ſiquidem illa non minus ac Anna Bolenia Proteſtantibus faverat. Tamen, quam fortunatus ille partus eſſet, eventus apprime docuit, quando Eduardus, ætate licet puer, at ſapientia ingenio & virtute ſenex, ad regni Anglicani habenas admotus, brevi tempore totam Eccleſiam Anglicanam reformavit, & à commentis Pontificiis purgavit atque puriorem religionem publicè introduxit. Henricus autem Rex tanto magis exhilarabatur, quod hæredem regni jam haberet, omni exceptione majorem, quem eapropter brevi poſt, *Principem Walliæ* appellabat, uti ejus avunculum, Johannæ reginæ fratrem *Eduardum Seymourium*, Comitem *Hartfordiæ* declarabat. Quamvis etiam vel ita non deeſſent, qui novis moliminibus ut Papismo ſuccurrerent, utque Papam Regi reconciliarent, annitebantur; Inter quos uti Steph. Gardinerus, Ep. Wintonienſis, qui nuper ex Gallia, ubi aliquot annis legatione functus erat, redierat, nomen habebat, ita haud ullam prætermittere occaſionem, quò Regem ad puniendos qui Zwinglii ſententiam ſequerentur, incitaret, quippe quos & Proteſtantibus (b) in Germania, ſub nomine Sacramentariorum inviſos eſſe, Regi inſinuabat, & reliquis ob negatam Chriſti corporalem in S. Cœna præſentiam periculoſiores eſſe ingeminabat.

Eodem hoc anno etiam Regno SCOTICO, quædam, eminus tamen, illuceſcere videbatur, Reformationis ſpes & Veritatis Evangelicæ gratia, quando JACOBUS V. Scotiæ Rex, *Magdalenam* Franciſci Galliarum Regis filiam natu majorem in matrimonium ducebat; Ea enim, uti ſub *Margaretæ* amitæ, Regi-

Pronti ejus Exemplum à *Jerem* COLLIERIO eſt inſertum ejus Hiſtoriæ Eccleſ. Magnæ Britann. Ling. Anglic. Vol. II. ex quo excerptum conſignavit auctor *Biblioth. Anglicanæ* Tom. I. P. I. p. 148. 149.

(a) BURNET. l. c. fol. 140.

(b) BURNET. l. c. fol. 141.

Reginæ Navarrenæ diſciplina erat educata, ita non alienum à *Reformata Doctrina* gerebat animum, ut hoc matrimonium Religioni per Scotiam inſtaurandæ videri poſſet proficuum: At verò, quod ſpes illa non eſſet diuturna, ipſa Reginæ mors edocuit, quæ febre hectica conſumta ad Nonas Julii ejusdem anni deceſſit, cum ingenti omnium præterquam Sacerdotum (a) mœrore, quod eâ vivâ formidabant, luxui ſuo ac libidini modum impoſitum iri. Et ſunt eodem tempore quinque ſimul, quorum duo Dominicani, unus Sacerdos, alter generè nobilis, quintus Canonicus Edinburgi, ante arcem flammis combuſti, quorum Judices erant & Inquiſitores Jac. Betonius Archiepiſcopus S. Andreæ, Johannes Major, Petrus Chappellanus & fratres Franciscani.

Ne verò, ut in Angliam revertamur, populus illas Abbatiarum abolitiones iterum indignè nimis acciperet, palam omnium expoſitæ ſunt oculis religioſæ monachorum fraudes (c), dum Statuæ pleræque per quas illæ fieri fuerant ſolitæ, Londini in periſtylio Sancti Pauli coram plebe confringebantur, atque alibi combuſtis præſtigiarum inſtrumentis, infandæ Monachorum impoſturæ detegebantur:

Imprimis autem Thomæ Becqueti (d), Cantuarienſis quondam Epiſcopi, in Sanctos dudum relati, & ſuperſtitioſiſſimè præ ipſo Chriſto & Maria iſthic culti, arca opulentiſſima tanto auri pondere, ut duæ inde ciſtæ explerentur, ſpoliata eo fuit & confracta plane; Oſſa ipſius vel cremata vel ſparſa; Ipſe ex Faſtis & Sacrorum dierum breviario expunctus. (e)

§. XC. His rebus omnibus irritatus quam maximè Papa Romanus, PAULUS III. qui primum blanditiis & pollicitationibus Regem ſibi conciliare, & ad Romanæ Eccleſiæ reducere reveren-

(a) BUCHANAN. rer. Scotic. Lib. XIV. c. LII. p. 501.

(b) FOX. rer. in Eccl. Geſtar. fol. 146. conf. Ejusd. Eccleſiaſtical Hiſtory Vol. II. fol. 193.

(c) BURNET. l. c. fol. 136. qui ſimul varia impoſturarum exempla adducit lectu digniſſima.

(d) BURNET. l. c. fol. 137.

(e) Formam proceſſus adverſus ipſum inſtituti habemus in *Conciliis M. Britann.* Vol. III. fol. 835, 836.

rentiam studuerat, sed dein, quum vidisset ista abs se incassum tentari, diris eum devoverat, cujus formulam tamen ante tres jam annos decretam, necdum publicaverat:

Hoc ergo tempore dirissima tandem exsecrationum fulmina (a) in eum vibravit, quibus Anglos vinculo fidei Regi suo juratæ solvebat, vetabatque eum à quoquam pro Rege haberi, aut ullum cum eo & eum sequentibus, exerceri commercium, denunciata etiam Regibus aliis, si secus facerent, pari exsecrationis pœna; Nobiles dein & reliquos Cives monebat etiam, ut arma contra Henricum arriperent; ipsum verò spoliabat Regno, ac Romam citabat, denique Episcopos hanc Devotionem publicè & solenniter in templis recitare jubebat. Ea bulla signata erat d. 30. Augusti A. 1535. ast publicata & nova quadam præfatione insignita d. 7. Decembris A. 1538. Nec satis; Nam mox & Reges alios ad bellum illi inferendum excitare (b) studuit, ipsam imò Angliam Scoto obtulit:

Quando omnis reconciliandi cum Rege Pontificis Romani spes præcisa fuit, cum Romæ non minus meritorium censeretur adversus Henricum arma capessere, quam adversus Turcam, & Reginaldus POLUS (c) apertis verbis, id magis etiam meritorium esse assereret; qui non minus variis libellis atque scriptis Satyricis Romæ typis excusis, Regis, tanquam sacrilegi & infamis Tyranni famam (d) denigrare est annisus, ut mirum non fuerit, quod implacabile adversus Polum Rex susceperit odium, ac in ejus familiam & cognationem tam severum se præbuerit.

Sed facile tamen ac tutò HENRICUS isthæc fulmina ex pelvi contemsit, quum ipse sui Regni Clerus communi decreto istam Papæ potestatem, quam in Reges quoque exercebat, ultro confutaret: Certè Declarationem adversus putatitiam Pontificis

 Ro-

(a) Illam Exauctorationis Bullam inseruit Documentis suis BURNET. Lib. III. num. 9. fol. 93—99. Conf. *Concil. Magn. Brit.* Vol. III. fol. 792. & 840.

(b) BURNET. Lib. III. fol. 139.

(c) POLUS in libro superius citato ap. SCHELHORN. Amœn. H. E. Tom. I. p. 102.

(d) BURNET. l. c. fol. 137. qui testatur Poli stylum in iis opusculis facilè potuisse animadverti.

„ Regem & hactenus id dediffe operam, & impofterum daturum, ut Imagines Deo ignominiofæ & fubditorum animabus noxiæ abrogentur. Qui verò hactenus Imagines ejusmodi vel Peregrinationes religiofas ob lucrum aliquod magnifecerint, illis, ut publicâ teftentur palinodiâ, fe nullo id Scripturæ fundamento, fed vulgari in Ecclefia ab iis, quorum avaritiæ inferviebant, errore deceptos id feciffe, injungendum effe. Porro, deferendos effe, quotquot, vel Lectionem Verbi divini in lingua Anglica, vel mandatorum horum progreffum impedire conentur &c.

Hoc illud nobile Mandatum fuit primarium, quod fub HENRICI Regimine prodiit Reformationis inftrumentum, Neque enim ultrà proceffum eft; Quin potius ab eo tempore omnia ferme in pejus ruere cœperunt, atque Rex Pontificiorum fufurris aurem præbens, multis modis, ne Reformatio in quoddam exfurgeret ædificium, impediebat, multáque leviffimi animi prodebat indicia, nullo fuco oblinenda aut excufanda:

§. XCI. Pontificii enim, quantumcunque in omnibus ad Regis nutum fe componere præ fe ferrent, atque ipfi cæcam quoque præftarent obedientiam, nihil tamen omittere negligebant eorum, quæ Reformationi poffent effe infefta: Certè Gardinerus (quod verbo jam monuimus) cum nihil aliud poffet, Regi fuggerere non ceffabat (a), „ nihil magis adverfus quævis Pontificis molimina atque technas ipfum effe protecturum, quam fi in hæreticos, cumprimis *Sacramentarios* (quo nominè denigrabantur, qui corporalem Chrifti in Euchariftia præfentiam, quam mordicus tuebatur Henricus, negabant) feverè animadverteret, „ ad quod Regem tantò noverat proniorem, quantò minus id ægre laturos prævidebat Principes in Germania Proteftantes, quos & ipfos Sacramentariis infeftos effe arguebat. Sub hoc faltem titulo decreta tunc in eos atque exercita fuit perfecutio, ac Martyrii mortem fubire debuit, eodem hoc anno menfe Novembri, *Johannes Nicolfonus* vulgari nomine *Lambertus* dictus. Quod Martyrium tanto fuit funeftius, quod unius Gardineri peftifero & callido confilio illud perficeretur, non per alios

(a) BURNET. l. c. fol. 141. conf. FOX. rer. in Eccl. geft. fol. 148.

alios magis ministros, quam per ipsos Evangelicos (a), Taylerum, Barnesium, Cranmerum & Cromwellum, qui omnes postea & ipsi eadem ferè Evangelii causa occubuerunt. Est verò notabile, quod cum, Lamberto etiam Rex (b) publicè in Judicio disputans contendere voluerit, uti non minus Cranmerus (c), Gardinerus, Tonstallus, Stockeslæus, atque alii, cum eodem disputationis aleam subierunt, non alio cum eventu, quam ut Lambertus tanquam contumax hæreticus ad rogum condemnaretur, „ quod is illam corporalem Christi in Eucharistia præ„ sentiam negasset, atque ad causam suam tutandam varia quæ„ dam scripto consignasset argumenta, inter quæ & sequen„ tia (d): „

Primum ex ipsius Christi verbis collectum (*Hic calix est novum Testamentum*) fuit hujusmodi: „ Quodsi verba hæc, nec vi„ num nec calicem mutant corporaliter in Novum Testamen„ tum, pari ergo ratione, nec verba quidem de Pane dicta, „ Panem in corpus Christi corporaliter vertere consentaneum „ fuerit. „

Alterum fuit: „ Quod, quum in naturale corpus nunquam „ competat, ut duobus simul locis uno eodemque tempore con„ tineatur, ex eo effici necesse sit, ut Christus aut non natu„ rale habuerit corpus, aut sanè, pro communi corporis natura, „ nequaquam in duobus, nedum in multis simul locis, in cœlo „ puta pariter & in terra, ad dextram Patris & in Sacramento „ illud esse fateamur oportet. „

Tertium denique fuit hoc tale: Corpori, quod verè naturale sit, suæ deesse formæ conditiones & accidentia non possunt; quem-

(a) FOX. rer. in Eccl. gestar. fol. 152.

(b) BURNET. l. c. fol. 142. & FOX. l. c. fol. 150. 151.

(c) Is enim tum dogmati de Carnali præsentia videbatur addictior, usque dum veritati fulgidius illucescenti, se submitteret, & defæcatiorem Reformatorum nostrorum sententiam amplecteretur, quam deinceps singulari tractatu, quem inter reculas meas servo, sub tit. *Defensio veræ & catholicæ doctrinæ de Sacramento corporis & sanguinis Christi &c.* propalavit & defendit.

(d) FOX. rer. in Eccles. Gestar. fol. 147. & *Martyrol. parv. Latin.* pag. 246.

quemadmodum & iis viciſſim ſuæ abeſſe ſubſtantiæ ſubjectaque nequeunt: „ Jam verò, cum in Sacramento nulla ſit corporis
„ Chriſti qualitas, nulla conditio, nullum denique ne leviſſi-
„ mum quidem carnis evidens veſtigium, quis non videt igitur,
„ tranſſubſtantiatum illius corpus in Sacramento non contineri?
„ Contra verò, Panis quæcunque propriæ ſunt conditiones,
„ adjuncta, ſigna & accidentia adeſſe in hoc Sacramento, cerni-
„ mus, quæ alioquin citra ſuam ſubſtantiam conſtare non poſ-
„ ſunt. Panem itaque fateri quoquo modo neceſſum fuerit. „

Quibus verò tum argumentis adverſarii pugnaverint, nequidem opus eſt, ut enarremus, niſi forte ex uno de reliquis conjicere liceat: Erat vero unum illud tale, à STOCKESLÆO Epiſcopo Londinenſi allatum (a): „ Ipſam naturam, quod
„ ſubſtantia una in aliam transmutetur, manentibus accidenti-
„ bus, demonſtrare poſſe; In Aqua enim calida, dum in aërem
„ reſolvitur, ſubſtantiam unam mutari in alteram, accidente,
„ ſcilicet humiditate, manente. „ Quod tamen argumentum, ſi quis aqueum dicere velit ac frigidum, vel potius lymphatum, neminem ſanæ mentis habebit diſſentientem. Et qui his tamen armis cedere nolebat, ut igne ſuam expiaret contumaciam, ferali Regis ac truculenta prorſus ſententia, urgebatur. (b)

Cæ-

(a) BURNET. loc. cit. fol. 142. a FOX. Comm. rer. geſtar. fol. 151.

(b) Non poſſumus tamen non hic adducere Th. CROMWELLI, ad *Thomam Wyat*, Equitem, Regisque in Germania Legatum, verba, ſed Gallicè reddita, in Bibl. Angl. Tom. I. p. 158. Is enim temporum illorum abreptus præjudiciis d. 28. Novemb. 1538. ita illum Lamberti proceſſum nobis deſcribebat: „ Le Roi, par reſpect pour le Saint Sacre-
„ ment de l' Autel, a bien voulu aſſiſter publiquement, dans la Salle
„ de *Weſtmunſter*, au Procès & à la condamnation d' un miſerable here-
„ tique *Sacramentaire*, qui fut brulé le 20 de Novembre, C' etoit un
„ merveille de voir avec quelle gravité, avec quel air majeſtueux, Son
„ Alteſſe exercoit l' Office de Souverain Chef de l' Egliſe Anglicane;
„ avec quel douceur il tachoit de convertir ce malheureux, avec quel-
„ le force de raiſonnement il diſputoit contre lui. Je ſouhaiterois que
„ les Princes & les Potentats de la Chretiente euſſent pû aſſiſter à
„ ce Spectacle. Certainement ils auroient admiré la Sageſſe & le Juge-
„ ment

Cæterum, virum eruditum & pium fuiſſe hunc Lambertum, cum ex Reſponſionibus ad articulos à Warhamo objectos colligitur, tum ex Libro Apologetico, quem pro tuenda ſententia ſua in carcere conſcriptum Regi obtulit, quique inſignem ejus eruditionem & ſubactum judicium ſatis ſuperque oſtendere dicitur. (a)

§. XCII. Vix autem, hoc ſupplicium, Gardineri & reliquorum aſtu perfectum, exſecutioni datum erat, quin omnes è veſtigio Papiſtæ, Regis pro religione ſtudium collaudare & miris modis evehere allaborarent; ejus eruditionem efferentes ac prudentiam, quippe qui ea re omnibus exteris & indigenis abunde declaraſſet, falſò ſe crimine à Papa accuſatum, tanquam fautorem Hæreticorum, & qui non à Papa modo, ſed & ab ipſa Religione, quam defenderat antea, deſciviſſet. Quid? quod nec ipſe à ſemet ipſo efferendo abſtineret, ut ſibi quoque per incredibilem animi impotentiam in illa excarnificandis hominibus unicè deſtinata ſævitia ac feritate applauderet.

Certè, cum in Aula prævalerent Pontificiorum partes, hi nihil eorum omittere, quæ ad Reformationis progreſſum inhibendum, & veterem magis magisque ſtabiliendam religionem, facere poterant.

Sub idem hoc tempus Germaniæ Principes Proteſtantes ab Henrico excitati (b) facta ſolenni in Angliam Legatione, omnem navabant operam, ut eum in ſuam, quæ Reformandæ Religionis erat, cauſam pertraherent: Quam ſubdolè verò cum his actum ſit, & quo ſtatu tum Religio in Anglia eſſet, ex iis quæ jam protulimus conſtat, neque fere recenſeri poſſunt artes omnes atque machinæ, quibus Rex tum à Reformatione promovenda eſt impeditus, accedente cumprimis juſto Dei Judicio, adverſus immania Regis vitia. Tria

„ ment de ſa Majeſté, & ils auroient dit, que le Roi eſt le plus excellent „ Prince du Monde Chretien. Cela s'eſt fait d'une manière fort ſolennelle, & je ne doute pas, que quelques uns de vos amis ne vous en „ inſtruiſſent à fond. „ vid. *Jerem.* COLLIER The Ecclef. Hiſt. of Great Britain Vol. II. in *Bibliotheque Angl.* l. c.

(a) BURNET. l. c. fol. 142. b

(b) SECKENDORF. Lib. III. §. LXVI. fol. 180. a

Tria verò erant, quæ Germaniæ Principes Proteſtantes cumprimis ugebant, *ut* ſibi communio concederetur ſub utraque ſpecie, cultus *deinceps* in lingua vernacula, & *denique* matrimonii à Clericis contrahendi facultas; *Primum*, Verbis inſtitutionis Chriſti diſertis erat innixum; Ad *Secundum* ipſa rei natura eos invitabat, cum non cœcam ſed oculatam à nobis fidem ac religionem requirat Deus. *Tertium* adeò erat neceſſarium, ut ſine eo, nequidem ſancta poſſet manere atque tecta conjugiorum fides & integritas. Ut in his tribus igitur Henricum ſibi haberent adſtipulantem, omnem inſumebant (a) operam, ſed irrito prorſus conamine, quippe cum ipſe Rex acri ſatis Reſponſo Principum Propoſitionem refellere, & veterem circa illa capita ſuperſtitionem defendere anniteretur.

Tametſi magnum quoque ſtudium promovendæ cauſæ, quam Legati tractabant, profiterentur Cromwellus & Cranmerus, id que Cranmerus Literis ad Electorem d. 28. Sept. datis luculenter ſignificaverit, quibus eum egregie collaudatum, hortabatur (b), ut veritatem, quemadmodum cœpiſſet, ad finem usque vitæ aſſerere pergeret; Dum interea non deerant, qui Legatis indicarent, fidendum non eſſe Regis, qui comiter admodum eos excipiebat, blanditiis, &, quod in contrarium animus ejus ab Epiſcopis Evangelio infenſis flecteretur: Rex ſaltem, dimiſſa à ſe Legatione in literis ad Electorem (c) Saxoniæ ſcriptis, ſuam artificio-

(a) Scriptum ampliſſimum quo Legati Proteſtantium, (inter quos & Frid. Myconius erat Superintendens Gothanus, variis à Melanchthone inſtructus literis,) articulos à Rege & Epiſcopis improbatos, nempe de communione ſub utraque, abolenda Miſſa ſacrificatoria, & permittendo Clericis conjugio 5. Aug. 1538. propugnaverunt, & acris Reſponſio Regis nomine Legatis exhibita, addita tamen benignæ dimiſſionis ſignificatione, & promiſſo de ulteriori deliberatione, producta ſunt à BURNETO in Addendis ad Part. I. n. 7. & 8. fol. 252. & ſeqq.

(b) SECKENDRFF loc. cit. fol. 180. b.

(c) Has Literas nobis ex autographo deſcripſit, ſuoque Operi inſeruit l. c. cit. Illuſtris SECKENDORFIUS; qui ſimul obſervat, quam Elec- & Landgravius eopſe tempore Literas dederint ad Regem, purgato- à calumnia, quaſi in ſuis ditionibus locum darent Fanaticis, ſive abaptiſtis, Scriptas d. 1. Sept. 1538. ſtylo Melanchthonis.

ficiosè emollire animi duritiem, nec exiguam spem in futurum ostendere studebat, maximè quod Melancnthonis præsentiam his ipsis literis denuò flagitaret.

§. XCIII. At verò, non solum ab iis in quibus Protestantes consensum ejus expetebant, alienum gerebat animum Rex, sed & A. 1539. ad majora quædam eundem instigabat Dux Norfolkiæ & Gardinerus cæterique Papistæ, prætexentes aliquid certi, quod doceri & recipi deberet, esse constituendum, eumque in finem seligentes aliquot capita, quæ Regem pro veris habere ex ipsius Libro contra Lutherum (a), vel aliunde, sciebant.

Sic tandem prolati tunc in Parlamentum ex voluntate Regis à Duce Nortfolkio, *Sex* illi celebres ARTICULI, qui summam fidei Romanæ (b) continebant, & quos equidem primò à Theologis utriusquè partis ventilandos proponebat, sed mox tamen publico d. 28. Junii Edicto addita quoque pœnæ capitalis in transgressores sanctione stabiliebat: Qua in re, licet nullam quoque Pontificis fecisset mentionem, tantopere tamen Papæ (c) satis fecit, ut ille Cæsarem ad imitandum illud edictum hortaretur, & ut Protestantibus significaret, nihil illis ab Henrico sperandum esse, emendationem nempe & conciliationem cum Papa meditante: Affirmabatur autem illis articulis. 1. Post consecrationem Eucharisticam nihil remanere panis & vini, sed sub ea specie veram corporis & sanguinis Christi substantiam latere; 2. Non esse necessarium in Eucharistia, præter panem calicis usum. 3. Ordinem sacerdotum debere à Matrimonio abstinere, atque adeò morte mulctandos, si qui eorum deinceps uxorem haberent & habere perseverarent. 4. Votum cœlibatus servandum. 5. Missas privatas quoque rectè & utiliter celebrari. 6. Confessionem peccatorum, quæ seorsim uni fiat sacerdoti, dictam auricularem, necessariam esse ac retinendam in Ecclesia.

Hisce dogmatibus in Parlamento acriter se opposuit Cranmerus, ipse uxoratus, sed qui tunc uxorem in Germaniam, unde illa

(a) PERIZON. Hist. Sec. XVI. pag. 299. 300.
(b) SECKENDORF. lib. cit. §. LXXIII. fol. 224. BURNET. fol. 145. a
(c) PALLAVIC. in Hist. Concil. Trid. Lib. VIII. §. 16.

illa erat, jam ablegaverat. Decretum tamen fuit, quod volebat Rex, neque quicquam in toto isto statuto erat, quod non Reformatoribus admodum grave erat & vix ferendum, nisi quod Solaminis instar videri posset, quod non dependerent à clementia clericorum (a), curiarumque ecclesiasticarum, sed quod à Juratis examinandi essent, à quibus plus æquitatis & mansuetudinis sperare poterant. Adeò ad Regis nutum in omnes se partes, etiam in rebus maximi momenti, versabat tunc publicum istius gentis concilium. Ceterum fulmen illud in capita multorum (b) mox detonuit. Plus quingenti in carcerem sunt dati, interque eos Episcopi, Sarisberiensis & Vigorniensis, Shaxtonus & Latimerus, qui & munere suo abdicare statim sunt coacti. Cranmerus, quod articulos voce & scripto refutasset, in summum periculum adductus, & vix Cromwelli ope servatus (c) est; Interea Cranmerus æque ac Cromwellus, quin etiàm Dux Suffolciæ, & Audlæus Regni Cancellarius, Regi ad animum revocant, quam periculosum foret, propter ingentem reorum numerum, si juxta Legis rigorem adversus ipsos institueretur Actio, atque suppliciis in eos sæviretur. Rex morem illis gerens, veniam dat omnibus. Quid? quod etiam Principes Germaniæ, cum quibus Rex, ut vidimus, arctiore se fœdere contra Papam & Cæsarem jungere tunc quidem volebat, gravissimè quererentur de Legis illius atrocitate (d), qua pœna capitis statueretur in eos, qui doctrinam quam & ipsi profitebantur, sequerentur. Unde factum est, ut Rex iis promitteret, se Legem, nisi ubi necessitas urgeret, non exsecuturum, uti ante Cromwelli lapsum (e) ullam Actionem vi statuti illius susceptam fuisse non est verosimile.

Unum verò non est prætereundum (f), quod hoc anno petitioni

(a) BURNET. loc. cit. fol. 145. b
(b) PERIZON. loc. cit. p. 300. 301. ex BURNETO lib. cit. fol. 149.
(c) BURNET. loc. cit. fol. 148. 149.
(d) SECKENDORF. lib. cit. BURNET. l. c. fol. 149.
(e) BURNET. loc. cit. fol. 149.
(f) BURNET. l. c. fol. 151. a

tioni Cranmeri datum fuit. Nihil ſcilicet erat, quod Reformationi tantùm non emortuæ, vitam reddere poſſe videbatur, præterquam liber Scripturarum uſus. Tametſi enim Biblia anno ſuperiore paſſim in Eccleſiis fuerant collocata, eorum tamen uſum domeſticum, ac veniam illa ſibi comparandi, Cranmerus hoc anno petiit & impetravit. Diplomate namque Regio ad Cromwellum directo d. 13. Novembris Facultas iſta ac venia Biblia pro cujusvis familia emendi fuit conceſſa. Diplomatis (a) ſumma huc redit: „ Optare Regem, ut ſubditi ſui ad cognitionem Verbi Dei perveniant, id verò facilius impetrari non „ poſſe, quam ſi liber Bibliorum Anglicanorum uſus cuivis „ concedatur, quæ proin, ad removenda diſſidia, nonniſi ex „ unius translatione admittenda; Cromwello itaque injunctum „ eſſe, ut caveat, ne intra quinque annos ulla Biblia imprimantur, quam quæ ipſe imprimi juſſerit. „ Huic Edicto tum equidem vehementer ſe opponebat Gardinerus, adeò ut in colloquio quodam coram Rege Cranmerum provocaret, ut oſtenderet diſcrimen inter Scripturarum & Canonum Apoſtolicorum auctoritatem, quippe cum in ea eſſet hæreſi, quaſi utrorumque eadem eſſet auctoritas; Quanquam poſt multam altercationem Regi non difficile fuerit ſolidam Cranmeri eruditionem inſigni modeſtia temperatam, à vanis Gardineri ratiociniis diſcernere, ut tandem ipſe Rex quoque Gardinerio poſt acrem reprehenſionem, illud ingeminaverit. „ Cranmerum eſſe militem (b) veteranum, neque conveniens eſſe, ut illi à Novitio vel cierentur „ moleſtiæ vel moverentur turbæ. „

§. XCIV. Fuerunt autem hujus ejusdem anni 1539. initio, in *Scotia*, (ut in transcurſu id annotemus) Lutheraniſmi ſuſpecti quamplures capti, ſub finem Februarii quinque cremati: novem recantarunt (c): complures exilio damnati. In his fuit *Georgius*

(a) Diploma hoc in Documentis Libro III. Hiſtor. Reform. annexis exhibet BURNETUS num. XV. fol. 105.

(b) BURNET. fol. 151. b cf. Rapin. THOYRAZ. Liv. XV. p. 392.

(c) Conf. BURNET. lib. cit. fol. 171.

BUCHANANUS, Vir plane eximius (a): qui, sopitis custodibus, per cubiculi fenestram evasit, atque in Angliam primo, deinceps, ubi nec ibi tutum se conspiceret, in Galliam contendit, variis ingenii monumentis, carminibus præcipuè & rerum Scoticarum Historia celeberrimus.

Inter eos autem qui tum *Glasgoviæ* Archiepiscopo sistebantur, erant *Russelius* Franciscanus & *Kennedius*, octodecim annorum juvenis; Atque hic equidem metu perculsus, parum aberat quin retractasset. Sed tamen ad cancellos adductus, cum Russelii sermonem audivisset, tanta repente affectus dicitur lætitia, ut fidei plenus in hæc erumperet verba. (b) „ Quam admiranda, „ Deus, Tua erga me miserum est charitas & misericordia, etenim cum jam te & filium tuum Salvatorem meum abnegare „ vellem, Tu manu tua è faucibus inferni me eripuisti, ac cœlesti tuo solatio ita cor meum replevisti, ut metus qui mentem meam opprimebat, ilicò secesserit. „ Russelius intereà, cum se cavillis obrui sentiret, nec fere audiri posset propter excitatum eorum qui cum Archiepiscopo erant clamorem, in hæc fere verba suam clausit disputationem. „ Hæc est hora vestra & „ potestas tenebrarum: Nunc ut Judices sedetis, nos damnati „ stamus: Erit tempus, quo innocentia nostra manifestabitur, & „ vos vestram cœcitatem æterno cum opprobrio cernetis, pergite modo, & mensuram scelerum vestrorum adimplete; „ Et dicuntur hæc verba tantum valuisse apud Archiepiscopum, ut vitæ ipsorum parcere quoque voluerit, nisi reliquorum obstitisset clamor, dicentium, eum ita ecclesiæ non posse esse amicum; Sunt igitur ad incendium condemnati, mortemque tanta cum lætitia tantaque cum animi constantia, subierunt, ut qui adstabant spectatores multis modis dicantur ædificati atque corroborati: Certè Russelius, Kennedio supplicii socio, animum his verbis addidisse refertur. (c) „ Ne metue, mi frater, for-

(a) BUCHANAN. rer. Scoticar. Lib. XIV. p. 503 de Buchanano autem, nemo melius quam ipse commentatus est, in *Vita* Operibus ejus à Rudimanno editis præmissa.
(b) BURNET. L. III. fol. 171. b
(c) BURNET. l. c. fol. 172. a

„ fortior est, qui in nobis est, quam qui in mundo est; dolor, quem „ sentimus brevis est & exiguus, gaudium verò & solatium erit „ æternum. Contendamus intrare per eandem angustam portam, „ per quam Salvator noster ante nos ingressus est in gloriam suam. „

Talium Martyrum sanguine rigatus fuit ager Ecclesiæ Scoticæ, qui brevi post largam Confessorum præbuit messem!

§. XCV. Cromwellus in tanta temporum difficultate, aliquid quod Religioni proficuum esset audendum ratus, eo ipso, ut humana consilia sæpe aliorsum cadunt, sibi maturavit exitium. (a) Noverat Regem, uxoribus, quas & quamdiu amabat, satis deditum, quum à concubinis alienum gereret animum easque non foveret. Circumspexit igitur idoneam Regi tum cælibi conditionem, Virginem Protestantium partibus addictam. Multa audierat de forma aliisque dotibus ANNÆ Cliviacæ, cujus Frater, præter Cliviam, Juliacum, Montes, Marcam, aliaque, etiam Gelriam tunc jam tenebat, sed invito prorsus Cæsare. Soror autem nupta erat Electori Saxonico. Hanc ergo commendavit Regi, cui cum placeret conditio, contractum est matrimonium, & ita appulit exeunte anno 1539. sponsa in Angliam.

Rex, desiderio eam videndi flagrans (b) Roffam contendit, quò non cognitus ipse eam conspiceret. Sed primo statim aspectu cum minorem, quam rumor & pictura præ se tulerant, deprehenderet oris venustatem atque pulcritudinem, is tanto correptus dicitur fastidio, ut eandem innuptam remissurus fuisset, nisi cognatos Principes fuisset reveritus, sicque animum brevi tempore ad durum adeo consilium eam ducendi obfirmare debuisset, quanquam vel sic cum ea se rem habere nec velle

(a) BURNETUS tamen fol. 153. b observat, causam lapsus Cromwelli aliunde etiam petendam, quam à sola matrimonii Regis deliberatione, quippe cum Rex adhuc d. XIV. Aprilis 1540. novo eundem titulo Comitis Essexiæ cohonestaret, quod facturus minime fuisset, si eundem mox illo privare jam tum in animum induxisset:

(b) BURNET. fol. 152. a Dicitur autem, Johannem Holbein, illustrem illum pictorem, Imaginem Annæ, à se non sine adulatione pictoribus familiari, pictam, Regi transmisisse, quæ adeò ipsi placuerit, ut ipsa tamen Princeps, cum minus Imagini responderet, tantò magis ipsi quoque displicuerit.

nec posse declararet, dum interea animum, ab ea aversissimum, adjiceret ad Catharinam Houwartham Edmundi Houwarthi, qui frater erat Ducis Nortfolkiæ, filiam, formæ venustioris & excitatioris ingenii puellam, cujusque adeo patruus erat idem ille Nortfolkius:

Vix autem illam Regis à Regina aversionem, & in Catharinam inclinationem odorari Norfolkius & reliqui Pontificiarum partium fautores, quin omnem statim in Cromwellum devolvere culpam; eo cum successu, ut, cum in multorum odium dudum adductus esset, is nunc quoque in Regis offensionem incurreret, atque effictis quibusdam adversus ipsum criminationibus, iisque ad Regem delatis, mense Junio anni (a) 1540. in Turrim Londinensem daretur Majestatis in Consilio Regis postulatus; Sperabant enim Pontificii è medio sublato Cromwello, viam ad fœdus cum Cæsare, quin imò etiam cum ipso Pontifice Romano redintegrandum patere, præterquam quod ita maximum Reformationis patronum sustolli, atque cum eo ipsam quoque Reginam Protestantibus addictam à solio regali atque potestate Evangelicis patrocinandi summoveri præviderent;

Neque enim ullum est dubium, quin illa quæ de sex Articulis modo à nobis sunt enarrata, & quibus Cromwellus ita resistebat, ut ejus quoque jussu & impulsu nonnulli adversus eos scripsisse crederentur, animum Regis iisdem illis addictissimum, magnopere inflammaverint, ut tanto celerius ejus promoveretur excidium, quanto majori antehac apud Regem floruerat gratia & quanto majores appetierat res;

Ut verò se res habeat, inter præcipua saltem accusationis capita, commemorabatur Hæreseos crimen (b); „ Ipsum (ut „ verba accusationis habent) scilicet, Hæreticum plures in- „ ter subditos disseminasse libros erroneos, cumprimis verò „ doctrinæ de Sacramento repugnantes; Monitum à quibus- „ dam, hæreses istas libris in Anglia impressis ostendentibus, „ dixis-

(a) BURNET. l. c. fol. 154.

(b) BURNET. l. c. fol. 155. qui peremtoriam in eum latam sententiam ibi refert, eumque à perfidia & proditione prorsus immunem fuisse evincit.

„ dixisse, nullum se in illis observare errorem, cuivis Christia-
„ no æque ut Sacerdoti Sacramentum administrare licere. A
„ Rege vicarium in rebus Ecclesiasticis constitutum, sub illius
„ muneris sigillo compluribus hæreseos suspectis facultatem de-
„ disse in regno concionandi, ac tam ore quam calamo Vice-
„ comitibus (a) suggessisse, velle Regem ut plures de hæresi
„ accusatos & ob hæresin carceribus mancipatos dimittant.
„ Querelis de hæresibus & hæreticis ad ipsum delatis, non
„ solum hæreticorum suscepisse patrocinium, sed & delatores
„ acriter reprehendisse, nonnullis in carcerem conjectis. Non
„ solùm plures Regis subditos veneno hæreseos infecisse, sed
„ insuper ultimo die Martii anno Regni hujus tricesimo, non-
„ nullis adversus novos Concionatores, Barnesium & alios mo-
„ tis querelis, dixisse: *Illorum Conciones esse bonas, se ab illorum*
„ *sententia non decessurum, quamvis Rex ab ea deflecteret &c.* „

Propter hæc igitur & alia, in quibus elatius se gessisse dicebatur, cum per sex septimanas in carcere detentus fuisset, nec alium nisi solum Cranmerum habuisset patronum (b), d 28. Julii capite est, Jussu Regis, qui nullis nullorumque precibus frangi poterat, truncatus, eximius plane ac ingentium in Reformationem Anglicanam meritorum consiliarius, ac Status Minister, cujus mortem ipse Rex (c), at serò nimis doluisse dicitur;

Ante

(a) Quibus fulgeant in Anglia dignitatibus Vice Comites, & quodnam hujus tituli sit decus, explicavit SELDENUS de titulis Honorum Lib. II. pag. 515. seq.

(b) Is enim ab omni fuco alienus, in amore erga ipsum persistens, ad Regem scripsit. „ Semper se Cromwelli pro Rege sollicitudinem, in
„ detegendis quibusvis adversus Regem machinationibus in pretio ha-
„ buisse; tanta ipsum fidelitate ac eo successu Regi serviisse, ut nulli
„ Angliæ Regi tam fidelem servum fuisse crediderit, atque ea de causa,
„ se ipsum ceu talem, qui Regem præ ceteris amaret, amore fuisse com-
„ plexum. Quod si perfidus ac proditor sit, gratulari se Regi de prodi-
„ tione detecta, Deumque precari, ut in ejus locum talem substituat
„ Consiliarium, qui & possit & velit Regi ea fidelitate, quam Crom-
„ wellus præstare videbatur, servire. „ Et successit ea res ipsi equidem prosperè, ut tamen Cromwellum ab exitio liberare nullo modo posset. v. BURNET. l. c. fol. 155.

(c) BURNET. l. c. fol. 159. a

Ante hoc ſupplicium, d. XII. Aprilis, ipſe Cromwellus nomine Regis, in publico gentis conſeſſu quem Parlamentum vocant, propoſuerat. „ Regem nihil magis in votis habere, quam „ ut firma inter ſubditos unio & concordia, ceu fulcrum omnis „ ſecuritatis & tranquillitatis, ſtabiliatur. Non latere Regem, „ plures eſſe incendiarios, ac cum tritico ſuccreſcere lolium. „ Nonnullorum temeritatem, aliorum verò ſuperſtitionem in„ veteratam, ac in corruptelis pertinaciam, magnas inter Chri„ ſtianos excitaſſe diſcordias. Aliquos nominari Papiſtas, alios „ vocari hæreticos; hancque animorum acerbitatem tanto magis „ videri miram, ex quo Scripturæ Sacræ, Regis cura & ſtudio, „ linguâ vernaculâ & intelligibili omnium verſentur manibus. „ Regem nec in dextram nec in ſiniſtram partem inclinare, ne„ que parti uni magis favere quam alteri, ſed puram & ſinceram „ fidei Chriſtianæ Doctrinam ſibi ob oculos ſiſtere, eandemque „ ſine corruptelis aut mixturis ſubditis proponi velle, ac Cere„ monias decentes obſervari, quò ſublatis abuſibus, ac ceſſanti„ bus diſputationibus, ſubditi in fide & cultu Dei inſtruantur, „ transgreſſores verò, cujuscunque conditionis ſint, ſeverè „ puniantur. Velle Regem, ut Chriſtus, Evangelium Chriſti „ & Veritas victoriam obtineat. Eo fine Epiſcopis & Theolo„ gis quibusdam mandaſſe, ut explicationem rerum ad ſalutem „ cuivis Chriſtiano ſcitu neceſſariarum adornarent: Iſtud mune„ ris duobus Archiepiſcopis, Epiſcopo *Londinenſi*, *Dunelmenſi*, „ *Wintonienſi*, *Roffenſi*, *Herefordienſi* & *Sancti Davidis*; nec „ non Doctoribus *Thirlibeo*, *Robertſono*, *Coxo*, *Dayo*, *Oglethor-* „ *po*, *Redmanno*, *Edgewortho*, *Crayfordo*, *Symmoni*, *Robinſono* „ & *Treshamo* demandaſſe. Aliis, examen Ceremoniarum reti„ nendarum, & quis verus illarum ſit uſus, commiſiſſe, Epis„ copis videlicet *Bathonienſi* & *Wellenſi*, *Elienſi*, *Saliſburienſi*, „ *Ciceſtriæ*, *Vigorniæ* & *Landaffiæ*. Judicibus porrò, ac aliis, „ quibus Statuti executio demandata, transgreſſores juxta le„ gem ſeverè punirent, injunxiſſe. Epilogi loco, encomium Re„ gis, cujus virtutes vel ab eloquentiſſimis celebrari ſatis neque„ ant, adjecit. „

Biduo post *Essexiæ* Comes (quæ primaria in Regno Anglicano est dignitas) erat renunciatus (a), ut ferè in altum sublatus videri posset, quò tanto graviori lapsu ejus acceleraretur ruina.

Eodem illo mense, de supprimendis in Anglia Equitibus S. Johannis Hierosolymitanis, quos nunc Melitenses dicimus, & quos ex Ordinis instituto nimiopere à Pontifice Romano pendere compertum est, inibatur consilium (b); Estque illorum Ordo tam in Anglia quam in Hibernia, plane tum extinctus, ita ut opimi eorum reditus ad Regem referrentur.

Est quoque tum Henrici cum *Anna Cliviaca* matrimonium, frivolis prætextibus dissolutum, quod illa nondum nubilis desponsa jam fuisset (c) Lotharingici Principis filio, quodque Rex eam adversante animo duxisset, nec unquam verè cognovisset; Et successit in ejus locum, nova eaque quarta jam Regis Uxor *Catharina* HOUWARTHA, quæ biennio tamen post, & ipsa infelici fato capite est truncata.

§. XCVI. Sublato uti retulimus Cromwello, res Protestantium retrò cessere; Pontificiis, Gardinero & Norfolkio cum ipsa Regina, Regem adversus eos instimulantibns. Et fuerunt primi tum conatus in Translationem Scripturarum earumque Lectionem promiscuam directi, non eo tamen, quem sibi pollicebantur Pontificii, eventu. Scilicet, articulos de Religione denuò, quod diximus, conscribendos imperabat Rex, atque eos in Catecheticæ Institutionis formam redigendos præcipiebat. Omnem igitur æque Gardinerus ac Cranmerus diversorum licet studiorum impendunt curam, ut Regi satisfacerent, dum novam adornant (cujus brevem summam recitat Burnetus (d) Expositionem fidei sub titulo *The Institution of a Christen Man* in qua, non solum in genere, de *Fide*, ejusque natura & indole agunt, sed &, *Symboli Apostolici* brevem Interpretationem referunt, de *septem Sacramentis* præcipiunt, *Decalogi* Expositionem tradunt, itemque *Orationis Dominicæ* & *Salutationis* ita dictæ *Angelicæ*;

(a) *Rapin.* THOYRAZ. l. c. p. 394. & BURNET. fol. 153.
(b) Rap. THOYRAZ. p. 394. & BURN. fol. 154.
(c) BURNET. l. c. fol. 156.
(d) BURNET. l. c. fol. 159—162.

licæ; denique, de *Libero arbitrio*, de *Justificatione* & de *bonis Operibus*, aliisque pronunciant;

His confectis, Ecclesiastici equidem Præfationem addebant, ac, quanto studio Scripturas Sacras, veterumque Doctorum monumenta excusserint, atque ex iis hanc fidei Christianæ Expositionem collegerint, testabantur; Rex autem, alia præfatione innuebat, „ Se quidem tenebris pulsis (a), Scripturam Sacram „ populo non sine fructu concessisse, animadvertere verò nunc, „ cum superstitio & hypocrisis è medio sint sublatæ, spiritum „ arrogantiæ, diffidii & libertatis carnalis earum locum occupasse; Quem, ut comprimeret, ecclesiasticorum suorum consilio curasse, ut declaratio veræ Dei notitiæ, dirigendæ hominum fidei & vitæ causa adornaretur, accedente utriusque „ Parlamenti domus consensu; Nec dubitare se, quin veram & „ sufficientem vitæ æternæ consequendæ doctrinam contineat. „ Idcircò ut eam lectam cordi & menti imprimant, sedulò hortari, memores, quemadmodum Doctorum est, populum instruere, sic cæterorum esse, doctrinam recipere; *Nec requiri, ut hi Scripturas legant, sed sufficere, ut Doctrinam è Scripturis à Pastoribus traditam audiant, cordi imprimant & vita sua exprimant*. Denique, omnes subditos seriò se monere, ut precibus à Deo, spiritum humilitatis, quò doctrinam libro isto propositam legere ac cordi inscribere possint, ardenter petant. „

Est autem, per eandem illam Expositionem, licet à doctrinæ puritate aliena, atque veteri superstitioni obnoxia videretur, non parùm promotum Reformationis negotium, & via insecuturis temporibus parata, ad perrumpendum, & purioris doctrinæ placita stabiliendum; quandoquidem & superstitiones multæ, quæque à longo jam tempore inoleverant, removerentur, & fundamentum religionis Christianæ, fœdus puta inter Deum & hominem, cum annexis conditionibus, rectè satis ac purè poneretur, & tale simul assumeretur principium, quod ulteriori Reformationi aperiebat januam, „ dum cuivis Ecclesiæ nationali, tanquam corpori completo, facultas relinquebatur, „ hære-

(a) BURNET. fol. 163.

„ hæreſes & abuſus corrigendi, atque, quæ ad conſervandam „ doctrinæ puritatem neceſſaria cenſerentur, conſtituendi. „

§. XCVII. Interea tamen Pontificii, nil non tentare, quod Reformationi obicem ponat, eumque in finem in quamplurimos hæreſeos calumniam conjicere, eosque vi ſuperioris Edicti Regii capitali ſupplicio afficere.

In horum numero tum erat BARNESIUS Doctor, cum duobus Sociis, Magiſtro *Thoma Gerardo*, & *Gulielmo Hieronymo* Sacerdotibus, qui Lutheranismi incuſabantur, atque, nulla nec conteſtata lite, nec quæſtione inſtituta (a), Parlamenti decreto ad ſupplicium rapiebantur.

Ex illis BARNESIUS (b), qui eum tandem pietatis tulit fructum, ut vivus combureretur, concionatus fuerat in Templo Divi Pauli Londinenſi, de Juſtificatione, ex ſententia Lutheri, & aculeos quosdam in Gardinerum Wintonienſem vibraverat, adigi ſe tamen ad revocationem articulorum quorundam, quos Burnetus (c) refert, paſſus erat. Cum verò uterque & Gardinerus & Bonnerus eundem capitali odio proſequi pergeret, & ipſe, quæ modo revocaverat, denuò ſuis inſtillare diceretur (d), in carcerem raptus eſt, ibique ad Parlamenti conventum proximum aſſervatus, ſicque decreto Senatus publico, nec auditus, nec defenſus (introducto à Cromwello in ſui ipſius, aliorumque multorum perniciem more) igni addictus eſt. Edidit vero in area (e) ſupplicio mortis deſtinata, prolixam fidei confeſſionem (f), & ſumma cum libertate populum ad veræ pietatis ſtudium eſt cohor-

(a) BURNET. fol. 164. b.
(b) De eo vid. §. LXXXI. pag. 249. 250.
(c) BURNET. l. c. fol. 164. a.
(d) SECKENDORF Hiſtor. Luther. Lib. III. §. LXXVIII. fol. 264.
(e) *Martyrol. parv.* p. 251. conf. BURNET. fol. 165.
(f) De Confeſſione ante Supplicium publicè à Barneſio edita, monitisque ad Regem, videndus eſt BURNETUS l. c. Extat autem in Archivo, cujus meminit Ill. SECKENDORFIUS l. c. relatio ex Anglia miſſa & Germanicè verſa, quam LUTHERUS cum præfatione edidit Tomo VII. Altenburg. fol. 422. inſertam. Ea non diſcrepat à Burnetiana, niſi quod eſt prolixior.

cohortatus, dum interea *Gerardus* atque *Hieronymus* fidei ejus consortes, idem eadem animi constantia subierunt supplicium.

At verô, non in Hos solùm, sed & in veteris religionis cultores & Pontificiæ superstitionis assertores, illa effervescebat tempestas, eodemque Parlamenti decreto capitis rei declarabantur, quorum crimina longè erant diversa; Sic enim, sunt verba BURNETI (a), Gregorius *Buttolphus*, Adamus *Damplip*, Edmundus *Brindholmius*, & Clemens *Philpotus*, quod Reginaldo Polo opem tulerant, Regem supremum Ecclesiæ Anglicanæ caput agnoscere recusarant, & Caletum invadere tentarant, perduellionis rei sunt damnati. *Derbius* quidam *Gunningus* pariter, quod proditori cuidam in Hibernia Fitz Giraldo suppetias tulerat, ejusdem criminis reus peragebatur; Atque his annumerabantur, *Barnes*, *Gerhardus* & *Hieronymus* „ hæreseos convicti, „ sive, uti verba habent statuti, detestandi hæretici, qui plures „ errores ac hæreses propagassent, scripturasque exponendo ad „ stabiliendas hæreses suas pervertissent, quæ tam essent innu„ meræ, ut tam brevi catalogo recenseri non possint, proin ad „ rogum vel aliud mortis genus, juxta regis placitum subeundum „ sunt damnati. „ Sed & Abelus *Fetherstonus* & Eduardus *Pouwellus*, ob agnitum Pontificis Romani & negatum Regis primatum, ad supplicii locum his tribus fuerunt juncti, præpostera, uti multis videbatur, animi à partium studio alieni affectatione (b), cum vera tamen ratio non alia esset, quam quod eam sibi Rex tot successibus fretus arrogaret auctoritatem, ut quicquid vel crederet vel credi vellet, id sine ulla disceptatione ab aliis recipi atque in normam fidei constitui deberet, quæ perinde tamen ac ipsius Regi animus & volubilis esset & in varias partes versatilis.

§. XCVIII.

(a) BURNET. fol. 164. b.

(b) Notabile est, quod in *Actis & Monim. Martyr.* Anglice editis Vol. II. fol. 445 legitur, extraneum quendam, qui supplicii illius spectator erat, rei novitate perculsum, exclamasse: *Bone Deus, quomodo hic vivunt gentes? hic suspenduntur Papistæ, illic comburuntur Antipapistæ!* Sed & ap. SANDERUM Lib. I. p. 186. legitur, Aulicum quendam ad triste hoc atque peregrinum spectaculum adstantem exclamasse *Ne! imposterum ego Regiæ religionis ero, boc est, nullius.*

§. XCVIII. Attamen illud Barnesii & reliquorum martyrium, non impedivit, quin promovit potius, doctrinam Evangelicam, animumque confessoribus magis addidit, quam ademit, ita ut admirandam hanc constantiam intuiti, conscientiæ ductu, Dei nomine, qui ope & auxilio suis etiam in summis suppliciis adesse solet, extrema quoque pati constituerent. Henricus autem ab illo tempore, nihil aut parum, minimeque sincerè, pro reformanda Ecclesia agebat; Certè novi quos sub finem hujus anni fundabat, Episcopatus, nihil ad promovendum Reformationis Opus faciebant, quippe cum abinde *Liber* ille *Episcoporum*, Religionis veluti constitueretur vexillum (a), ut quicquid ab illo, in quamcunque partem diverteret, tanquam hæreticum proscriberetur, nisi quod Rex tamen secreto quodam mandato fibulam illis injecisse dicatur, qui nimium circa sex articulos præ se ferebant rigorem, uti verè publico Senatus Anglicani consulto (b) remissum fuit, de rigore articuli, quo mors interminabatur conjugatis clericis; Fuit enim pœna mortis commutata cum pœna confiscationis bonorum.

Cæterùm, uti saluberrimum erat Cranmeri institutum, de constituendis in quavis Ecclesia cathedrali Linguæ Hebr. atque Græcæ Professoribus, ac amplificando studiosorum, in pietate literis ac religione informandorum, numero (c), ne unquam deesset Episcopis sufficiens Clericorum probè eruditorum copia, ad obeunda quævis munia ecclesiastica; Ita tamen ea consilia omnia, per adversarios, qui Regio tum favore gaudebant, in ventos abiere, vel certè destituta sunt ac impedita, infelici cum Regionis tum Religionis fato. Neque ferè quicquam fuit, quod ab eo tempore in Cranmeri favorem à Rege fuerit effectum, nisi quod circa lectionem Scripturæ Sacræ in vernaculum conversæ, tamen præceperit, licet non sine multis restrictionibus (d), eam conservari debere; Sic enim Edictum est omnibus Curiali-

(a) BURNET. fol. 167.
(b) *Rapin.* THOYRAZ. l. c. p. 399.
(c) BURNET. fol. 166. b.
(d) SECKEND. Lib. II. fol. 262.

bus (a) & Ecclesiarum Pastoribus „ ut exemplar Bibliorum An-
„ glicorum, ante Festum omnium sanctorum ejus anni sibi com-
„ pararent, sub pœna quatuor solidorum, singulis mensibus, do-
„ nec id fecissent, solvendorum. Addebat Rex, Editionem Bi-
„ bliorum eo fine à se susceptam, quo populus ea legendo, po-
„ tentiam, sapientiam & bonitatem Dei agnoscere, mandata ejus
„ servare, legibus & principi morem gerere, ac inter se con-
„ corditer vivere disceret. Non esse autem Regi eam mentem, ut
„ subditi præsumant, vel explicare Scripturam, vel ex illa ar-
„ gumentari, vel ut cultum publicum, Missæque celebratio-
„ nem, Scripturæ lectione ullo modo turbent, sed eam cum
„ mansuetudine, humilitate & reverentia, ad instructionem, emen-
„ dationem & ædificationem legant &c. „ Dicitur verò etiam Bibliorum pretium ita modicè tum constitutum, ut eorum emtio nemini posset esse onerosa.

§. XCIX. Habebat eodem tempore *Gardinerus* consiliorum socium *Edmundum* BONNERUM, Episcopum Londinensem, occultiorem quidem & fingendi magistrum, sed Protestantibus infestum. Eum Cromwellus & Cranmerus imprudentes ad Herefordiensem primò, deinceps ad Londinensem Episcopatum evehi passi erant; Hic igitur, cum Cromwellum à dignitate deturbatum & è vivis sublatum cerneret, quod sub pectore gerebat odium in Reformatos, minime amplius occultare, quin potius apertè satis prodere non verebatur. Eo namque impulsore plurimi fuerunt accusati (b), quos tamen Rex, ne ingravescente ætate nimis frequentia crudelitatis ederet exempla, à culpa immunes renunciavit. Interea tamen, de voluntate Regis, circà Biblio-

(a) BURNET. fol. 167. qui & in Documentis ad Lib. III. n. XXIV. fol. 234. edictum illud Regium ex archivis depromtum nobis suppeditat.

(b) BURNET. fol. 166. a. qui ejus rei exemplum effert, *Richardum* quendam *Mekins*, quindecim annorum adolescentem, qui, quod in laudem Barnesii quidpiam protulisset, atque contra corporalem Christi in Sacramento altaris præsentiam disputasset, unà cum aliis quibusdam ad mortem est condemnatus. conf. *Act. & Monim. Martyrum* Anglicè edita Vol. II. fol. 446. 447.

bliorum lectionem etiam Laicis concedendam edoctus Bonnerus, ne non obsecundasse videretur, sex majorum Bibliorum exemplaria diversis locis in æde D. Pauli Londinensi, ut cuivis ea lecturo pateret aditus, constitui jussit, hac, columnis, quibus & alligata erant Biblia, affixa adhortatione: „ Ut, quotquot isthuc Biblia lecturi (a), sint accessuri, id faciant, absque ambitione & hypocrisi, ceu cupiditatibus perversis, sed cum prudentia, bona intentione, charitate, reverentia & tranquillitate ad animarum suarum ædificationem; Caveant verò, ne plebem alliciant, nec ea quæ legerunt, exponant, neque alta voce legant, nec tempore cultus publici strepitum excitent, nec ullas de rebus sacris habeant disceptationes. „

Intereà frequens erat populi ad legendum pariter atque audiendum scripturam confluxus; plures prælegendi artem edocti, claraque voce instructi, sæpius illuc non sine turma eos sequente veniebant. Alii liberos eo fine ad scholas mittebant, quò ipsos simul in templum deducere possent ad audiendas scripturas; Neque ferme aliter fieri poterat, quin sæpenumero inter legendum de scripturarum sensu quædam inter eos exoriretur disputatio: Quis enim v. g. Verba Institutionis Eucharisticæ, *Bibite ex eo omnes*, vel argumenta Pauli, *adversus cultum lingua ignota peractum*, legere vel audire potuisset, quin in eam incideret sententiam, calicem sacrum minus rectè communicantibus subtrahi, & cultum sacrum minus rectè lingua Latina peragi, quippe cui plebs ignara non possit illud *Amen* acclamare. Ea res, uti non poterat non sudes esse in oculis Pontificiorum, ita novis ad Regem deferendis querelis ansam dabat, quasi multis modis ea potestate legendi Scripturam abuterentur, seque favore regio redderent indignos Laici; adeo ut Bonnerus (b), impetrata Regis venia, repetita vice, „ ne quis Regio favore abuteretur, &, „ ultra quam fas esse opinabantur Pontificii, sapientiam peteret, „ admoneret, addita, in secus facientes, de removendis ex templo Bibliis, comminatione severa. Et, quanquam tum qui-

(a) BURNET. l. c. fol. 168. a. qui & in Documentis ad Lib. III. n. 25. fol. 234. illam admonitionem Bonnerianam Lectori exhibet.
(b) BURNET. fol. 168. a.

quidem eæ componerentur contentiones, tamen quod deinceps à Pontificiorum nutu suspensa fuerint omnia, certum est.

§. C. Hæc dum apud Anglos geruntur, inter SCOTOS (a) non minus lacertos indies magis magisque movere cœpit Religio purior. Rex Scotiæ JACOBUS V. post Magdalenæ obitum, quod Mariam Guisiam duceret uxorem, maxima lætitia affecit clericos, quos non latebat, quam arctè Guisiorum familia Papatui esset implicata; Præterea vero Rex, veteri quam vocant religioni tenaciter adeò inhærebat, ut quosvis ab ea dissentientes acriter persequeretur; Erant autam permulti Nobiles, à superstitione æque ac à Clero papistico alieni, ac puriori doctrinæ faventes; His obstabant sacerdotes, omnemque movebant lapidem, ne quid detrimenti caperet Papismus: Rex, genio indulgens, ad substructiones otiosas animum adjiciens, & nothis suis (b), quos habebat alendis intentus, indigebat pecunia, juxta egens ac cupiens, unde par formido invasit & Nobiles & Sacerdotes, dum eam quisque tempestatem à se in alterum inclinare contendit. Interim, quoties apud familiares de inopia querebatur, altera alterius factionis opes ostentabat, veluti prædam paratam, & ille, modò his modò illis assentiens, utrosque inter spem formidinemque suspensos tenebat. Nobiles, inter quos supra trecenta erant nomina (c), quorum in *Reformatam doctrinam* animus benevolens ac studium erant conspicua, Abbatum divitias Regi ad animum revocantes, ut avunculi Henrici Angliæ exemplum imitaretur, suadebant, sic enim futurum, ut reditus annui triplo auctiores reddantur, neque liberis regiis quicquam defuturum. Contrà, Clerici, exacta in hæreticos inquisitione & bonorum confiscatione, singulis annis ultra centum millia coronatorum collectum iri asseverabant, neque liberis Regis melius prospici posse, quam si Abbatiis vel Prioratibus præficiantur. Hac ratione Regem & Regis filios, commoda sua cum illorum commodis con-

(a) Conf. quæ jam in hoc Opere pag. 210—213. itemque pag. 244. & 280. monuimus, & quæ p. 291. 292. retulimus.
(b) vid. BUCHANAN. rer. Scoticar. Lib. XIV. §. LVI. pag. 503. & BURNET. l. c. fol. 171. a. conf. Rapin. THOYRAZ. l. c. p. 409.
(c) BUCHANAN. l. c. p. 510.

connectentes arctius sibi devincire, & jura sua tueri tenebant, quin & spem faciebant, fore ut si jam stabilitæ religioni constanter adhæreat, in caput fœderis à Cæsare & Papa Romano adversus Henricum Regem sanciendi eligatur. Consilia hæc, cum persuasionibus Reginæ, quæ magno in Pontificiis commoda zelo ferebatur, conjuncta, tantum valuere, ut Rex non solùm quatuor filios, Abbatiis & Prioratibus præficeret, sed & ut Sacerdotibus viam ad persequendum Reformatos patefaceret, & Jacobum Hamiltonum nothum, Comitis Araniæ fratrem, ipsis Judicem daret, qui de quibusvis hæreseos suspectis quæstionem exerceret, atque puriôris doctrinæ studiosos omnes persequeretur. Uti illam quæstionem haud difficulter institui posse jam affirmaverant Clerici, cum tot hominum millia (referente Buchanano) non dubitarent Veteris & Novi Testamenti libros contrectare, de Pontificis potestate sermones serere, veteresque ritus ecclesiæ contemnendo, religiosis hominibus ac Deo sacratis, omne obsequium ac reverentiam detrahere. (a)

Quam verò, uti alibi, ita quoque in Scotia, ejus temporis Clerici, semet ignorantiæ supinæ atque superstitioni turpiter dederint, vel ex hoc uno patet exemplo; Inter quinque illos, quos supra (b) retulimus, combustos, erat FORRESTUS, Canonicus Regularis, idemque fervidus & constans Concionator. Is cum ab Episcopo diœcesano *Dunkeldiæ* accerseretur, inter alia his verbis reprehensus dicitur (c): „ Si bonam aliquam Epistolam, vel bonum quoddam Evangelium, quod pro asserenda sanctæ Ecclesiæ libertate faciat, reperiat, ut de illo concionetur, ut cetera linquat; Respondit Vir pius, se Vetus & Novum Testamentum perlegisse, nec in illo malam Epistolam

Q q „ vel,

(a) BUCHANAN. rer. Scotic. l. c. p. 504.

(b) vid. §. XCIV. pag. 291.

(c) Ex BURNET. l. c. fol. 171. b. qui & fol. 170. a. alius cujusdam *Forresti*, Monachi Benedictini, ad supplicium rapti, quod de Patricio Hameltonio dixerat eum fuisse Martyrem, mentionem facit; Sed quem non publice sed in loco subterraneo comburendum, plebejus quidam ex famulitio Archiepiscopi suaserat, quod judicaret, *Hamiltoni fumum infecisse quoscunque afflasset.*

„ vel malum Evangelium vidisse: Tum verò Episcopus: At „ ego, inquit, Deo gratias ago, quod jam ab aliquot annis vi- „ tam egi tranquillam, tametsi nec vetus nec novum legi Testa- „ mentum; Sufficit mihi Pontificale meum. Quodsi alii malint „ opinionibus istis sibi molestias creare, per me licet, vereor „ autem, ne seria nimis ducantur poenitentia: „ Quibus tum aliud nihil reposuisse legitur Forrestus, nisi; „ Se officio suo „ non esse defuturum, quicquid tandem eveniat. „

Eadem tempestate *Johannes Borthwikus* Eques auratus, vulgari nomine dictus Præfectus (sive, *Captain*) *Borthwike*, hæreseos accusabatur, atque ut coram tribunali ecclesiastico (a) *Davidis Betonii* Archiepiscopi Sant-Andreani & reliquorum *Scotiæ* Prælatorum fidei rationem redditurus atque ad articulos responsurus compareret, citabatur; At verò, cum is quid rerum ageretur satis odorari posset, patriam potius mutare, quam se ecclesiasticorum tyrannidi atque implacabili odio summittere volebat; Interea tamen, ne frustra actionem instituisse viderentur, hi publici furoris vi abrepti cum absentem condemnare, tanquam hæreticum, certos adversus eum consignare & publicare articulos, bona ejus fisco addicere, atque in ejus denique imaginem perpetrare, quod in ipsum absentem minus licebat, eam publice comburendo, aggrediebantur. Ille verò simulac articulorum istorum copia sibi facta esset, eos gravi admodum scripto eoque eximio refellere, atque veritatem strenuè asserere, exemplo ad omnem posteritatem referendo. (b)

§. CI. HENRICUS, inter hæc, domi novis amoribus *Catharinæ Houwarthæ* delinitus, eam tantopere adamabat, ut feria omnium sanctorum, sacra Domini cœna utens (c), non solùm ipse publicas

(a) FOX Acts and Moments &c. Vol. II. fol. 512.

(b) Leguntur hi articuli adversus *Jo. Borthwicum* Equitem auratum in Scotia, unà cum eorum refutatione ab ipso D. Borthwico editi, atque inserti Anglicè, iisdem illis FOXII modo citatis *Actis & monumentis Martyrum* à fol. 512—519. Latinè verò etiam in FOXII Commentariis rerum in Ecclesia gestarum P. I. fol. 166—178. unde eos depromere atque Scrinio nostro Antiquario Tom. III. Part. I. Num. IV. inserere voluimus.

(c) BURNET. fol. 172. conf. *Rapin.* THOYRAZ. p. 410. 411.

cas Deo gratias ageret, pro ſuavi ac jucundo, quo fruebatur atque longum frui ſperabat, conjugio, ſed &, ſacellano ſuo, ut idem faceret, injungeret. Neque tamen id gaudium erat diuturnum: Paucis enim diebus poſt, capitale adulterii crimen in Reginam conjicitur, eaque variarum ante matrimonium commiſſarum libidinum rea agitur, atque poſt inquiſitionem inſtitutam earum convincitur, dum ipſa, vitæ ſuperioris ludibria non diffiteretur, adulterium tamen à ſe commiſſum eſſe, fateri nollet. Factum eſt igitur, ut, tametſi acerbiſſimum inde dolorem conciperet Rex, ea populi Anglicani judicio damnata (a), capite plecteretur die 12. Februarii. 1542. in pœnæ capitalis conſortium tractis qui ſceleris fuerant conſortes, quin imò etiam iis, qui ſaltem conſcii fuerant quod tantum crimen diu celaſſent. Fuit autem præ reliquis eadem illa Domina *Rochford*, peſſimæ indolis mulier, quæque, uti quatuor ultimis reginis fuerat à cubiculis, ita ante ſexennium falſo crimine, cum Annam Boleniam, tum proprium ſuum maritum, Annæ fratrem, gravaverat, illorumque exitium promoverat, tum quoque capite plexa, quod non conſcia ſolùm ſceleris fuiſſet, ſed adminiſtra quoque; Quippe cum, eâ mediante, *Culpeperus* quidam, nocturnos cum Regina, dum Rex Lincolniæ commorabatur, exercuiſſet amores.

Eſt veró ſingularis Dei agnoſcenda providentia, quâ factum, ut, quæ res Cranmero Archiepiſcopo capitalis eſſe potuiſſet, ipſi tamen proſpere cederet. Erat enim ea primùm ipſi denunciata (b) atque per eum ad Regem ſcripto relata: Quodſi igitur haud luculentis & omni exceptione majoribus indiciis, Regina potuiſſet convinci, facile colligitur in quanto periculo Cranmerus eſſet: At verò, nunc etiam ejus apud Regem cum fides tum auctoritas tantò creſcebat magis, quantò moleſtius id ferrent Pontificii, qui alioquin in Reginæ ſibi faventis incolumitate omnem prope fortunarum ſuarum ſpem collocaverant.

Sub idem tempus novæ ferebantur lites de Bibliorum in vernaculam translatione, quæ nuper typis Graftoni 1541. denuo (c) pro-

(a) R. THOYRAZ. p. 412.
(b) BURNET. fol. 172. a.
(c) STRYPE Memorials Eccleſ. I. fol. 372.

prodierat: Eam enim, Regis auctoritate editam, cum impedire nequirent Episcopi, variis tamen cavillationibus impetere atque diffamare non desistebant, referentes in Synodo circa res ecclesiasticas, coacta, „ innumeris eam (a) scatere mendis, ab Episco-„pis & Sacro eorum collegio corrigendis & emendandis, porrò „eam (quæ Stephani Wintoniensis erat cavillatio) longe inferio-„rem esse versione Latina, neque ad ejus Majestatem accedere. „Esse autem è re religionis, ut idem ille argutabatur, ut quædam „vocabula, si ita loqui fas sit, majestatica (b), quæque minus „commode in Anglicum idioma transferri poterant, & quibus ta-„men assueta erat ecclesia, in versione Anglicana retinerentur, „qualia erant, Ecclesia, Pœnitentia, Pontifex, Ancilla, Con-„tritus, Holocausta, Justitia, Justificatio, Idiota, Elementa, „baptizare, Martyr, adorare, Sandalium, simplex, Tetrarcha, „Sacramentum, simulacrum, gloria etsim. ut satius foret, illo „Judice, ejusmodi adornare Versionem, quæ sollicitè hæc voca-„bula Latina quibus assuefactus erat populus Christianus servaret, „sicque nihil de pristina Majestate remitteret.„ Vix credi autem potest ejusmodi ineptias seriò proponi potuisse, nisi vel ita credidisset Gardinerus, superstitioni veteri novum quoddam procurari posse fulcimentum, vel saltem judicasset, rem protrahendo, atque morosas instituendo deliberationes, totum illud de publicanda Versione Anglicana consilium eludi posse; Id igitur cum adverteret Cranmeri sagacitas, neque aliam, qua se tricis illis expediret, rationem pervidere posset, Regem adire, eique, clam reliquis saluberrimum suppeditare consilium, ut scilicet illam Versionem ad utramque Universitatem Oxoniensem atque Cantabrigiensem examinatum mitteret, qua ratione rem totam Episcoporum manibus eripi, eorumque malefida conamina prorsus eludi posse prævidebat. Invito equidem id tulerunt animo Episcopi (c), dicen-

(a) BURNET. fol. 173.b.

(b) Conf. FULLER Hist. Eccl. Magn. Brit. fol. 238. qui integrum vocabulorum à Gardinero eam in rem citatorum texit catalogum, simul autem refert, quam omne illud consilium, quo casu nescire se fatetur, fuerit sufflaminatum.

(c) BURNET. fol. 174. a. & FULLER in The Church Hist. of Britain. V. book fol. 239.

dicentes, non tantam esse in Universitatibus, in quibus Juniorum vota prævalerent, eruditionem, quanta ad hanc causam requireretur, & præstare, ut utraque Comitiorum Domus, viris doctissimis & rerum ecclesiasticarum gnarissimis referta, eam suo submitteret judicio; Verùm Archiepiscopus, Regiæ voluntati se obtemperaturum & examen translationi Universitatibus exhibiturum, asserebat; Contestantibus autem cunctis Provinciæ suæ Episcopis, excepto Eliensi & Sancti Davidis, Synodus fuit dimissa. (a)

Enimverò, quò minus hac data occasione commemoremus, nulla est ratio, alterum quoddam idemque prætorium Edictum Stephani illius GARDINERI (b), qui tum Academiæ Cantabrigiensis erat Cancellarius, quod is eopse fere tempore edidit in causa literarum elegantiorum, quo dira minatus est iis, qui à vulgari Græcarum vocum pronunciatione deflecterent, quodque in Academia Cantabrigiensi est promulgatum, tum, cum *Johannes Chekus*, Doctissimus Græcæ linguæ Professor, aliam pronunciandi rationem sequendam esse existimabat: Hujus Edicti, tetrica dubium an joculatoria, certè histrionica severitate editi, summam, hic propter rei memoriam exhibemus: „*STEPHANUS Wintoniensis* „ Episcopus, *Academiæ* Cantabrigiensis Cancellarius: Cum meâ „ tum Senatus universi auctoritate, legitima rogatione ad me „ delata quid in Literarum sonis, ac Linguæ tum Græcæ tum „ Latinæ pronuntiatione, spectandum, sequendum, tenendum „ sit, ita Edico:

„ Quisquis nostram Potestatem agnoscis, sonos, literis sive „ Græcis sive Latinis, ab usu publico præsentis seculi alienos, „ privato judicio affingere ne audeto.

(a) BURNET. l. c. & FULLER l. c. Quid verò tum ab Universitatibus responsum sit, relatum non legitur, nisi quod Rap. THOYRAZ l.c. p. 414. ex Actis Publicis Rymeri Tom. XIV. p. 745. observet, quod Rex d. 12. Martii 1542. Typographo Londinensi *Antonio Marlar*, indulserit potestatem imprimendi Biblia Anglica, unde colligendum sit, Academicos admodum superficiariè hanc causam tractasse, vel eam prorsus neglexisse.

(b) vid. STRYPE Memorials Eccles. Lib. I. Cap. L. fol. 372. seq. qui & in Documentis illud Edictum Num. CXVII. fol. 326. affert, unde illud depromsimus, atque hic legi voluimus.

„ Quod vero ea in re major Auctoritas edixerit, jusserit, „ præceperit, id omnes amplectuntor, & observanto.

„ Diphthongos Græcas, nedum Latinas, nisi id Diæresis „ exigat, sonis ne diducito, neve divellito. Quæsitam usu al- „ teri Vocalium prærogativam ne adimito. Sed ut marem fœ- „ minæ dominari sinito. Quæ vero earum in communione soni „ usu convenerunt, iis tu negotium ne facessito.

„ Αι ab ε, οι & ει ab ι sono ne distinguito. Tantum in Ortho- „ graphia discrimen servato. Η, ι, υ uno eodemque sono expri- „ mito. Cujusque tamen propriam in Orthographia sedem di- „ ligenter notato.

„ In κ & γ, quoties cum diphthongis aut Vocalibus sonos ι „ aut ε referentibus consonantur, quoniam a Doctis etiamnum „ in usu variantur, aliis densiorem, aliis tenuiorem sonum affin- „ gentibus, utriusque Pronuntiationis, modum discito: Ne „ aut horum aut illorum aures offendas; néve de sonis litem in- „ utiliter excites. Cæterùm, qui in his sonis a pluribus recep- „ tus est, illum frequentato.

„ B literam ad exemplum nostri B, ne inspissato, sed ad imi- „ tationem V consonantis mollius proferto.

„ Literas π & τ, item γ & κ, pro loco & situ alios atque alios „ sonos adimere memento. Itaque τ & π, tum demum β, quum „ proximè locantur, hæc post μ, illa post ν, his locis videlicet „ litera τ referat nostrum D, π vero B nostrum exprimat.

„ Litera porro γ cum proxima sedem occupet ante κ, χ, aut „ aliud γ, huic tu non suum, sed sonum ν literæ accommodato.

„ Ne multa. In sonis omnino ne philosophator, sed utitor „ præsentibus. In his siquid emendandum sit, id omne autho- „ ritati permittito. Publicè vero profiteri quod ab auctoritate „ sancita diversum, & consuetudine loquendi recepta alienum „ sit, nefas esto.

„ Quod hic exprimitur, id Consuetudini consentaneum du- „ cito, hactenusque pareto.

„ Si quis autem, quod abominor, secus fecerit, & de sonis „ (re sanè, si ipsam spectes, levicula, si contentiones inde na- „ tæ indignitatem, non ferenda) Controversiam publicè move-

„ rit,

„ rit, aut obstinato animi Proposito, receptam a plerisque omni-
„ bus modum Sonorum abrogare aut improbare perrexerit; quive
„ sciens prudens, ad hoc data opera, quod hic sancitum est, ver-
„ bo factóve publico, palam contempserit, hunc hominem, quis-
„ quis is erit, ineptum omnes habento; & à Senatu, siquidem ex
„ eo numero jam fuerit, is qui auctoritati præest, nisi resipuerit,
„ expellito. Inter Candidatos verò si sit, ab omni gradu hono-
„ ris arceto. Ex plebe autem scholarium si fuerit, quum ita
„ haberi id ei commodo esse possit, pro scholari ne censeto.
„ Puerilem denique temeritatem, siquid publicè ausa fuerit, do-
„ mi apud suos castigari curato.

„ Postremò, Vicecancellarius & Procuratores, quæ hic præ-
„ scripta sunt, ne contemnantur, neve Edicto fraus aliqua fiat,
„ pro modo Jurisdictionis singuli, providento.

„ Ab his siquid adversum hæc admissum sit, aut omissum,
„ mulcta est, quam dixerit Cancellarius.

„ In summa, hoc Edictum omnes sacrosanctum ita habento,
„ ut nec contumacibus remissum, nec resipiscentibus severum,
„ esse videatur. Datum *Londini* 18. Calend. Junias, Anno Domini
„ 1542. „

O rem ridiculam, Cato, & jocosam (a)
Dignamque auribus, & tuo cachinno!

§. CII. Paulo post *Edmundus* BONNERUS Ep. Londinensis nonnulla edidit Mandata (b), ad Clericos præcipuè directa, quæ ab ejus tamen vitæ instituto adeò sunt diversa, ut potius alterius manu videantur adornata, sed jussu tamen Regis, sub Bonneri nomine edita. Eorum summa huc redit.

I. Ut mandatis Regiis cuncti obtemperent.

II. Ut quivis Clericus singulis diebus caput Bibliorum, cum expositione glossæ, vel probati Doctoris, legat, meditetur & memoriæ infigat, quò vel sibi, vel nomine suo delegato, rationem de illo reddere queat. III.

(a) Hoc Epiphonemate meritò hujus Edicti recensionem claudit, Doctiss. SCHELHORNIUS in Amœnit. Historico-Eccles. Vol. II. p. 634.

(b) vid. BURNET. fol. 174. qui & integram horum mandatorum ad Clericos directorum recensionem nobis suppeditat in Collect. Documentor. ad Vol. I. H. E. L. III. n. 26. fol. 135.

III. Ut librum ab Episcopis editum *de institutione hominis christiani* sedulò legant.

IV. Ut qui beneficiis non adsunt, Diaconos suos vel ministros, examinandos ad se mittant.

V. Ut Parochiales suos sæpius exhortentur, ne clandestina contrahant matrimonia.

VI. Ne ullius anteà uxorati matrimonio priùs benedicant, quàm de conjugis obitu certò constet.

VII. Ut liberos in singulis cœtibus doceant Anglicè legere, quò quid credendum, quomodo orandum, & qua ratione vita juxta Dei voluntatem instituenda sit, addiscere queant.

VIII. Ut verbis & exemplo discordes conciliare studeant.

IX. Ut neminem ad sacram admittant Synaxin, qui non priùs Pastori suo peccata sua confessus fuisset.

X. Ut nemini permittatur die Dominica vel feriis tempore cultûs divini Cauponas frequentare, vel illicito uti lusu.

XI. Ut quovis quadrimestri septem peccata mortalia & decalogum populo bis explicent.

XII. Ut nullus Sacerdos in publicum prodeat absque veste sua sacerdotali.

XIII. Ut nullus Sacerdos ad celebrandam Missam admittatur, qui non priùs mandati literas Episcopo vel ejus delegato ostendisset.

XIV. Ut populum seriò hortentur, ut à blasphemiis, convitiis, adulterio, fornicatione, comessationibus & ebrietate sedulò sibi caveant: reos verò istorum criminum proxima visitatione deferant.

XV. Ut Sacerdotes ab omni lusu illicito abstineant, nec nisi urgente aliqua necessitate in cauponas vel diversoria se conferant.

XVI. Ut nulli ludi, in Ecclesiis tolerentur.

XVII. Ut nullæ conciones, duobus vel tribus posterioribus seculis conpositæ legantur pro suggestu, sed ut concionaturi integrum Evangelium vel Epistolam, juxta quorundam ab Ecclesia *Anglicana* probatorum Doctorum mentem explicent: iis autem locis præcipuè insistant, qui ad excitandam devotionem, preces, ıa opera faciunt, atque ceremonias Ecclesiæ explanent.

In-

Insuper, ut in concionibus abstineant à conviciis, sed animo tranquillo & cum prudentia, virtutum excellentiam, vitiorumque fœditatem auditoribus ob oculos ponant; preces itidem ejus diei plebi explicent, quo cuncti unanimiter ad Deum fundant; usum quin etiam Sacramentorum, præ ceteris verò Missæ, populo enarrent, itaque à fabulis & figmentis sedulò caveant, tandem concioni, brevi totius substantiæ reiteratione, finem imponant.

XVIII. Ut nullus infra gradum Episcopi constitutus ad concionandum admittatur, qui veniam vel à Rege vel ab ordinario suo non impetrâsset.

§. CIII. Dum hæc geruntur, sub anni quadragesimi secundi finem bellum inter Anglos & Scotos, impulsore Galliarum Rege, exoritur, in quo, cum Scoti in fugam essent acti, plurimique Duces, Comites ac Nobiles Scoti, in captivitatem ducerentur, Rex Scotiæ mærore confectus fato concessit, relicta filia hærede, ante octavum diem nata. Inter Nobiles autem, qui in Angliam exules vel captivi deducebantur, prosperam præ reliquis est nactus sortem, Comes *Cassellis* (a), quem Lambethi commorantem Cranmerus magno studio ac felici successu è tenebris Papatus eripuit, ut insignis postmodum in SCOTIA evaserit Reformator. Sed & inter ceteros erant, qui de Reformationis negotio doctrinæque puritate informati, illa notitiæ salutaris semina secum in patriam retulerunt, unde amplissima dein exorta fuit Evangelii messis. Certè non deerant, qui cum in Scotiam denuò revertendi veniam accepissent, diserte, sibi Cultum Dei in Anglia præstantiorem longè videri quam patriæ suæ, profitebantur.

Jacobus quoque Hamiltonius, Araniæ Comes, cum A. 1543. Scotiæ Pro-Rex declararetur, felicem id portendere Reformationis successum poterat; Is enim, uti fastum sacerdotum ferre non poterat, ita libellos (b) de religionis controversiis & restaurata Ecclesia libenter lectitabat, adeo ut Pontificii quam plurimi, jam receptæ religionis mutationem & simul Gallici fœderis solutionem plane formidarent, reliqui autem spem meliorum

(a) BURNET. fol. 176.
(b) BUCHANAN. Lib. XV. §. III. p. 510. 511.

temporum susciperent. Sed ea piorum spes Cardinalis (is erat David Betonius, Archiepiscopus Fani Andreæ,) astutiâ & excitatis seditionibus, omnis tandem decollavit, atque eo res demum redacta fuit, ut Hamiltonius Prorex, non fidus Evangelicæ doctrinæ assecla, ad sacrificulorum nutum circumactus, non equidem propalam, sed tamen in æde Franciscanorum, coràm Regina vidua, & aulicorum qui Papatui favebant primoribus, sententiam suam de capitibus religionis controversis mutaret, & pænitendum pariter ac probrosum levitatis specimen præberet. Certè, tum rerum scena adeò mutata, ut biennio post, Cardinalis jam rerum potens, Hamiltonium Proregem, quem ita sibi reddiderat obsequentem, ut de imperio solam auctoritatis umbram retineret, specie sanandarum (a) partium, quæ seditionibus erant convulsæ, per proximas regiones circumduceret; Primum *Perthum* est ventum. Ibi quatuor homines, quod carnem die vetito comedissent, supplicio sunt affecti; mulier, cum parturiret, quod virginem Mariam in auxilium opemque ejus implorare noluisset, unà cum partu extincta est. *Taodunum* (Dundee) inde profecti, ipsi prædicabant se ire ad pœnas de Novi Testamenti lectoribus sumendas. Nam illa tempestate id inter gravissima crimina numerabatur, tantaque erat cœcitas, ut sacerdotum plerique, novitatis nomine offensi, contenderent, eum librum nuper à Martino Luthero scriptum, ac Vetus Testamentum reposcerent. Cardinalis saltem, peragrata cum Prorege bene multa regionum parte, nihil eorum omittebat, quæ inimicum ejus in eos qui religioni instauratæ favebant, quorum jam magnus numerus erat in Scotia, animum indicare poterant, quod deinceps in Georgii Sophocardii (dicti proprio nomine *Wishart* sive *Guiscard* (b)) martyrio, ejus potissimum auctoritate confecto, sed cui tamen ipse non diu superfuit, luculento patuit indicio.

§. CIV.

(a) BUCHANAN. rer. Scotic. L. XV. c. XXVIII. p. 529. conf. THUAN. Histor. lib. III. c. XIV. fol. 117.

(b) Nomen *Sophocardii* sibi confinxit BUCHANANUS ex σοφὸς & καρδία; cum tamen hoc verum cognominis *Wishart* etymon non esset, quippe quod origine Gallicum idem denotabat cum nomine Gallico *Guiscard*, quod etiam nunc inter Gallos usu tritum est.

§. CIV. Sed ut à rebus Scoticis revertamur in Angliam; Henricus Rex bello Scotico implicitus, novum Regni confessum celebrat à die 20. Januarii ad diem 12. Maji Anni 1543. In quo præter alia, rem publicam & belli rationem concernentia, duo circà Religionem statuta (a) fuerunt recepta. Priori titulus erat: *Statutum de stabilienda vera & abroganda falsa religionè*. Posterius, ad *confirmandam* prioris *clausulam* potissimum spectabat. In his equidem Bibliorum translatio Tindalliana, omnesque libri à doctrina quam A. 1540. promulgari Rex fecerat dissentientes, proscribebantur, sed tamen Biblia permittebantur, modo à Tyndallo non essent translata, atque annotationes expungerentur & præfationes; Nullum de religione librum absque Regis venia typis esse mandandum, edicebatur. In ludis scenicis (b), quorum sales sæpenumero corruptos clericorum mores perfricabant, vetabatur, ne ullam Scripturæ Sacræ expositionem facerent, nedum ut eâ abuterentur, sed vitia saltem reprehensione, & virtutem encomio dignam celebrarent. Cavebatur porrò, ne quis in cœtu publico Scripturam vel legeret vel exponeret, nisi prius vel ab ipso Rege vel à Pastore Ordinario, impetrasset veniam; Deinceps, concedebatur equidem Nobilibus atque quibusvis in dignitate quadam positis, quin imò etiam Mercatoribus, libera Scripturæ S lectio domestica, non tamen cuivis ex plebe, quanquam & plebi concederetur lectio libri sub titulo: *Institutio hominis Christiani* A. 1540. editi, porrò Psalterii, itemque Orationis Dominicæ, Salutationis Angelicæ & Symboli Apostolici, & quidem (secus at-

(a) BURNET. l. c. fol. 167. 177.

(b) Fuit is seculi mos, cum apud Belgas, de quibus in *Hist. Ref. Belg.* §. XL. p. 117. tum apud Anglos, teste BURNETO in *Hist. Ref. Angl.* Lib. III. p. m. 525. edit. Belgicæ, ut rhythmis & repræsentationibus scenicis, variisque comicis actibus, cum vitam tum mores monachorum & ecclesiasticorum exagitarent, atque plebis & politicorum ludibrio exponerent, sæpe non sine manifesto locorum quorundam SS. in rem ludicram adductorum abusu; Certe Philippus Rex Hispaniæ gravissima adversus ejnsmodi libellos scenicos promulgavit edicta. vid. HOOFD Histor. Belg. I. 37. 38. & *Plakk. van Vlaanderen* fol. 815. 816. Apud Helvetios verò etiam atque apud Germanos idem illud usu venisse comperimus.

que hactenus usurpatum fuerat) lingua vernacula, sive Anglicana, quippe cum eodem hoc anno apud *Thomam Berthelet*, Regis typographum, ea denuo typis inprimerentur sub titulo *Doctrinæ necessariæ atque Informationis hominis Christiani*. (a) Declarabatur tandem, Ecclesiasticos ab hoc libro diversa tradentes, post primam convictionem, ad renunciandum erroribus suis, post alteram, ad eorundem ejerationem & gestationem fasciculi adigendos esse, post tertiam vero (b), aut, si ejerare recusent, comburendos esse. Laicos verò post tertiam convictionem, bonis ipsorum fisco addictis, ad carceres perpetuos esse condemnandos. Denique, quoniam hactenus reo non licuerat prolatis testibus à se crimen amoliri, id nunc, quod magni instar beneficii habebatur, permittebatur, ac de reliquo res omnis ad REGIS referebatur beneplacitum, cui pro arbitrio liceret, de religione constituere, relicta subditis non alia nisi obsequii gloria.

Interea tamen, ejusdem anni mense Julio, quod nova fuerit exorta persecutio, contra *Windsorienses*, novæ, uti vocabant, doctrinæ fautores, ex Actis publicis constat (c) partim, quod dicerentur libros legere sex articulis contrarios, partim quod ipsis impingerentur verba quædam adversus Missam prolata, quando tres, ecclesiasticorum instinctu, martyrii mortem subire sunt coacti, dum ne quidem Regina, quam nuper sextam & ultimam sibi matrimonio Rex junxerat, *Catharina* PARRIA, Domini Latimeri Vidua (d), Reformationi licet favens, eorum in se patrocinium recipere ausa fuit.

Quin, mirum dictu, ipsi denuò Cranmero ceu Hæreticorum principi & Fautori, à Gardinero, hoste internecino, ejusque sociis, structæ criminum insidiæ: Simulata quippe Regis con-

(a) A necessary doctrine and Erudition of a Christian Man. vid. STRYPE Memorials Ecclesf. Vol. I. c. L. fol. 378. Sunt, qui observarunt propius jam longe hunc librum ad Reformatorum doctrinam accedere, quam quidem superiorem illum, & in quam multis horum libellorum alterum ab altero esse diversum. STRYPE fol 381.

(b) BURNET. l. c. & Rap. THOYRAZ. l. c. p. 421. 422.

(c) v. BURNET. fol. 179.

(d) Rapin. THOYRAZ. l. c. p. 433.

conniventia, audaciores facti illum hæreseos insimulare non dubitarunt, articulis quibusdam consignatis atque Regi exhibitis, in quibus ante omnia tanquam sex articulorum osor perpetuus & hæreticorum patronus, describebatur, qui etiam nunc contra severissimum Regis Edictum vivat in matrimonio, etsim. Et fuisset ea quoque res capitalis, nisi candore suo prorsus eximio, Cranmerus de novo Regis expertus fuisset gratiam & favorem, ut, nequicquam frendentibus hostibus, eorum cassibus etiam tum fuerit ereptus; Scilicet (a) Rex, cum illis articulis ad Cranmerum se recipere, atque primò de hæresium incrementis, dissidiisque inde orituris verba facere, addere porrò, se in hæresium auctorem ac fautorem perquirere sedulò, ut si eum offendat, meritas non effugiat pœnas, & interrogare denique, quid Archiepiscopo ea de re videatur? Ille statim, non sibi displicere consilium, regerit, modo prius, quid hæresis sit, probè expendatur, ne qui verbum Dei adversus hominum commenta tuentur, tanquam hæretici condemnentur: Tum vero Rex, „Te volebam, „ inquit, qui inde à longo tempore jam hæresium auctor diceris „ atque fautor,„ statimque articulos à Præbendariis Cantuariensibus & Justitiariis Cantiensibus sibi oblatos Cranmero tradit: Cranmerus lectis articulis in genua procidens, rei veritatem explorari petit, addens, se omninò adversus sex articulos, priusquam essent decreti, rationes suas proposuisse, at verò, adversus illos deliquisse nunquam; de uxore interrogatus, se quidem uxorem habere non est inficiatus, sed, quam, simulac illud adversus Sacerdotum matrimonia statutum esset factum, in Germaniam dimisisset; Quo animi candore atque oris sinceritate percitus Rex, tandem omnem Cranmero conjurationis rationem aperit, atque exhibitis accusationum libellis ut in Accusatores inquirat, & de hostibus suis vindictam sumat, urget, quod ultimum tamen adeò à se, suoque, cui præerat, munere alienum arbitrabatur Cranmerus, ut potius eos quo inposterum sibi caverent admoneret, atque ut fideliores & magis pios se præstarent, quid? quod pro eorum uno qui Regis offensam incurrerat, ejus gratiam injuria-

 rum

(a) vid. BURNET. lib. cit. fol. 180. ex Antiquitatibus Britannicis, & Rapin. THOYRAZ. p. 433. 434.

rum immemor imploraret, raro incorruptæ probitatis & generosi animi exemplo, qui inimicis, ac vincula & cædem spirantibus ac intentantibus, cum posset, nocere noluerit.

§. CV. Anno sequenti 1544. CRANMERUS, quod perspiceret *Juris Pontificii*, quod vulgari nomine *Canonicum* appellatur, impudentiam nec modum habere nec finem, indecorum autem esse argueret, illi oneri vix ferendo Anglicanam Gentem amplius humeros suos submittere; ut illi iniquitatis mysterio mederetur, operam navavit; Cum enim necessariam ejus esse emendationem (a) evicisset, à Rege autem admonitus esset ut quandam errorum & abominationum ex eo Synopsin faceret, atque propius de adornando novo Legum Ecclesiasticarum in Anglia observandarum corpore cogitaret, protinus manum operi admovit (b); Et fuit tum ex auctoritate Henrici non minus Ecclesiasticarum Legum Reformatio decreta; Suntque delecti, viri aliquot usu & doctrina præstantes, numero triginta duo, qui penitus abolendo pontificio juri, cum omni illa decretorum & decretalium farragine, novas leges, quæ controversiarum & morum judicia regerent, regis nomine & auctoritate surrogarent, id quod ex Regis Epistola (c) constare poterit, quæ & serium ipsius hac in re studium & animi voluntatem aperit; Quanquam tamen, nescio quo modo quave occasione res successu tum caruit, sive temporum ini-

(a) BURNET. l. c. fol. 181.

(b) vid. BURNET. in Collect. Documentor. ad Lib. III. Num. XXVII. fol. 518. ubi Collectio exhibetur locorum ex Jure Canonico excerptorum à Cranmero, qua, quam necessaria sit ejus emendatio, ostenditur.

(c) Omnem rem enarrat Jo. FOXUS, in præfatione ad librum rarissimum, cui titulus: *Reformatio Legum Ecclesiasticarum ex auctoritate primum Henrici VIII. inchoata, deinde per Regem Eduardum VI. provecta, adauctâque* &c. Londin. 1640. 4. Cujus libri historiam & breve argumentum exponit BURNETUS in Hist. Ref. Angl. Tom. II. ad Ann. 1552. fol. 130. seq. edit. Latinæ. Ceterum cum illi libro præfixa quoque sit Regis Epistola, alibi quantum novimus non legenda, nisi quod in Conciliis Magnæ Britann. Vol. III. fol. 779. 780. ea referatur, minus tamen, uti nobis videtur, concinnè ad Ann. 1534. ut eam inde depromeremus, atque inter documenta nostra Num. XXXI. poneremus, operæ videbatur pretium.

iniquitate, sive nimia eorum quibus committebatur, cunctatione, ut ea per Eduardum demum Henrici successorem, suum acceperit complementum.

Nisi quod cerimoniæ tamen quædam superstitiosæ, anno sequenti suasu Cranmeri, præcipiente Rege videantur abolitæ: Cranmerus enim ad Regem VIII. scribens (a) A. 1545. equidem de instituto illo Constitutiones Ecclesiasticas condendi, tanquam de re prorsus obliterata loquitur (b) ut tamen Rex intermissum illud consilium repetere, atque cerimonias quasdam, v. g. Crucis adorationem, & consuetum morem pridie festi S. Andreæ tintinnabula pulsandi etsim. abrogare volens, animi sui sententiam Cranmero propius explicaret; quando statim a Cranmero literæ sunt delineatæ, quas Princeps ille ad ambos Archiepiscopos, qui cum reliquo clero eas communicaturi erant, scribere debebat. In appendice verò, quæ illi quam diximus, Epistolæ subnexa est, conquerebatur Cranmerus, „ sacrilega temeritate cathedralem suam Cantuariensem Ecclesiam spoliatam fuisse, Decanumque & Capitulum literis quibusdam, quas Aulici subreptitiè & obreptitiè impetraverant, varios Ecclesiæ fundos abalienare coactos fuisse; Quodsi igitur Rex sibi quid petere placeret, id omne se facilè ipsi cessuros esse, modo ut ipse sibi id reservet, non ad aliorum petitionem ab Ecclesia transferat ad alios. „

Erat hoc tempus quo novo bello cum Gallo æque ac cum Scotis implicitus erat Henricus, quod, ut tanto majori cum facilitate conficere posset, suorumque subditorum animos sibi simul devinciret, omnem navavit operam, ut utrique parti circà religionem dissentienti quodammodo satisfaceret; Sic enim, demortuo Thomæ *Audlejo* Cancellario, qui purioribus sacris admodum

(a) vid. BURNET. Hist. Ref. Anglic. Lib. II. fol. 130.

(b) Hanc Epistolam, tanquam memorabile ejus ævi monumentum ex charto-phylacio Regio edidit, atque Historiæ suæ subjecit Illustris BURNETUS. vid. Document. ad Vol. II. n. LXI. fol. 139. 140. ubi simul quoque Exemplar Epistolæ quam Rex ad Cranmerum mittere statuerat responsoriæ, de abrogandis illis superstitiosis ritibus, reperitur, quam utramvis Epistolam inter Documenta nostra Num. XXXVIII. referre juvabit.

modum faverat, substituit, in gratiam Pontificiorum *Thomam Wriothesleyum* (a), Pontificiis summoperè addictum, In hujus autem, qui Secretarii munere functus erat, locum surrogat, *Gulielmum Petrum*, intimum Cranmeri amicum; Deinceps, in Galliam trajiciens, Regni administrationem Reginæ, itidem Reformatis faventi, committit, datis ipsi Consiliariis, Archiepiscopo *Cantuariensi*, Domino *Cancellario*, Comite *Hartfordiæ* & Secretario *Petro*; Porrò, si miles esset conscribendus, Comitem Hartfordiæ, (Is erat Eduardus Seimouriæ frater, deinde Dux Somersethensis creatus, ac tandem sub imperio Eduardi VI. Regis ac Regni Protector,) vicarium suum designabat (b), cujus sub regimine non erat, cur Reformati quicquam metuerent. Nec minus Reformatis acceptum fuit Regis mandatum de precibus ac liturgiis in Anglicam linguam transferendis, quod per Archiepiscopum d. XI. Junii confectum fuit; quippe cum ex uno hoc, ad reliqua etiam cultus divini officia propediem in vernaculam facilè convertenda, argumentum caperent. His ita constitutis Angliæ Rex, ingenti cum exercitu trajecto mari *Caletum* venit: post obsidet *Monstrelum*, eique de voluntate Cæsaris militabat Burensis Comes Maximilianus, illinc *Boloniam* profectus, oppidum maritimum, obsidet. (c) Ei rex præfecerat quendam genere nobilem Vervinum; Cæsar verò postquam duos istos Reges bello implicuisset, Germaniam interea potestati suæ subjecturus, pacem (d) cum Galliarum rege d. XIX. Septembris sancivit. Rege igitur d. XXX. Sept. in Angliam reverso, atque cum Scotis non admodum feliciter (e) pugnante, nova a Germanis Protestantibus ad utrumque Regem missa est legatio, sed conatu irrito (f); neque Cranmerus multa licet movens, quicquam promovere potuit,

(a) Rapin. THOYRAZ. l. c. pag. 438. conf. *Act. publ.* Tom. XV. pag. 20. & BURNET. fol. 181.

(b) BURNET. l. c. fol. 181.

(c) SLEIDAN. Hist. Lib. XV. fol. 265. a.

(d) Hujus pacis conditiones habet SLEIDANUS l. c. fol. 266. a.

(e) BURNET. fol. 182. & BUCHANAN. lib. XV. c. XXVI. & XXVII. pag. 526. seq.

(f) SECKENDORFF. Histor. Lutheran. Lib. III. §. CXXIV. & BURNET. fol. 182.

tuit, quippe qui Gardinerum sibi semper infestum habebat, qui ejus conatus infringeret. Id unicum tamen ipsi ex voto cessisse hoc anno refertur (a), quod ex amicis suis quam plurimos ad Episcopatus evehere potuerit, cum ceteroquin pauca tum in Anglia circa religionem memorabilia perfici possent.

§. CVI. At verò in SCOTIA, quæ Cardinalis Betonii imperio, quod in Proregem atque Reginam sibi arrogaverat, suberat inclementissimo, tum duo evenerunt, sed longe diversa, quæ commemorari merentur; Alterum est *Georgii Guichardi* sive Wisharti (quem Sophocardium Buchananus (b) appellat) martyrium; Alterum, tragica ipsius Cardinalis aliquot mensibus post subsecuta mors.

Erat *Georgius Wishartus* nobili prosapia oriundus, atque in in Academia Cantabrigiensi adeo prosperos in literarum studiis fecerat progressus, ut principiis veræ religionis probè instructus A. 1544. in Scotiam reversus, passim adversus corruptelas ubique grassantes (c) concionaretur, plerunque *Dundeæ* (d), habitans. David Betonus S. Andreæ Episcopus Cardinalis id ægre ferens magistratum loci minis adversus novum hunc concionatorem uti jubet, silere igitur Wishartus, & turbas ne commoveret jussus, respondit, uti res erat, „ nullas se movere turbas, neque tamen „ hanc esse turbas evitandi viam, Dei legatos rejicere, ac quamvis hinc discedat, Deum tamen alios missurum esse legatos, „ se non sine vitæ discrimine verbum salutis ipsis annunciasse, „ nunc autem ab ipsis pelli; verendum esse ne sibi ipsis hac a-„ gendi ratione arcessant periculum, quod brevi ipsis obventu-„ rum prænunciat, eosque ut seria pœnitentia ad Deum se con-„ vertant, hortatur.„ Sic igitur *Dundeâ* relicta, partes Scotiæ occidentales adiit plures nactus asseclas. Prohibitus autem ab Archiepiscopo Glasgoviensi Joh. Betono ne in ædibus sacris

S s con-

(a) BURNET. fol. 182.

(b) BUCHANAN. l c. p. 531. seq. quem præcise deinceps ac verbotenus sequimur.

(c) BURNET. l. c. fol. 182.

(d) Est ea urbs Angusiæ pimaria ad *Taum*, und nomen traxit *Taodunum*, sive *Dundee*, sita, veteribus *Allectum* dicta, decem ferè milliaribus à Fano S. Andreæ vulgo St. *Andrews* distans.

concionaretur, sæpiusculè in agris ac sub dio concionatus fertur, intereà dum asseclis suis in templa irruere volentibus obnixè interdicebat, dicens „ verbum se pacis annunciare, nec „ ejus causa sanguinem fundere licere. „ Post mensem, cum audivisset, pestem Dundeæ grassari, mox eò rursus se confert, verbum Dei ita annuncians, ut peste infectis extra domum, sanis vero intra illam collocatis, pauperibus etiam auxilio & solatio, cunctisque Pastoris instar fidelis emolumento fuerit. Cum aliquando finita concione sacrificulum pugione ipsum interimere volentem, populus in furorem actus pæne interfecisset, ipse sacrificulum brachiis amplexus, à furore plebis tutum servavit, dicens, non fuisse se ab ipso læsum, sed posse tamen inde conjecturam capi, quale sibi instaret fatum. Ab eo tempore instantem præsagiens mortem, à somno sæpenumero surrexisse dicitur atque precibus totam transegisse noctem, suosque hortatus ne fides ipsorum deficeret, se quidem brevi abiturum (a), & paucos quosdam se insequentes, universam tamen Regionem non ita multo post ad Veritatis Evangelicæ lucem conversam iri. Cum igitur variis in locis ejus Conciones cum applausu reciperentur, is quoque in Lothianam (quæ regio est perampla in tres præfecturas diremta Limnuchensem Edimburgensem & Hadintoniensem) conversus ibique Evangelium annunciare est annisus;

Interea erat Edimburgi conventus Ordinis Ecclesiastici ad Id Januarias. (b) In eo cœtu cum jactata plurima fuissent, de Veteri Ecclesiæ libertate retinenda, de manifestis quibusdam sacerdotum flagitiis expurgandis, nec ullus inveniretur exitus, tandem delatum est ad eos, *Georgium Guischartum*, concionatorem Evangelii longe populo acceptissimum, ad septem ab urbe millia passuum, apud hominem nobilem, *Johannem Cocburnum* diversari. Ad eum statim equites missi, qui hominem deposcerent. Sed cum Cocburnus alia atque alia caussaretur, ac moras innecteret, si eum occultè posset dimittere circumspiciens, Cardinalis per suos id fieri admonitus, & summopere tamen hac opima præda potiri cu-

(a) BURNET. l. c. fol. 183.

(b) Anni scil. 1545. juxta hodiernam, at, A. 1544. juxta veterem supputationem.

cupiens (a) intempesta nocte, cum Prorege illuc delatus, omnes aditus obsedit, nec tamen aut blanditiis aut pollicitationibus aut minis quicquam efficere potuit, donec Comes Bothueliæ è propinqua villa sua evocatus, eo venit. Is cum omnium Lothianorum facile potentissimus esset, tandem impetravit, ut Georgius ipsi dederetur, interposita fide, se ab omni damno & injuria eum defensurum. Sacerdotes hanc prædam nacti, Edimburgo eum ad Fanum Andreæ transferunt. Ibi, post alterum fere mensem, coacta frequenti omnis generis sacerdotum multitudine, quæ de doctrina ejus decerneret, & magis ut speciem judicum præberent, quam quod cuiquam dubium esset, quid decreturi forent, de consensu omnium, Cardinalis (quoniam ipse, per leges Pontificias, de capite cujusquam nec exercere quæstionem, nec statuere posset) petit a Prorege, per literas, ut designet rei capitalis judicem, qui in reum animadvertere juberet, qui jam a conventu sacerdotum hæreseos damnatus esset.

In ea re nulla videbatur mora per Proregem futura: ac ne fuisset quidem, nisi propinquus ejus David Hamiltonius Præstonianus, multis verbis eum admonendo, rogando, deterrendo, ac interim prope objurgando, continuisset. In hanc fere sententiam locutum ferunt; „ Se vehementer mirari, quo consilio, Prorex, „ adversus Dei servos, quibus nullum crimen objiciatur, præter „ Evangelii Jesu Christi prædicationem, tantam licentiam per„ mitteret, & hominibus, flagitiorum turpitudine, & morum „ immanitate plusquam ferina, prope in cruciatum dederet in„ noxios: quorum vitæ integritatem inimici fateantur inviti, doc„ trinam non ignoraret, ut cui ipse non ita pridem vehementer „ fuisset deditus: cujus commendatione in hunc supremum gra„ dum pervenerit: quam se amplexum sit testatus publice edictis: „ quam tuendam palam susceperit: ad quam legendam, cog„ noscendam, vitaque & moribus exprimendam, singulos & „ universos sit hortatus. Cogita igitur, inquit, qui sermones, „ quæ cogitationes hominum, de te sint futuræ: cogita bene„ ficia in te collata divinitus: sublatum e medio Regem, ho-

(a) THUAN. Histor. Lib. III. c. XIV. fol. 117.

„ minem acrem, & tibi infensum, cum istud idem iter insiste-
„ ret, quo tu nunc vestigia sequeris. Qui suis consiliis illum
„ præcipitarunt, te nunc in exitium rapere conantur: te ab ini-
„ tio impugnarunt, omni mole suæ potentiæ; nunc pravis con-
„ siliis te in fraudem illiciunt. Revoca in mentem victoriam,
„ tibi de civibus, sine cæde & sanguine; de hostibus, longe
„ majoribus copiis fretis, cum ingenti tua gloria, maxima il-
„ lorum ignominia, concessam. Reminiscere, quorum in gra-
„ tiam Deum deseras, & amicos oppugnes: expergiscere ali-
„ quando, & tenebras, tibi a nefariis hominibus circumfusas,
„ discute. Propone tibi ante oculos Saulem illum, Israëlitici
„ generis Regem, ex infimo loco in supremum translatum.
„ Quanta illum indulgentia, legi suæ obedientem, Deus est
„ prosecutus; quantis miseriis eundem, præcepta sua negligen-
„ tem, involverit. Confer tuarum rerum, ad hunc usque diem,
„ successum, cum rebus illius prosperis: ac, nisi consilium mu-
„ taveris, nihilo feliciorem, imo deteriorem, exitum exspecta.
„ Quid enim ille designavit, quale tu nunc facis, idque in gra-
„ tiam hominum scelestissimorum, qui neque flagitia sua tegere
„ possunt, nec dissimulare saltem conantur? „

Hac admonitione hominis amici Prorex motus, rescripsit ad
„ Cardinalem; Ne id judicium præcipitaret: sed rem totam ser-
„ varet integram usque in suum adventum. Neque enim se con-
„ sensurum in illius hominis perniciem, antequam de caussa dili-
„ gentius cognoscatur. Quod si Cardinalis secus faxit, in caput
„ ejus pœna vertat: se vero immunem cædis & sanguinis fore,
„ hisce literis attestari. „ Cardinalis hoc responso, præter opi-
nionem, ictus, cum non dubitaret, interposita mora, reum, vulgo
gratiosum, ereptum iri: nec rem disceptationi committi vellet:
partim, quod nullam in æquitate spem poneret: partim, quod
de sententiis, jam ante, conciliorum auctoritate, prædamnatis,
iterum judicium fieri nolebat: itaque prope furenter iratus in
consilio ante suscepto perseveravit: ac respondit; „ Se non ad
„ Proregem ideo scripsisse, quod ab ejus auctoritate ulla in re
„ penderet, sed quod, ad speciem consensus publici, ejus no-
„ men ad condemnationem ascribi vellet. „

Igi-

§. CVII. Igitur, Georgio e carcere producto, Joannes Viniramus, vir doctus, & qui ex animo sinceræ religionis caussæ, sed occulte, faveret, e superiore loco concionem habere jussus, e Mathæi capite decimo tertio declamavit; „ Bonum semen „ esse verbum Dei, malum vero hæreses. Hæresim enim esse „ opinionem falsam, & cum sacra Scriptura plane pugnantem, & quæ cum pertinacia defenderetur: eam vero & „ gigni & ali ignorantia pastorum Ecclesiæ: qui spiritali gladio, id est, verbo Dei, nec hæreticos convincere, nec errantes reducere in viam norunt. Deinde, explicato Episcopi, ex epistola ad Timotheum, officio, unam esse hæresim „ deprehendendi rationem ostendit, si ad verbum Dei, velut „ ad lapidem Lydium, conferatur. „ Tandem, cum perorasset, etsi, quæ dicebantur, contra sacerdotes facerent, qui non ad refellendas hæreses convenissent, sed ad eos plectendos, qui licentiæ & arrogantiæ eorum obviam irent, tamen, velut omnia succederent eis ad votum, ut consuetam judicandi sibi formam observarent, ad suggestum, in templo exstructum, Georgium pertrahunt: alterum ex adverso suggestum conscendit Joannes Lauderus, Romanensis sacrificulus: cæteri, velut ad judicandum, circumsistunt. Sed nulla judicii aut liberæ disceptationis ibi forma fuit. Accusator enim, cum multis abominandis conviciis, odiosissima quæque, quæ vulgo adversus purioris doctrinæ magistros confingi solent, cum summa verborum acerbitate detonabat, atque ita tum actis aliquot horis, Georgius, in arcem reductus, in præfecti cubiculo pernoctavit, magna parte temporis in orando consumta.

Postridie mane, Episcopi duos Franciscanos ad eum miserunt, qui ei denunciarent; „ Moriendum quamprimum esse: „ ac rogarent, „ Num ipsis, de more, peccata confiteri vellet „ Ille, „ Nihil sibi rei cum Fratribus esse, „ respondit: „ nec cum eis „ libenter collocuturum. Verum, si in animum inducerent, in „ hoc genere sibi gratificari, se cupere sermonem conferre cum „ homine illo docto, qui pridie concionatus fuerat. „ Is cum, Episcoporum permissu, in arcem venisset, cum Georgio satis diu Viniramus collocutus, tandem, sedato fletu, a quo se cohi-

bere non potuerat, placide rogat eum; „ Num vellet, Cœnæ „ sacramentum accipere: Et perlibenter, (inquit) si ex Christi „ instituto, sub utraque specie, nempe panis & vini, exhibea- „ tur. „ Viniramus, ad Episcopos reversus, cum retulisset, eum sancte affirmare; „ Se immunem a sceleribus, quorum ar- „ guebatur: nec id eo pertinere, ut mortem instantem depre- „ caretur: sed ut suam innocentiam, Deo satis notam, homini- „ bus etiam testatam relinqueret: „ ad ea Cardinalis, ira inflammatus: „ Et te, inquit, qui sis, jampridem non ignoramus. „ Item rogatus, „ Num sacri corporis, & sanguinis communio- „ nem ei permitteret, „ cum aliis Episcopis paullum collocutus, ex eorum sententia respondit, „ Non videri æquum, ut „ pertinax hæreticus, ab Ecclesiaque damnatus, ullis Ecclesiæ „ beneficiis frueretur. „

His renunciatis, cum familiares præfecti arcis, & ministri, hora circiter nona, ad jentaculum convenissent, rogatus ab eis Georgius; „ Num & ipse una vellet sumere cibum: „ respondit, „ Et „ perlibenter, ac multo etiam libentius, quam a me est factum su- „ perioribus diebus: quod nunc demum intelligam, viros vos esse „ bonos, & in eodem Christi corpore mecum esse sociatos: quod- „ que hunc mihi in terris novissimum convictum esse sciam. Te „ autem (inquit præfecto) hortor per Dei nomen, perque eum „ amorem, quo afficeris erga Dominum & Servatorem nostrum „ Jesum Christum, ut huic mensæ paullum assideas, audientiam- „ que facias, donec ego brevi adhortatione vos compellem, ac su- „ per pane, quem, ut fratres in Christo, sumus esuri, orem; ac „ deinde vobis valedicam. „ Interea mensa, ut mos, linteo operta, impositoque pane, Georgius disserere breviter ac dilucide cœpit, de Christi Cœna, tormentisque & morte, circiter horæ dimidium loqui. Hortatus est autem præcipue; „ Ut, abjecta „ ira, invidia, ac malitia, in animos imprimerent mutuum a- „ morem, ac perfecta fierent membra Christi, qui assidue pro „ nobis interpellat Patrem, ut nostrum sacrificium apud eum „ proficiat in vitam æternam. „ Hæc locutus, cum Deo gratias egisset, panem fregit, ac singulis particulam ejus porrexit, & vinum pariter, ubi ipse gustasset, omnesque precatus esset;

„ Ut

„ Ut memoriam mortis Christi nunc postremum in hoc sacra-
„ mento secum usurparent: sibi autem amariorem potionem
„ temperari, ob nullam aliam caussam, nisi Evangelii prædi-
„ cationem. Post hæc gratiarum actione peracta, se in cubi-
„ culum suum recepit, ac orationi finem reddidit. „

Nec multo post, duo e carnificum nnmero ad eum a Cardinali missi: quorum alter tunica, e linteo panno, nigra eum induit: alter multos pulveris sulfurei sacculos ad omnes corporis partes adnexuit, atque hoc ornatu amictum, in cubiculum exterius præfecti eductum, ibi commorari jubent. Interea, eodem pene momento, in area ante arcem suggestum ligneum erigitur, pyra extruitur, ex adverso fenestra & propugnacula arcis tapetibus, stragulis sericis, & pulvinis ornabantur, unde Cardinalis, cum suo grege, lætum spectaculum e tormentis hominis innoxii caperent, &, velut tam præclari facinoris auctores, gratiam populi captarent. Magna præterea frequentia armatorum, adversus vim externam, aut verius ad ostentationem potentiæ, adhibita: machinæ æneæ, per totam arcem, locis idoneis dispositæ. Inter hæc, tubis clangentibus, Georgius productus suggestum conscendit, & ad palum funibus alligatur: ac, vix impetrata pro Ecclesia orandi venia, carnifices ignem subjecerunt, qui pulverem undique alligatum confestim in flammam ac fumum solvit. Præfectus arcis, qui tam prope astabat, ut flammæ afflatu amburereretur, breviter eum est hortatus: „ Ut bono animo esset,
„ ac delictorum veniam a Deo peteret. „ Cui ille, „ Hæc qui-
„ dem flamma corpori, inquit, attulit molestiam, animum vero
„ non fregit. At, qui nos ex editiore loco tam superbe despi-
„ cit, intra paucos dies non minus ignominiose jacebit, quam
„ nunc arroganter cubat. „ Hæc locuto, funis circa fauces arctius astrictus vocem inclusit. Post aliquot horas, corpore in cineres ignis violentia soluto, Episcopi, adhuc ira odioque furentes, gravissimis pœnis propositis, vetuerunt, ne quis pro defuncto oraret. Ex eo, Cardinalis a suo grege magnus haberi, ac divinis in cœlum laudibus ferri; „ Ut qui, torpentibus cæ-
„ teris, unus, auctoritate Proregis contemta, tantum facinus
„ perfecisset: qui, populari superbia compressa, totius ordinis
„ Ec-

„ Ecclesiastici patrocinium tam fortiter susceperit, ac feliciter
„ gesserit. Tales profecto suæ dignitatis vindices superioribus
„ annis Ecclesia si habuisset, ipsa nunc aliorum imperiis non
„ esset obnoxia, sed, suæ majestatis vi ac pondere, cætera sub
„ se omnia contineret. „

§. CVIII. Hac sacerdotum (ita BUCHANANUS pergit) supra modum luxuriante victoria, non promiscuum modo vulgus, sed plerique, genere & opibus illustres, magis irritati quam fracti, rem eo sua segnitie redisse indignabantur, ut præceps aliquid cum periculo esset audendum, aut omnia cum ignominia foret patiendum. Jam etiam plures, & apertius erumpentibus vi doloris querelis, de Cardinale tollendo coire, & ad libertatem recuperandam, aut vitam projiciendam, hortari. „ quam enim spem dignitatis reliquam
„ fore, sub arrogantissimo sacrificulo, eodemque tyranno sævissi-
„ mo, qui bello adversus Deum hominesque suscepto, non inimi-
„ cos modo, id est, qui aut rem haberent, aut pietatem colerent,
„ sed cuicunque esset leviter offensus, eum, velut pecus ex
„ hara, suæ libidini mactaret? Qui publice bellum & civile &
„ externum alat, privatim meretricum amores nuptiis copulet,
„ nuptias legitimas pro arbitrio dirimat, domi cum scortis vo-
„ lutetur, foris in cæde innoxiorum & sanguine debacchetur. „

Cardinalis autem, etsi suis opibus non diffideret, tamen, cum non ignoraret, qui habitus esset animorum, qui de se sermones vulgo spargerentur, sibi cogitandum existimavit, de potentia novis incrementis augenda. In Angusiam igitur profectus, filiam natu maximam filio Comitis Crafordiæ despondit, nuptiasque magno apparatu, & prope Regia magnificentia, fecit. Inter hæc, cum per exploratores certior fieret, Anglum, ad infestanda Scotiæ littora, magnos apparatus navales cogere, ac potissimum Fifensibus minari, ipse, ad Fanum Andreæ reversus, Nobilitati, ac potissimum iis, qui maritimos agros tenerent, diem ad conveniendum statuit, ut in commune consulerent, quod huic malo remedium esset objiciendum. Quoque id facilius prospiceret, decreverat, una cum agrorum dominis, totum littus, hoc est, pene Fifam universam circumire, & loca, pro cujusque commoditate, communire, aut præsidiis obtinere.

In-

Inter alios juvenes nobiles, venit ad Cardinalem Normanus Leslius, Comitis Rothusiæ filius, cujus antea a nobis mentio non semel facta est. Is cum sæpe ante Cardinali fortem & fidelem navasset operam, incidit inter eos contentio de re privata, quæ ad tempus animos nonnihil alienavit: sed ea lite, magnis pollicitationibus inductus, Normanus cesserat. Verum cum, post aliquot menses, ad repetenda promissa redisset, e sermone in altercationem, ac deinde, neutri satis decora, inciderunt convitia: discesseruntque utrinque animis infensissimis: Cardinalis, non quam volebat reverenter tractatus, indignabundus: & alter, velut fraude circumventus, minabundus, & in vindictam pronus ad suos rediit, & intolerandam Cardinalis superbiam eis exposuit. Facile omnes in cædem ejus conjurarunt: &, quo res minus foret suspecta, Normanus cum quinque tantum comitibus Fanum Andreæ ingressus, in consuetum diversorium se recepit, ut ea paucitate cædis consilium dissimularetur. Erant in oppido præterea decem ex conjurationis consciis, qui, alii alio in loco, rei aggrediendæ signum exspectabant. Cum hac manu tantum facinus obire est ausus, in oppido pleno propinquorum & clientium Cardinalis. Erant tum, ut in illis regionibus, vere præcipiti, dies longissimi, nempe circiter Maji Nonas: & Cardinalis arcem suam, in usum belli, communiebat, tanta festinatione, ut prope diei noctem in opere continuaret. Igitur, cum diluculo, ad operas intromittendas, aperiretur porta, Normanus e suis in domuncula propinqua duos præmissos in insidiis collocarat, ut, janitore ab eis comprehenso, portæ compotes, signum, quod convenerat, cæteris darent. Hoc pacto, sine tumultu omnes ingressi, quatuor e suis miserunt, qui Cardinalis ostium observarent, ne quis ad eum nuncius perferri posset: alii circa aliorum cubicula missi, qui hominum & locorum notitia freti, ministros nominatim excitent. Eos cum semisomnes sigillatim evocassent, mortem præsentem, si quisquam mutiret, comminati, extra arcem inviolatos sine tumultu eduxerunt. Ita cæteris ejectis, cum soli arce potirentur, qui obsidebant Cardinalis ostium, tum demum pulsant. Rogati, quinam essent, cum sua nomina edidissent, intromissi (promissa, ut quidam

sunt auctores, incolumitate,) multis eum vulneribus conficiunt.

Interea rumor de arce capta per totam urbem spargitur. Cardinalis amici, somno & crapula languidi, sese lente moliuntur e lectis, & tumultuose, Ad arma, vocantes, ad arcem accurrunt, cum magnis minis & verborum contumeliis, scalas poscunt, & alia, quæ erant ad oppugnationem necessaria, comportant. Qui ex arce hæc spectabant, ut repentinum illum animorum impetum paullulum retunderent, & ad respectum sui furentes revocarent, conclamant, „ Frustra eos tumultuari, „ & mortuo seram opem ferre: „ & cum dicto cadaver exanimatum oculis omnium exponunt, in illo ipso loco, unde ipse, non multo ante, Georgii Sophocardii supplicium tam lætus spectaverat. Nec subibat modo animos rerum humanarum inconstantia, & inexspectatus eventus, sed multis occurrebat *Georgii* illa de illius morte prædictio; multaque alia, quæ sanctissimus vir ille, non sine divino (ut credibile est) Spiritus afflatu (a), ventura præmonuerat, ut brevi secutus exitus comprobavit. Cardinalis amici & propinqui, ad hoc insperatum spectaculum attoniti, celeriter sunt dilapsi.

Re per omnes regni partes divulgata, diversus animorum, pro cujusque erga eum amore vel odio, fuit motus, aliis pulcherrimum, aliis nefarium facinus existimantibus. Multi enim, ob diversum religionis cultum, vitæ suæ ab eo metuentes: non pauci ob arrogantiam intolerabilem offensi, non solum factum probarunt, sed & gratulatum ad libertatis publicæ auctores venerunt: quidam etiam vitam fortunasque cum illis conjunxerunt. Aula vehementer perculsa, & velut consilii sui parte orbata, de sententia eorum, qui aderant, cædis auctoribus denunciant, ut intra sextum diem adsint, & vadibus datis caveant, se intra diem, qui eis nominaretur, ad caussam dicendam in jus venturos. Illi cum arcem munitam tenerent, & in ea suppellectilem pecuniamque Cardinalis, & Proregis filium primogenitum, obsidem (ut ante narravimus) Cardinali datum, nec pollicitationibus hostium, quorum sæpe ante levitatem & perfidiam perspexerant,

(a) Hæc omnia BUCHANANI l. c. sunt verba.

rant, fidem haberent, nullas conditiones aut mentionem pacis admittebant. Ita eis aqua & igni interdictum est. Hoc pacto res partim minis & inanibus alterius partis promissis, partim alterius diffidentia, a mense Majo ad Non. usque Novembris est extracta. (a)

§. CIX. Sunt verò, ut in Angliam redamus, anno sequenti 1546. Capitula quoque omnia ac Fraternitates, aliaque collegia secularium sacerdotum, qui pensionibus annuis fruebantur, celebrandarum pro defunctis Missarum gratia, in Regis Henrici manus resignata; addita potestate (b) quandocunque libuerit, mandata de iis occupandis, sibique ac hæredibus suis in perpetuum vendicandis, promulgandi. Atque est tum prolixa ad utramvis Domum habita Regis Oratio, cujus brevem hic legere summam juvabit: „ Gratias se habere, Rex aje-
„ bat, cum pro subsidio ad sumtus bellicos concesso, tum pro
„ Billa, quæ illam concernebat capitulorum & collegiorum
„ resignationem, ac spondere, omni studio se curaturum, ut
„ Ministri sustententur, studia promoveantur, pauperesque sub-
„ leventur; Mox ipsos experturos, se spei de se conceptæ,
„ etiam supra votum, responsurum. Insuper postquam Com-
„ munes de suo erga ipsos amore, ac certitudine de ipsorum
„ erga se fidelitate certiores reddidisset, unicum, ut impo-
„ sterum corrigerent, monebat; se enim animadvertere, loco
„ charitatis & Concordiæ dissidia passim & contentiones invale-
„ scere. *Paulina* allegabat verba dicentis, *Charitatem esse beni-
„ gnam, non invidere, non inflari.* Dum verò, unus alium vocat
„ hæreticum, alter alterum appellat Papistam Pharisæum, ubi
„ indicia sunt charitatis? Hujus verò mali causam præcipuè Pa-
„ tribus & Doctoribus Ecclesiasticis, adversùs se invicem, abs-
„ que charitate & prudentia Conciones habentibus, imputan-
„ dam esse, dum alii veteri suo *Mumpsimus*, rigidè nimis adhæ-
„ reant, alii novo suo *sumpsimus* nimium tribuant, paucis in-
„ terea Concionatoribus Verbum Dei sincerè annuntiantibus.
„ Quomodo autem vivet in concordia misellus populus, dum

(a) conf. THUAN. loc. cit.
(b) BURNET. l. c. fol. 185.

„ Concionatores diffidia ferunt. Se itaque seriò illos hortari, ut „ Verbum Dei pura prædicatione, & vita exemplari annunscient; secus sibi, ceu Dei Vicario, & supremo ejus Ministro „ incumbere, ut abusus istos corrigi curet; quod nisi fecerit, „ inutilem se futurum servum, & perfidum ministrum. Dehinc „ Politicos reprehensione quoque esse dignos, quòd Episcopos „ & Sacerdotes convitiis proscindant, cùm potiùs, si quæ in „ illis culpanda essent, Regi id vel ejus Senatui indicare, nec „ de rebus istis tam arroganter judicium ferre deberent. Tam- „ etsi enim Scriptura S. ipsis lingua venacula concesserit, id „ saltem pro informandis conscientiis, atque erudiendis libe- „ ris & domesticis, non ut disceptationes vel convitia adver- „ sus Sacerdotes & Concionatores orirentur, factum esse. Do- „ lere se, tantum Cimelium quale Verbum Dei, adeò profa- „ nari, ut Rythmi & Cantilenæ ex illo formentur; magis verò „ se dolere, quòd homines illi adeò frigidè obsequium præ- „ stent, nunquam enim charitatem magis fuisse fucatam, pieta- „ tem nunquam fuisse rariorem, cultum Dei nunquam magis „ fuisse intermissum. Quare se illos obtestari & rogare, ut in „ charitate fraterna, timore & cultu Dei indies proficere alla- „ borent, quò charitas & unio inter se & illos tantò firmior red- „ datur. Addita tandem exhortatione, ut leges quas ipsi postu- „ laverant, executioni mandari curent, Billas assensu suo regio „ comprobavit, ac Senatum dimisit „

Eodem hoc anno utrique Reges Galliæ & Angliæ bellorum pertæsi, pacem (a) ineunt, magno cum Principum Germanorum Protestantium gaudio; Ea occasione, Annebaldus Thalassiarcha (*l' Amiral d' Annebaut*) Gallicus in Angliam missus nova de suscipienda (b) Reformatione consilia suscitavit: Videbatur enim Regibus consultum, ut Missa Pontificia prorsus aboleretur, atque in ejus locum Communio quædam institueretur Eucharistica. Quid? quod etiam Cranmero tum jam imperatum fuerit, ut, modum quo res omnium optimè posset confici, scripto consignaret,

(a) Rapin. THOYRAZ. l. c. p. 453—457.
(b) BURNET. l. c. fol. 186. Rap. THOYRAZ. p. 456.

ret, additis rationibus & Sacræ Scripturæ locis; Quæ formula simulac esset consignata, se Cæsari eandem quoque persuasuros in se recipiebant Reges: At verò, qua de causa (a) incertum, totum illud consilium in spongiam incubuit: Atque uti FRANCISCUS qui jam anno superiore in Merindolienses & Cabrerienses grassatus fuerat, eodem tempore in Meldenses (b) vehementer furebat, ita non minus HENRICUS in Reformatos novos sumere spiritus.

Erat Nicolaus *Saxtonus*, Episcopus, primò Sarumensis, deinde Salisburiensis, ex iis, qui à Reformatorum stabant partibus (c), à longo tempore carceri mancipatus (d), non aliam ob causam, quam quod sex illis Articulis Regiis fuerat adversus & veritatem Evangelicam profitebatur, eique inhærebat; Cum igitur in captivitatem jam A. 1539. datus, propter eam cumprimis (e) thesin: „ quod Christi corpus naturale non esset in Sa„ cramento, sed Sacramentum esset signum & memoriale cor„ poris Christi pro nobis crucifixi, „ hoc anno ad rogum condemnaretur; Rex per Episcopum Londinensem & Vigorniensem omnem operam impendere, ut ad palinodiam eum induceret; Neque sanè frustra; Qui enim diuturnos carceres pertulerat, nunc ubi de vita res agebatur, Saxtonus d. IX Julii versoriam capere atque suam recantare sententiam, simul fateri, quam in veterem Sacramentariorum errorem prolapsus fuisset, à quo jam per eos quos ipsi Rex indulserat, se sanatum agnosceret; Regi proin se ingentes habere gratias, qui ab igne & corporali & æ-

(a) In Francisco sufflaminationis ejus consilii rationes quærendas esse arguit Rap. THOYRAZ. p. 457. „ Il n'est nullement vraisemblable qu'il „ ait il veritablement dessein d'admettre aucune Reformation dans son „ Royaume. . . . . Les Cardinaux de Lorraine & de Tournon, ses „ principaux Ministres, etoient trop animez contre les Protestans, pour „ qu'on puisse se persuader, que, pendant qu'ils ont eté en faveur, le „ Roi ait pensé serieusement à abolir la Messe en France. „ Interea tamen Henricum æque minus illi consilio seriò favisse, credibile est.

(b) vid. Hist. Ref. Gall. §. LII. pag. 161. seq.

(c) conf. §. LXXXVI. p. 266.

(d) conf. §. XCIII. pag. 290.

(e) BURNET. l. c. fol. 186.

terno se liberasset; Neque id tantùm, sed & certis quibusdam articulis, quibus omne Transsubstantionis portentum explicatur & asseritur, subscribere non est veritus (a), quippe qui & paulò post, cum de Anna Askewa sumeretur supplicium, concionem habuit de Sacramento, & librum edidit pro tuendis, quibus subscripserat articulis, & acerrimus deinceps sub Mariæ regno, admodum tenue licet operæ tulisset pretium (b) Reformatorum fuit persecutor.

§. CX. Sed fuerunt tum quoque permulti alii, qui præsentiam corporis Christi in Sacra Cœna, præcipuum fere ex illis sex articulis, de quibus antea egimus, negarent; In hos igitur persecutionis furor sæviit, quorum nonnulli facta recantatione impetrarunt gratiam, alii constantiores, publico sunt affecti supplicio, Inter quos, cum etiam fœmina esset nobili genere nata *Anna* ASKEWA (Askough,) ut ejus memoriam recolamus, abs re non erit alienum.

Fuerat ea nata in ditione Lincolniensi, Patre Viro nobili ac præstante Gulielmo Askewo (c), Equestris ordinis, & habuerat dignam natalibus educationem, ingenium felix & disciplinis aptum, quæ omnia in majus creverunt accedente deinceps divinâ cumprimis gratiâ; Maximo vero ipsius infortunio maritum nacta Pontificiæ religioni addictissimum, non tantum ab eo, simul compererat eam Reformationi favere, domo est ejecta, sed &, Londinum veniens, ob verba nonnulla adversus corporalem in sacramento præsentiam non provide satis prolata, in carcerem est conjecta; Tametsi autem, ex eodem, postquam formulæ cuidam (addita tamen hac clausula, *se cuncta hæc credere*, *quatenus in fide ecclesiæ catholicæ continuantur*,) subscripserat, amici etiam, interposita sponsione pro ea caverant, dimissa fuerat, factum tamen

(a) Articuli leguntur in BURNETI Collectione documentorum ad Volum. I. fol. 140.

(b) Quippe cum, nisi vicariatum Episcopi Eliensis abinde usque ad vitæ finem inde reportare potuerit. vid. BURNET. in Opere ipso fol. 186. conf. STRYPE Memorials Eccles. Vol. I. cap. 47. fol. 353.

(c) FOX in rer. gestar. commentar. fol. 185. & FULLER in Hist. Eccl. Britann. L. V. fol. 186.

tamen est, ut non ita multo post, sive quod nimiopere rebus suis fideret, sive quod Episcopo Londinensi prior illa limitata velut non satisfaceret palinodia, in carcerem iterum compingeretur, quando multis modis ea est exercita, variisque quæstionibus exagitata, quin etiam tormentis excarnificata (a), & tandem ultimo affecta supplicio;

Interea, dum in vinculis detineretur, literis mandavit, quæ in prima Judicum percontatione adversus ipsam dicta aut gesta fuere; Scripsit etiam certamen quod contra hostes veritatis postremum sustinuit, idque præstitit rogatu multorum utriusque sexus fidelium, qui illam, quamdiu in custodia manebat, invisebant, atque ut id faceret ad Dei gloriam & Ecclesiæ utilitatem, impellebant (b); Has igitur literas, & hanc commentationem, ut propter rei memoriam hic inseramus, opportunum erit, ex Johannis FOXI Angli (c), translatione.

Quæ quod ad primam Inquisitionem sive primum examen, ita se habet:

„ Viri fratres ac conjunctissimi in Christo commilitones, ut
„ votis vestris ac flagitationibus respondeam; Anno 1545. men-
„ se Martio primùm in Prætorio ephippiario, ubi addesse ju-
„ beor, venit ad me unus è duodecim cognitoribus, qui quæ-
„ stionibus exercendis præerant, Christophorus Darius, rogans,
„ num

(a) BURNET. l. c. fol. 186. 187. qui & illud habet: „ Quod tor-
„ mentis examinata fuerit, extra dubium est, id enim in autographo diarii
„ arcis Londinensis ab Anthonio Authonii conscripti reperi: Foxus verò
„ circumstantiam quandam enarrat, quæ fidem superare videtur, quod
„ Cancellarius præfecto carceris, ut fidiculas magis tenderet, mandarit,
„ præfecto autem id facere recusante, Cancellarius, exuta toga, tormenta
„ capessens, tortoris ministerio tanta asperitate perfunctus fuerit, ut ruptis
„ pæne artubus, ab ipsa morte parum abfuerit Askewa, ipsa interim ne-
„ quicquam confitente, sed inaudita patientia & constantia dolores istos
„ tolerante. Ipse Rex, hæc audiens crudelitatem Cancellarii reprehendisse
„ ac præfectum excusasse dicitur; Quod si vera sint, quæ Foxus recen-
„ set, patet inde, quis sit Pontificiorum genius & quantopere ipsorum re-
„ ligio etiam nobilissima pervertat ingenia. „

(b) vid. *Acta & Monim. martyr.* Genev. 1560. 4. fol. 141. a

(c) FOX. Comment. rer. gestar. fol. 186. & seq.

„ num crederem ſacramentum, quod altari impenderat, re ac „ natura corpus eſſe Domini noſtri? Huic viciſſim reſpondi, ro- „ gans ſimiliter, ipſe mihi oſtenderet, quamobrem beatus Ste- „ phanus lapidibus olim cæderetur? quod quum ille ſe neſcire „ diceret: Ita nec ego, inquam, futili quæſtiunculæ tuæ ſum „ reſponſura. Secundò, fœminæ cujusdam ſermone dicebat „ teſtatum ac confirmatum eſſe, quæ diceret, ita lectum eſſe à „ me alicubi, quemadmodum Deus in manufactis templis non „ habitaret: produxi illi cap. Act. VII. & XVII. oſtendens quid „ Stephanus & Paulus ea de re reliquiſſent. Sciſcitatur ille, quo „ pacto hunc ego locum accepiſſem? Non ſunt, inquam, mar- „ garitæ porcis projiciendæ, quibus multo magis glandes quer- „ cinæ convenirent. Petit deinde, quur dicerem, malle me ver- „ ſus quinque in bibliis Dei ſacris legere, quam totidem miſſas „ audire in templo? Ita quidem à me dictum eſſe negavi: haud „ tamen propterea, quòd de epiſtola ac Evangelio minus ſenti- „ rem bene: ſed ob hoc, quòd in illis plurimum ſentiam ædifi- „ cationis, hic verò omnino nihil. Cujus rei Divus Paulus „ 1 Cor. 14. idoneus accedit teſtis, qui ait. Si incertam vocem „ det tuba, quis parabit ſe ad bellum?

„ Pergens tum ille: Dixiſti, inquit, ſi quidem malus ac im- „ purus ſacerdos ſacramentum conficeret, Sathanam id eſſe non „ Deum. Reſpondi, nunquam id à me dictum eſſe: ſed hoc „ affirmaſſe me. Quisquis eſſet, aut quacumque vita hujus ad- „ miniſter Sacramenti, id nihil derogare meæ fidei, nec obſtare „ mihi, quin ſpiritu nihilominus ſumerem corpus & ſanguinem „ Chriſti. Quinto loco, quid de Confeſſione ſentirem? interro- „ gat: Idem prorſus, inquam, quod Divus Jacobus, qui nos „ mutuò peccata confiteri, ac precari invicem monet. Poſt hæc „ ventum eſt ad librum quem regium nominant, de quo quid ha- „ berem animi? requirebat. Reſpondi, Nihil eſſe de eo quod „ judicarem, quando nondum viderim. Inde à me quærit, an „ ſpiritum Dei haberem? Cui rurſus, Quòd niſi habeam, in- „ quam, Dei non ſum, ſed inter adjectos planè numeranda. „ Tum ille, Sacerdotem adduxiſſe ſe, qui me examinaret, dice- „ bat. Moxque ſacrificus, qui præſto ad manum aderat, ſic in-

„ cipit,

„ cipit, Primum quid de ſacramento altaris dicam ac ſentiam,
„ id ſcire à me enixè cupere ſe. At ego ſilentium excuſans, de
„ hac materia ne quid vellet anxiè movere, aut acrius urgere,
„ rogito. Neque enim animum eſſe in hac materia, quoniam
„ papiſtam eſſe perſenſi, pluribus verbis cum eo diſceptare.
„ Poſtremò huc rediit meus percontator, quid de privatis miſ-
„ ſis, an poſt hanc vitam animulis corporibus ſolutis eas ſolatio
„ fore ſentiam? Qua de re reſpondi, Idololatria ac ſacrilegio
„ non carere, ſi quis eis fidat magis quam ſanguine Domini qui
„ pro nobis mortuus eſt.

„ Poſtquam hæc ita acta ſunt, demùm ad ſummum urbis
„ Prætorem' (Majorem vocant noſtri) me perducunt. Cui tum
„ eadem hæc omnia, eodemque ordine percontanti, eisdem &
„ ego verbis per omnia reſpondi, quibus ſum prius apud eos
„ uſa: niſi quod à D. Prætore illud mihi objectum eſt, quod
„ tamen ab ipſis ortum, à me nunquam profectum fuerat. Id
„ autem erat ejusmodi, nempe ſi mus in libum illud conſecra-
„ tum caſu incidens corroderet, an Deum ederet, necne? At-
„ enim hujus ego ſententiæ nunquam author fui. Illi verò ejus-
„ dem modi aliquid ſunt à me ſciſcitati: ad quod verbum qui-
„ dem nullum reſpondi, tantum ad eam ſubriſi interrogationem.
„ Aderat ibi tum epiſcopi Cancellarius, qui me ſævis caſtiga-
„ bat verbis, quòd quum mulier eſſem, ſacras Dei ſcripturas
„ recitarem, affirmans, interdictum eſſe à divo Paulo, ne fœmi-
„ næ de Scripturis ſermocinentur. Ad hoc reſpondi, Paulinæ
„ mentis nequaquam ita me ignaram eſſe, ut neſciam quid ad
„ Corinth. ſcribens præcipiat, cap. XIV. ubi prohibet ille *ne*
„ *mulieres in eccesia loquantur*, velut in cœtu virorum dogma-
„ tiſtas agentes. Ac ilico percontata ab illo rogabam, hoc mihi
„ diceret, quot unquam vidiſſet fœminas in ſuggeſtum conſcen-
„ dere concionaturas? Idque quum ſe nunquam vidiſſe fateretur:
„ Ergo, inquam, noli miſeras mulierculas tuo præjudicio onerare,
„ quas lex abſolvit. Cumque iis dominus Prætor me cuſtodiæ
„ mandabat, à quo tum depopoſci, an recipere dignaretur qui pro
„ me ſponderent. Id quum impetrari ab eo non poſſet, in carce-
„ rem ilico abripior, ubi ad dies XII. nulli amicorum omnium ad
„ me dabatur aditus.

„ Interea temporis venit ad me sacrificus, qui cum mandatis episcopi missum se ad disquisitionem meam dicebat, ac consilii impartiendi gratia. At ille, ad interrogationes quam ad consilia multò proclivior, causam incipit primùm percontari, quur in eam venissem custodiam. Ego me ignorare dicebam. Tum ille, dolendum id sibi quidem videri, si immerito, præterque causam ea mihi calamitas imponeretur. Cæterùm, audisse se ajebat, negari à me altaris sacramentum. Quod dixi, inquam, dixi: interrogata deinde, num crimina apud sacerdotum exonerassem? nequaquam, inquam. Tum ille, adducturum se qui confessionem exciperet dicebat. Respondi, modò ex iis tribus adduceret aliquem, sive doctorem *Cromum*, sive *Gillamum*, sive alioqui *Huntyngtonum*, licere id quidem: quoniam horum maximè mihi spectata esset tum pietas, tum sapientia, non quod vel teipsum vel cæteros contemptui habeam ac fastidio: sed quod perinde notus mihi non sis. Subintulit posthæc interrogationem ejusmodi: Si hostia, inquit, humi fortè collapsa, à mure aut bestia alia corripiatur, quid ais, bestia illa Deumne edit necne? Cui ego: Quo labore, inquam, ænigma hoc proposuisti, eodem & ipse tibi solvas licet. Mihi enim non libet hic respondere quicquam, quando tentatum huc te venire videam. At enim, inquit, consentaneum non est, & præter scholarum mores, ut idem simul opponentis & respondentis partes obeat. At ego, inquam, mulier sum, scholarum vestrarum rudis omnino & ignara. Quintò rogor ab eo, an decrevissem in animo, paschate hoc sacram adire synaxim? Alioqui, inquam, indigna sim quæ inter Christianos habear, adeoque lætor non parum hunc ipsum diem sic imminere. Sicque discessit meus ille consiliarius, non sine verborum tandem subblanda quadam coronide.

„ Post hæc die 23. Martii, venit ad carcerem consobrinus meus Britannus, quærens num vade aut sponsione interposita possem redimi. Atque inde recta via ad prætorem contendit, petens ab eo ut honestorum hominum & sponsorum satisdatione facta, permitteret è custodia me emancipari. Tum ille, non illubenter

„ se

„ se quidem dicebat facturum omnia, quò mihi gratificari posset,
„ sed rem ejusmodi esse in qua parum ipsius valeret potestas,
„ nisi spiritualis fori simul accedente calculo. Suadere itaque, ut
„ Cancellarium episcopi Londinensis super ea re compellare vel-
„ let, sese enim, ut sine jurisdictione spirituali, carceri me
„ mandare non posset, ita nisi ex eadem authoritate sine spiri-
„ tuali ministro, me nunc eximere nequaquam posse. Dimissus
„ cum hoc responso meus advocatus, rectà Cancellarium petit,
„ opem in hac re illius implorans. Cui in hunc modum Can-
„ cellarius: Causam permagni esse momenti respondit, cui lon-
„ gè inferior ejus esset unius authoritas, nec audere etiam in re
„ tanta, ac tali jus suum interponere: Episcopi siquidem pro-
„ prium hoc munus esse, ac proinde necessariò accersendam ejus
„ huc consensionem, alioqui nihil esse quod solus ipse sine epis-
„ copo possit, audeatve conficere, polliceri id tamen, episco-
„ pum eo de negotio conventurum se obnixè & diligenter. Ita-
„ que crastino ad se redire jubet, fusius pleniusque de illius tunc
„ voluntate auditurum. Breviter, ad diem ac horam indictam
„ reversus cognatus meus, utrumque pariter convenit episco-
„ pum cum cancellario, res denique eò rediit, ut diceret epis-
„ copus exituram quidem me ad communicationem, sic enim
„ appellabat: dicitque ei horam diei sequentis tertiam pomeri-
„ dianam, additque insuper, adhibiturum se collocutioni illi
„ viros maximè eos quibus ipsamet potissimum faverem: ut
„ omnibus videri posset, quam nullo rigore, nec pro summo suo
„ suo jure mecum ageret. Ad hoc verò respondit ille, Nemi-
„ nem se scire, cui essem præ cæteris addictior. Imò sunt, in-
„ quit episcopus, quos peculiariter sibi præ cæteris eximios ha-
„ beat, doctorem *Cromum*, *Gillamum*, *Whithedum*, & *Hun-
„ tyngtonum*, hos enim & doctos agnoscit, & synceri judicii
„ homines. Præterea multis verbis instat apud consobrinum
„ hunc meum, ut mihi persuaderet, intimos recessus animi mei
„ atque latebras omnes liberè audacterque apud ipsum expone-
„ rem, quod si facerem, fidem obstringit suam, nullo pacto id
„ mihi vel fraudi vel intertrimento fore, nec quicquam eventu-
„ rum mihi in ea disquisitione captiosum. Quin, siquid scrupuli

„ aut erroris esset in quo impingerem, ipse cum suis doctoribus „ discuteret, ac consiliis me imbueret rectioribus.

„ Postridie itaque accersita per episcopum hora prima venio, „ quum tamen tertia esset constituta. Ubi verò adveni, magnum se dolorem capere ex mea hac calamitate dicit, quid au- „ tem illud sit, quamobrem ab adversariis accuser: ac porrò „ quæcunque in animo haberem liberè ac intrepidè illi ut ape- „ riam sine omni metu monet, neminem esse qui negotium mihi „ ullo de verbo facesseret, quod intra ejus essem parietes dictu- „ ra: cui rursus: Quoniam, inquam, celsitudo tua horam mihi „ statuerit tertiam ad quam adfuturi sunt mihi advocati, veniam „ mihi tantisper flagito abs te dari, quoad illorum expecto ad- „ ventum. Quin ergo, inquit, quatuor illos quos antè dixe- „ ram, quam primùm advocandos censeo, qui huic intersint „ auscultationi. Id autem ne faceret rogavi, neque enim opus „ esse, eos hoc labore fatigari, quum duo illi viri generosi ab- „ undè testes essent idonei, quantum ei negotio sufficeret. Post „ hæc episcopus in porticum intus se recipit, ubi advocatum „ ad se D. *Spilmanum* jubet omnibus modis apud me instare, „ ne quid reticerem, quin palam haberem quæcunque in animo „ essent. Ac interea archidiaconum ad me suum mittit, qui „ primo mox adventu accusationis à me causam scire petebat. „ Id ego ab accusatoribus meis postulandum esse, me prorsus „ ignorare dicebam, tum ille erepto mihi libro, quem habebam „ in manu. Hic, inquit, talesque libelli huc te calamitatis per- „ duxerunt, quapropter ab his vehementer ut caveas, moneo. „ Qui etenim hujus libri author fuit in circo Smythfildiano ustu- „ latus est. Rogo num probè compertum haberet, quod dice- „ ret? Maximè verò, inquit, scire enim se librum esse *Joannis* „ *Frythi*. Vide, inquam, an non te pudet tam temerè judicium „ ac sententiam de re præcipitare, quam nescias, sanè verò „ hæc tam inconsulta & violenta in judicando temeritas, inge- „ nium arguit in homine non prudentissimum: simulque expli- „ cato libro, ostendebam qualis esset. Atqui putaram, inquit, „ fuisse alium, nam in eo nihil potuit reprehendere. Demum „ admonitus à me, ne posthac tam præproperus ac inconsultus

„ in

„ in judicando esse velit, nisi re prius diligenter perspecta, de
„ qua censura ferenda sit, reliquit me archidiaconus ac abiit.
„ Inde ad me venit *Brytannus* agnatus meus, unà cum D. *Haw-*
„ *lo* jureconsulto, ac quibusdam aliis. Ibi tum episcopus con-
„ sobrinum meum anxiè apud me instare monet, ut sensus animi
„ mei omnes illi audacter exponerem: idemque insuper pluribus
„ verbis me hortatur, ut ea in re consiliis amicorum acquiesce-
„ rem, sibique in eo quod jubebat obtemperarem, nihil quippe
„ fore periculi. Quod enim mihi esset atque illis supra pollici-
„ tus, indubitata fide præstaturum se in eo quod diceret, ne-
„ minem fore qui molestiam mihi ullam exhiberet de his quæ-
„ cunque apud se dictura essem. Ideoque confidenter apud se
„ proferre, quæ laterent in animo jubet, respondeo nihil esse
„ in pectore, quod patefacerem, conscientiam (sit Deo gratia)
„ undique esse sine omni scrupulo tranquillam ac requietam: Hic-
„ que ille adhibita similitudine. Quemadmodum, inquit, chi-
„ rurgus peritus ac doctus vulneri malagma adhibere non possit,
„ nisi cujus latebras ipse atque altitudinem prius ritè accurate-
„ que explorarit: ita neque ego consilia ægritudini tuæ accom-
„ modare potero, nisi conscientiæ mihi morbum prius aperias.
„ Dixi rursus, conscientiam meam nulla re mala laborare, sanæ
„ verò ac integræ cuti emplastrum admovere, dementiæ videri.
„ Cogis me ergo, inquit, tuis te verbis premere; dixeras enim.
„ Quisquis ab impuro sacerdote sacramentum perciperet, Satha-
„ nam eum, non Christum percipere. Ita, inquam, non dixi.
„ Cæterum illud D. Prætori ac quæsitoribus dixisse me fateor,
„ quod & tibi nunc fassura sum, nempe quantumlibet impurus
„ contingat minister, nihil id obstare mihi, quin spiritu & fide
„ corpus Christi & sanguis à me percipiatur. Episcopus. Quid-
„ nam, inquit, hoc habet, quod addis in spiritu? quanquam
„ age, nolo te urgere nimium. Scit, inquam, tua dominatio,
„ sine spiritu & fide nulla est sacramenti hujus digna ac saluta-
„ ris perceptio. Post hæc veniebat, quod dicerem sacramentum
„ quod in loculo inclusum continebatur, panem esse, nego me
„ unquam dixisse, verum à quæsitoribus super ea re interrogata
„ quid sentirem, postulabam vicissim ab illis, quur lapidatus

„ fuiſſet Stephanus, quod quum illi ſe ignorare dicerent, nec
„ me illis dicturam quod quærerent, reſpondi. Objecit deinde,
„ citatum à me eſſe locum Scripturæ quendam. Nullum, in-
„ quam, omnino, præter illum modò, ubi Apoſtolus Athe-
„ nienſibus olim de Deo in templis manufactis non habitante
„ reſpondit, Act. xvii. Et quo pacto, inquit, tua fides in hac
„ ſacramenti materia ſe habet? Credo, inquam, quod me docet
„ Scriptura Dei ſacra. Ecquid ſi Scriptura corpus eſſe Chriſti
„ doceat? Credo, inquam, quicquid jubent ſacræ illæ literæ.
„ Epiſcopus: Quid autem ſi non dicat Scriptura eſſe corpus
„ Domini? Sequor, inquam, per omnia Scripturæ docentis
„ authoritatem, huicque aliquandiu immorabatur quæſtiunculæ,
„ ſubinde refricans, atque inculcans, quò id tandem à me aliqua
„ ratione eliceret, quod venabatur. At ego ſemper intra eum me
„ circulum continebam, ut quicquid præciperet Evangelicæ
„ Scripturæ canon, id me tota fide ſequuturam reſponderim.
„ Ibi tum quærebatur. Cur tam parca verborum eſſem, adeoque
„ reſtricta in reſpondendo? Siquidem donum mihi intelligentiæ
„ datum eſſe dicebam, ſermonis non item: Quid quod Solomon
„ nobis laudi id vertit, quod tu criminaris, *mulierem tempe-
„ rati ſermonis & parci donum eſſe Dei affirmans*. Prov. xix.
„ Dixiſti porrò ait epiſcopus, Miſſam eſſe idololatriam. Ego
„ id inficior à me dictum eſſe. Cæterum ſuſcitantibus nuper
„ prætorianis, num Miſſas privatas ſalutares eſſe poſt hanc vi-
„ tam animabus à corporibus exſolutis exiſtimarem: idololatria
„ dicebam non carere, ſi quis Miſſis magis fidat quam ſanguine
„ Domini, quo redempti ſumus, rurſusque ille. Quæſo, inquit,
„ qualis hæc erat reſponſio? Etſi, inquam, non optima fortaſ-
„ ſis, nec doctiſſima, at, quæ ſatis tamen illorum digna interro-
„ gatis videri poterat, præterea ſacerdotem quendam ibi tum
„ adfuiſſe dicebam, qui eorum omnium quæ coram prætore acta
„ ſunt, teſtis eſſe potuit. Tum Cancellarius (is enim fuit) ubi
„ hæc audit. Certe verò, inquit, hæc ipſa verba apud me at-
„ que prætorem, eam habuiſſe memini. Inter cæteros qui hic
„ interfuerunt quæſtioni, erat D. *Standicius* cum ejuſdem fari-
„ næ ſacrificulis nonnullis, qui multa ac ſæpius interrogando,
„ omni

„ omni circuibant via sententiam meam de sacramento clarius
„ expiscaturi, quos omnes unico hoc responso semper repuli,
„ ut dicerem, satis de hac re D. Episcopo me respondisse: actum,
„ quod ajunt, agere nihil opus esse. Standicius confestim susur-
„ rans cum episcopo, rogat ut mihi liceret planius de eo Pauli
„ loco sententiam edicere, respondi, Planè adversari Paulinæ
„ disciplinæ, ut quæ mulier essem, munus ac personam dog-
„ matistæ in Scriptura interpretanda mihi sumerem, in eo præ-
„ sertim cœtu virorum doctrina tam exellentium. Post hæc de-
„ inceps ingerente episcopo aliam criminationem, nempe quod
„ appellata nuper à quodam, num sacramentum paschali illa ce-
„ lebritate sumptura essem? viderer rem habere ludibrio; pete-
„ bam produci mihi accusatores: hoc tamen ille nec velle nec
„ posse dicebat, verum quum quendam ille consilii impartiendi
„ gratia ad me mitteret, primo verbo papistam illum me ajebat
„ nominasse, quod neque negabam quidem, persenseram etenim
„ talem esse eum quem dixeram, cui tamen ad id quod quærebat
„ ne verbum quidem respondi. Pergens porrò episcopus, acri-
„ ter me sugillabat, eò quod dicerem aliquando sexaginta fuisse
„ Lincolniæ sacrificos, qui conjuratis consiliis capiti meo peri-
„ culum struerent. Neque id etiam negavi: sic enim tum mihi
„ per amicos significatum est, Lincolniæ esse qui devotis ani-
„ mis in me conjuraverant, palam etiam minantes nescio quid,
„ si advenissem. Id simulatque intellexi, propero recta via Lin-
„ colniam, ibique commoror ad nonum usque diem, certius
„ quid esset rei exploratura. Interea dum in summo eorum tem-
„ plo sto, lectitans in sacris Bibliis, advolant nunc bini, nunc
„ terni, nonnunquam & seni, quasi qui interpellaturi videren-
„ tur, at iidem nulla emissa voce, rursum discesserunt. Roganti
„ tum episcopo, an inter eos nullus ibi sermonem mecum ha-
„ buisset, unum fuisse ajebam inter cæteros, qui demum pau-
„ cula mecum verba agitarat. Et quid is tibi tum ajebat? Pla-
„ nè tam exigui erant momenti quæ diceret, ut memoriam eis
„ non intenderim. Tum episcopus: Sunt, inquit, permulti qui
„ Scripturas legunt, vita tamen ac moribus non exprimentes
„ quæ legunt. Equidem verò, inquam, ô reverende, optarim
„ ut

„ ut palam fieret omnibus vitæ meæ ac morum contemplatio:
„ cum certo sciam, neminem esse qui inhonestæ conditionis maculam ullam mihi possit impingere. Si quem ipse noveris qui
„ possit, rogo plurimum, huc eum coram adductum velis.

„ Moxque discedens episcopus, dicebat scripto se mandare
„ velle partem eorum nonnullam, quæ respondissem. Quod &
„ fecit. Ego verò singula complecti memoriæ haud quibam,
„ vel quia tam multa essent, vel quia exemplar mihi ad legendum
„ non concedebatur. Quæ autem recordari poteram, in hanc ferè
„ summam tendebant. Scire, (inquit,) omnes volo quotquot sunt
„ mortales, fidei meæ hanc firmam certamque esse professionem,
„ quantumlibet mendax fama secus de me pervagatur. Primum,
„ quod ego Anna Askeva indubitatò credam ac teneam, eos qui
„ synaxin à ministro quocunque aut quantumlibet impuro percipiant, nihilo minus corpus & sanguinem Christi, re atque
„ substantia ipsa percipere. Credo insuper hoc ipsum sacramentum, post consecrationem, sive sumatur, aut asservetur, perdurare nihilominus corpus & sanguinem Christi realiter juxta
„ substantiæ veritatem. Credo denique tum in hoc, tum in
„ cætera omnia ecclesiæ sacramenta, juxta omnes articulos, ubicunque in catholica Christi ecclesia receptos. In cujus rei fidem Ama Askeva nominis mei atque manus adhibui subscriptionem. Plura in hoc rescripto continebantur, quæ quoniam
„ exemplar pervidere non licuit, singula mente complecti ac
„ memoriæ, mandare non potui. Hæc igitur ordine omnia
„ quum perlegisset, quærit, num iis quæ recitasset, assentiri velim? Ego verò in hunc respondeo modum, quantum sacra
„ Dei scriptura permitteret, tantum iis me assensuram esse, itaque hoc ipsum simul annecteret cum subscriptione, efflagito.
„ Respondet: Doceri se à me non velle in iis quæ ipse agere
„ scribereque debeat. Ac continuò inde in aulam convolat exteriorem, ubi in publica multitudinis frequentia hoc scriptum
„ recitat, compluribus ibi me hortantibus ut manu subscriberem: affirmantibus porrò, præclarè etiam mecum actum iri
„ si vel sic res posset transigi. Subinfert ad hæc episcopus:
„ Quod tantum apud se experiar favoris, non id tam mea causa
„ fieri,

„ fieri, quam amicorum, intelligere autem ſe, ex illuſtri ac
„ generoſa me ortam familia, atque amicos habere conſpicuo
„ ſplendore viros, quibus hoc deberem ferre acceptum benefi-
„ cium. Ad hæc verba interfatus eſt *Chriſtophorus* quidam D.
„ *Denei* famulus: Atqui, inquit, tuum erat, ô Epiſcope, Dei
„ cauſa potius quam hominum hoc ei contuliſſe beneficium.
„ Conſidens deinde epiſcopus ſcriptum mihi tradit, mandans
„ ut ei ſubſcriberem. Subſcripſi itaque in hanc quidem formu-
„ lam, *Ego Anna Askeva credo omnia quæ in fide eccleſiæ ca-*
„ *tholicæ continentur*. Quod ubi vidit ille, offenſus non pa-
„ rum iraque inflammatus in cubiculum intus quantum poteſt
„ irrumpit. Nec mora conſequitur, è veſtigio dominus *Brytan-*
„ *nus*, deprecans per ſacra omnia celſitudinem ipſius, parceret
„ iracundiæ veniamque mihi ejus tribueret ignoſcentia.

„ Reſpondet ille, Mulierem quidem eſſe me, nec animum
„ ipſius quicquam feſelliſſe. Tum alter: Verum quidem hoc
„ affirmat, adeoque me ut fœminam æſtimare, ne muliebrem
„ ſenſum meum excellenti ſapientia ipſius metiri velit.

„ Poſt hæc ſubingreſſus ad eum doctor *Weſtonus*, cauſam ex-
„ ponit cur adderem illud de eccleſia catholica, eam fuiſſe quod
„ neſcirem ejus factam ſuperius fuiſſe mentionem. Demum vix
„ multa prece ab eo impetratum eſt, ut rediret denuò nomen
„ meum ac fidejuſſorum excepturus, quorum alter erat D. *Bry-*
„ *tannus*, alter D. *Spilmannus*, è juriſtarum collegio *Graio*, quod
„ appellant. Hæc ubi perfecta eſſent, ſperabamus mox futurum
„ ut cum hac transactione ſponſioneque accepta ilico dimittere-
„ mur, juxta juris æquitatem. At epiſcopus id concedere mi-
„ nimè volebat, iterum me relegans in carcerem, in ſequentem
„ videlicet diem. Poſtera deinceps luce in ædem prætorianam
„ vocor, ubi nihil etiam perfectum eſt, niſi quod ſcriptum il-
„ lud duntaxat epiſcopi ut antè proferebatur: quo perlecto, in
„ cuſtodiam denuò remittor. Juſſitque ſponſores poſtridie in
„ æde divi Pauli comparere, quod & factum eſt. Nec multum
„ abfuit quin & ibi iterum fidejuſſores meos re fruſtrata dimi-
„ ſiſſent, eò quod nomine alterius fœminæ, cujus neque vitam
„ neque cauſam habebant cognitam, pro ipſorum libidine ſeſe

„ obstringere recusarent. Demùm post multa ultrò citroque „ agitata, interposita fidejussorum satisdatione ac fide, qua me „ producere, si res ita ferret, tenebantur, è custodia restituor „ in libertatem. „

§. CXI. Enimverò, cum ea paulo post denuo in captivitatem daretur, non minus varias ad amicos exarare literas, inter quas & hæc (a): ANNA ASKEWA amico cuidam: „ Intelligo, chare „ in Christo frater, nondum plene tibi satisfactum esse in causa „ cœnæ Dominicæ, eò quod dixerit Apostolis Dominus, *Accipite, comedite, Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur.* Christus verò in eo exhibendo pane id voluit, externum „ ob oculos proponere sacramentum, ore quidem sumendum, „ cujus admonitu in fidem passionis suæ pro populo obeundæ „ pleniorem perduceremur, ac salutis inde in internas animas „ nostras propagandæ. Cujus quidem salutis ac incomparabilis „ beneficii relictus est nobis panis pro monumento ac sacramentali communione: in qua participanda gratos nos illi pro necessaria redemptionis nostræ gratia præberemus. Sic enim „ Dominus ipse sequentibus verbis nos admonet, inquiens, *Hoc facite in commemorationem mei*, additque insuper, *Quotiescunque de pane hoc ederitis, aut biberitis de calice*, Lucæ undecimo: item prioris Corinthior, undecimo capite. Nam „ alioqui fieri fortasse posset, ut oblivio nos tantarum rerum „ caperet, ac ingratitudo etiam sequeretur, retulerit non parum, „ ut communibus votis divinam imploremus clementiam, ut veram hujus mysterii cognitionem, ac mentem Spiritus sancti „ nostris inserat pectoribus. Litera etenim, ut docet beatus „ Paulus, occidit: Spiritus autem vivificat, posterioris Corinthiorum tertio cap. Perpende etiam atque etiam caput Joannis „ octavum, ubi ad fidem omnia referuntur, item epistolæ ad „ Corinthios prioris caput quartum, ubi sub finem capitis reperies, ea quæ videntur, temporaria esse: quæ autem non videntur, æterna; &c. Præterea capite ad Hebræos tertio, in „ hæc verba leges, quod Christus non tanquam servus, sed filius

(a) Hanc eandem nobis conservavit idem ille FOXUS l. c. conf. *Acta Martyrum* in 4. Lib. IV. pag. 146. seq.

„ lius erat in domo sua, quæ domus sumus nos, non templo-
„ rum parietes: si fiduciam & gloriam spei usque ad finem fir-
„ mam retineamus. Quapropter sicut dicit Spiritus sanctus,
„ Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra,
„ &c. Psalm. 94.

„ De concaptivis meis, quod postulas, tuo in eo desiderio
„ satisfacere non habeo, quorum examinationi ipsa non interfue-
„ rim. Ad meam verò quod attinet, sic res habet: Primùm an-
„ te consilium perducta, atque interrogata à D. *Kymo*, respon-
„ deo jam satis animi mei sententiam, D. *Cancellario*, quod ad
„ eam rem attinebat, explicatam à me esse, ac teneri. At illi
„ satis id quidem esse denegabant, Regis eam esse voluntatem,
„ ut etiam ipsis quid sentirem in ea re exponerem. Contrà verò
„ id me facturam prorsus negavi, quin si ita Regi videretur,
„ me coràm audire, cupidè lubenterque id facerem. Rursusque
„ illi minimè id æquum esse dictitant, Regis otium mea causâ
„ meique similium perturbari. Respondeo, Solomonem quon-
„ dam inter sapientissimos reges meritò censeri ab omnibus, qui
„ quum duarum inter se dilitigantium paupercularum causam
„ audire ac cognoscere non dubitaret: nihil me Regiæ diffidere
„ pietati, quin peræquè & me humiliter & fideliter subjectam
„ illi ancillam sit auditurus. Exquirenti deinde meam de sacra-
„ mento Eucharistiæ opinionem D. *Cancellario* in hæc verba re-
„ spondeo: Fidem meam ac sententiam hanc esse, quoties in
„ Christiano sim cœtu, sacramentum corporis & sanguinis me
„ sumere in passionis Dominicæ memoriam, simulque cum gra-
„ tiis juxta sacram eam institutionem peractis, fructum quoque
„ salutiferæ ejus passionis participare. Jubet tum *Wintoniensis* me
„ simpliciter, citraque circuitionem omnem, in alterutram re-
„ spondere partem. Cui ego, Novam me recinere cantionem
„ Domini in terra aliena non posse dicebam. Ibi episcopus figu-
„ ratè me atque in parabolis loquutam dicebat. Nempe sic qui-
„ dem maximè ajebam ei convenire, namque si syncerè ipsi quod
„ res esset enunciarem, nequaquam haberet dicenti fidem. Tum
„ ille me Psittacam appellitare. Ego non verba solum illius,
„ sed & quæcunque porrò in me strueret, æquo atque etiam lu-

„ benti animo perpeti velle dicebam. Ibi verò multis me con-
„ vitiis onerant consiliarii, quod ad eorum videlicet interrogata
„ renuerem explicatè respondere, quanquam necdum aliquid
„ ego vicissim pro mea defensione proposuissem. Verùm singula
„ hic referre quum tam multa fuerint, neque attinet, nec paucis
„ id fieri poterit, quippe horis non minus quinque me detinue-
„ runt. Post demum multam disceptationem à protonotario con-
„ silii, inde ad edes D. *Garnishæ* deduci jubeor. Postridiana
„ luce, pro conventu rursus senatorio, ubi sistor, contendunt
„ à me ac urgent vehementer, ut fidem meam clarè de sacra-
„ mento edisseram: respondeo dictum hac de re quantum à me
„ dici posset. Post deinde sermones aliquot, secedere me seor-
„ sum jubent. Nec multò post accedunt ad me D. *Lyssus*, D.
„ *Essexiensis* & *Episcopus Wintoniensis*, seriò soliciteque mecum
„ agentes, ut sacramentum confiterer, carne, sanguine & ossi-
„ bus corpus esse Christi. Tum ego D. *Parro*, & D. *Lysso* di-
„ cebam, turpe dictu, id se mihi suadere, quod ipsorum con-
„ scientia aliter habere non ignoraret. Cui tum illi responden-
„ tes, cupere se hoc modo ajebant, benè ut sint omnia. Tum
„ *Wintoniensis*, velle se ajebat familiarius mecum agere: Sic,
„ inquam, Judas quum Christum esset proditurus. Petebat tum
„ episcopus, ut seorsum me conveniret, at ego id recusabam. Cur
„ non, inquit ille: Quia, inquam, in ore duorum aut trium
„ stabit omne verbum, ut Dominus cap. Matthæi decimo octa-
„ vo, & Paulus secundæ ad Cor. xiii. Inde cœpit rursum Can-
„ cellarius meum de sacramento judicium rimari, quem ego
„ iterum, quousque in utramque partem claudicaret, rogabam.
„ Illud, inquit, ubinam habes? Tertio, inquam, Reg. xviii.
„ Moxque discedente illo, dixit episcopus, me combustum iri.
„ Cui rursus, Evolvi, inquam, ac revolvi Scripturas omnes,
„ nunquam tamen hactenus comperire licuit Christum aut Apo-
„ stolos quenquam dedisse neci. Age, age, Dominus vos mi-
„ nasque vestras eludet ac enervabit. Psal. ii. Postquam verò
„ inde concedere me jusserunt, advenit ad me doctor *Coxus*, &
„ doctor *Robinsonus*. In summa inter nos convenire satis non
„ potuit. Moxque illi scriptum quoddam de sacramento con-
„ cin-

„ cinnabant, hortantes ut manu ei subscriberem, quod ego ta-
„ men renuebam. Post id die sequente Dominico graviter peri-
„ culoseque ægrotabam, nihil minus quam de salute sperans. Ea-
„ que causa expetebam mihi adduci Latamerum ut convenirem:
„ minimè tamen concedebatur. Demum in summo ægritudinis
„ periculo in carcerem Neopylum traduci jussa sum, usque adeò
„ ex infirmitate languens, ut nunquem æque graves in vita do-
„ lores senserim. Dominus te in veri cognitione corroboret. Ora,
„ ora, iterum atque iterum ora. „

Neque autem hæc, neque alia ejus vel scripta vel dicta præclara (a) vel sufflaminare inimicorum consilia, vel Regis iram avertere, vel obicem ponere poterant quò minus ad ignem condemnata, supremum subiret supplicium: Dicto igitur supplicii die, in forum equinum producitur, sella quidem fulta, quoniam pedibus ipsa incedere præ tormentis haud potuit: Sic igitur ad palum perventum est, ubi catena ferrea per medium reducta corpus affixam tenebat. Præparatis jam rebus, quæ ad incendium pertinerent (b), tandem ei allatæ regis literæ, quæ veniam revocaturæ vitamque offerrent, proponebantur, quas illa tantum abest, ut amplecteretur, ut ne aspicere quidem sustineret: Adhibebatur & *Shaxtonus*, qui, publicè cum recantasset, simul & ipsam reflectere ad suam levitatem longa oratione satagebat; cui non minus fortiter illa tamen reclamabat: Sicque tot exercita molestiis, tot perfuncta tormentis, finito longo agonum cursu, sacra Dei victima flammis circumdata obdormivit in Domino A. 1546. singularis constantiæ vel laudem relinquens posteris, quam admirari possent, vel exemplum, quod debeant imitari.

Erant in eodem rogo cum illa impositi pariterque exusti Nicolaus *Belenianus* (c) quidam ex comitatu Salopiensi Sacerdos:

(a) Horum quædam, ex quibus & ingenii vigor, & doctrinæ puritas & fidei constantia usque ad extremum vitæ halitum imperterrita, colligi potest, à Joh. FOXO Commentariis rerum gestarum sunt inserta, & à Joh. CRISPINO relata inter *Acta & Monimenta Martyrum* loc. cit. fol. 147-150. b.

(b) FOXUS l.c. conf. STRYPE Memorials Ecclef. Vol. I. cap. 51. fol. 387. 388.

(c) Act. & Monim. Martyr. l. c. fol. 150. b. 151.

Johannes *Adamus* veſtiarius & Johannes *Lacellus*, Vir & genere & virtute nobilis, tum etiam ex aula & familia Henrici Regis, idem ille (a), qui Reginæ Catharinæ Houwarthæ libidines primus detexerat, eaque propter Pontificiis exoſus; His omnibus qui vitæ potius, quam bonæ conſcientiæ jacturam facere malebant, non infeliciter accidebat, quod in communione Annæ Askewæ ſupplicio afficerentur, ſiquidem hujus exemplo ac oratione animati (b), viri licet per ſe & fortes & alacres, etiam majoris conſolationis robur accipiebant, verbisque illius pariter atque exemplo ad intrepidam conſtantiam & omnem exuendam formidinem incitati, mortem oppetierunt.

§. CXII. Neque id ſatis habuerunt, qui iſtic Romanarum partium erant Duces. Nam ea occaſione ſpem (c) denuò perdendi & opprimendi Archiepiſcopi Cantuarienſis haud exiguam ſibi fecerant. Apud Regem enim jactabant, „ fruſtra puniri „ plebejos, nec unquam extinctum iri damnatam Hæreſin, quam„ diu præcipuus illius Fautor & Adjutor non ſupereſſet modo, „ ſed & in maxima dignatione ageret. „ At Henricus, qui ampliſſimam de optima Cranmeri fide, & vera animi integritate opinionem conceperat, etiam tum eum incolumem, ringentibius inimicis præſtitit. Rem omnem enarrat ex Parkeri Antiquitatibus Britannicis in Vita Cranmeri, BURNETUS; Accuſatum ſcilicet denuò Cranmerum, atque id jam à Rege fuiſſe obtentum, ut ſi cauſæ ſatis graves adverſus ipſum afferrentur, in Turrim (*the Touwer*) conjiceretur; Tum verò Regem ejus conſpirationis novæ rationem omnem Cranmero aperuiſſe, ipſique, cujus integritati alioquin facile inſidias ſtruere potuiſſent adverſarii, ſa„ luberrimum dediſſe conſilium, ut equidem in Senatum citatus „ compareat, atque non tam ad objecta crimina reſpondeat, quam „ potius provocet ad Muneris & Officii ſui dignitatem, qui cum „ ipſe Supremi Conſilii membrum eſſet, non è veſtigio ita ad car„ cerem ſit pertrahendus, ubi vel maximè rerum quarundam ac„ cuſa-

(a) BURNET. l. c. fol. 187.
(b) *Acta & Monim. Martyr.* fol. 151. a.
(c) PERIZON. Hiſtor. Sec. XVI. pag. 314. BURNET. l. c. fol. 187.

„ cusaretur; Esse enim cum maximè justum & æquum ut eadem „ saltem ratione secum agerent, qua ipsi in pari casu constituti „ cuperent ut cum ipsis ageretur, utque adeò prius in re tanti mo- „ menti explorarent omnia, sibique respondendi copiam facerent, „ quam ad carcerem pertraherent:„ Id si recusarent, tum ipsi provocandum esse monebat Rex, ad Regem, qui vel ea propter consilio tum interesse nollet; si vel ita tergiversarentur, dato ipsi de digito suo annulo sigillari, hunc ut ipsis in Regii favoris signum ostenderet, imperat, eumque ita probe instructum à se dimittit: Neque sanè horum quidpiam negligere Cranmerus: Is enim, cum summo mane (a) in jus vocaretur, nullo amplius metu perterritus comparebat, neque tamen statim intra Curiam intromittebatur, sed in Aulæ atrio constitutus linquebatur; Id, cum Regis Medicus Cranmeri fautor & amicus animadverteret, indignabundus is statim adire Regem, atque „ nunquam se vidisse „ ait quicquam magis inusitatum, Regni Primatem ante Curiæ fo- „ res inter famulitia constitutum;„ Rex statim per nuncium, ut eum intromittant, imperat; Tum verò hostes ejus de sparsis adversus ipsum rumoribus multa referunt, & quam unà cum sacellanis suis cunctarum in Ecclesia Anglicana hæresium auctor habeatur atque fautor: Cranmerus illis fidenter respondet, ea quæ à Rege edoctus erat; Consiliarii in accusatione persistunt. Archiepiscopus se dolere profitetur, quod in re tanti momenti, præcipiti adeo consilio secum agere velint ii, quorum socius tamen erat atque collega, ut ab illis provocare cogatur ad Regem, cujus sigillarem simul ostendit annulum: arrhabonem voluntatis ac favoris regii. Attoniti omnes, ad Regem se conferunt, qui rei indignitate commotus, eos acriter objurgare, atque interposito „ juramento testari, „ se fideliorem non habere, nec sibi cariorem „ ministrum quam Archiepiscopum (b), neque se passurum unquam, „ ut huic tanta tamque iniqua injiceretur molestia, quin potius „ esse graviter animadversurum in eos, qui vel vi vel arte tale „ quid molirentur;„ Sic igitur servatus à Rege, supplicium quod ipsi parabant inimici, evasit Cranmerus:

§. CXIII.

(a) BURNET. l. c. fol. 187. 188.
(b) BURNET. l. c. fol. 188.

§. CXIII. Majore autem cum periculo conflictata est Regina, *Catharina* PARRIA: Cum enim, Rex (ut erat morosi & iracundi ingenii, quod malum per ætatem ingravescentem & per corporis obesi variisque doloribus allecti impotentiam auctum, ac adulationibus ita penitus corruptum erat, ut contradicentem neminem ferret) indignaretur, quod studiosius (a) causam Protestantium apud se in sermonibus sæpe ageret, idque certo quodam tempore, cum Regina à Rege nonnihil offenso discessisset, Wintoniensi Episcopo declararet;

Is protinus, ne hanc elabi sibi pateretur occasionem perdendi & opprimendi si pote Catharinam, Reformatorum partibus addictiorem, confestim id agere cum Cancellario, nec quicquam omittere eorum quæ animum Regis jam exulceratum adversus Reginam inflammare magis possent & exacerbare, congestis admodum variis in eam criminibus, „quod v. g. summa fautrix fu-„isset atque patrona Annæ Askewæ (b), modo ob Hæresin exustæ „quod ejus Paratus aulicus, atque Fœminæ Nobiles, quæ Reginæ „erant à cubiculo, non minores essent hæreticorum fautrices, quod „Regina pariter atque ejus pedissequæ etiamnum hæreticos fo-„veant libros, quodque adeò non tantùm hæreseos, verùm etiam „perfidiæ possent accusari et sim.„ Certè eousque res protracta est, ut jam articulis adversus ipsam formatis & à Rege signatis, in maximo vitæ versaretur periculo, parumque abesset, quin in Turrim, dato jam imperio, & suscriptionis auctoritate firmato, fuisset conjecta: At verò, ne id tamen in sempiternum Henrici opprobrium fieret, divina cavit Providentia. Cum enim Cancellarius ex improviso Scriptum illud Regis manu notatum è sinu, in quem id reconderat, perdidisset (c), à quodam Reginæ amico illud sublatum, Reginæ fuit traditum.

Quænam verò tum Reginæ, Regis manum intuenti, mens fuerit, facile conjici potest: Interea tamen, animum non abjicere nec morari, quin ultrò potius adire Maritum, ejusque effrenatos impetus si fieri posset moderari, atque occasionem, quam ille mox dabat,

(a) PERIZON. l. c. p. 315.
(b) BURNET. l. c. fol. 188.
(c) Rapin. THOYRAZ. l. c. p. 463.

dabat, arripere de controversiis religiosis agendi; Quando inter alia respondisse fertur Regina; „ Mulierem in prima re-
„ rum creatione Viro fuisse subjectam, ac quoniam Vir creatus
„ fuisset ad imaginem Dei, mulier autem ad imaginem viri,
„ ideo conveniens esse, ut viri instruant uxores suas, uxores
„ verò decere, ut à viris discant; sibi autem præ ceteris, ut à
„ Rege insigni eruditione ac prudentia prædito, erudiatur opus
„ esse: „ *Non sic per sanctam Mariam*, inquit Rex, *Tu es insignis Doctor, tu apta es ad me erudiendum, nec indiges ut à me instituaris:* Respondet Regina, „ nunc demum se animadvertere,
„ quod libertas qua sæpe in familiari colloquio fuerat usa, in
„ malam sumatur partem, cum tamen non alio id fecerit consi-
„ lio, quam partim, ut tempus terendo dolores Regis mitigaret,
„ partim ut ab ipso erudiretur, à quo se jam quamplurima di-
„ dicisse (a), grata profitebatur; „ Ad quæ, Rex, *Hæc si ita se habent, nos sumus reconciliati*, protinusque eam amplexus, cum constantis amoris pollicitatione eam in pristinam recepit gratiam: Postridiè igitur, cum ignarus animi in Rege mutati Cancellarius, qui præcipuus fuerat in Regina insimulanda Gardinerio adjutor, cum XL prætorianis advenisset, ut eam in Turrim abduceret; Rex tum forte cum Regina, quam ad se venire jusserat, in horto obambulans, ubi Cancellarium cum suis adventantem videt, paulo se à Regina proripere, atque hominem adire, quem indignabundus ita increpuit, ut etiam post verborum quorundam reciprocationem auditus fuerit dicere; *Nequam, stulte* (b), *bestia*, sicque pudore suffusum cum jurgio atque conviciis rejectum è conspectu suo discedere jussit; Innocentem verò Reginam, Regis iram quodammodo sedare conantem monuit, non esse, quod pro Cancellario intercederet; Ut non sine provido Numine tum, à summo, quod imminebat periculo, liberata fuerit atque conservata Regina, elusis adversariorum, atque pæne in ipsorum capita redundantibus consiliis.

Certè *Gardinerius* ab eo tempore in conspectum Regis venire non est ausus, atque à Consiliarii dignitate remotus, nunquam,

 licet

(a) Rapin. THOYRAZ. l. c. p. 463. 464.
(b) BURNET. l. c. fol. 189.

licet eam humiliter ac submisse quæsierit, regiam impetrare potuit gratiam: Cumprimis autem in *Nortfolkium* (a) Ducem, præcipuum illorum, qui Romanas tuebantur cerimonias, & ejus Filium Comitem *Surreum*, detonuit mox ultima Regis sævitia; Surreus iste altos spiritus pectore conditos gerebat, seque insolentius & arrogantius efferebat, gravissimumque in Seymourios conceperat odium, quod cum bello in Flandria (b) contra Gallos præfectus fuisset, atque ex sententia Henrici minus feliciter rem gereret, successorem acceperat Seymourium. Indignissime id tulerat, & minas aliquando suspiciosis verbis jactaverat in ipsum Regem, ut ferebatur, certè iram in Seymourios manifestis declaraverat indiciis:

Credebatur etiam post mortem Regis (c), quæ in singulos ferè dies, propter immodicam corporis pinguedinem, & virulentam inflammationem in crure herpetis expectabatur, majora privato meditari.

Ergo his talibus prætextibus arreptus & die XIX. Januarii 1547. (juxta Anglos 1546.) capite est truncatus. (d)

Pater fuerat semper inter proximos Regis, eique diligenter ac feliciter in rebus etiam maximi momenti, & inprimis in causa contra Pontificem, licet ab emendatis sacris esset alienissimus, inservierat.

Et tamen, licet omnia tentasset ad servandam sibi vitam, eaque gratia etiam, reum se omnium quæ volebant inimici, suo chirographo confessus esset, nihilominus damnatus fuit solenniter à Parlamento, diesque supplicii jam constitutus erat.

Sed REX eadem nocte, quæ diem illum antevertebat, die quinto scilicet Kalendarum Februarii defecit, & fatalem multis efflavit animam ætatis anno 56. Regni 38. sicque omne imperium Filio reliquit unico, EDUARDO sexto, cujus in Reformationem, ac purioris doctrinæ pariter atque disciplinæ restaurationem,

(a) BURNET. l. c. Rap. THOYRAZ. l. c. p. 464. PERIZON. Hist. Sec. XVI. p. 316.
(b) PERIZON. Hist. Sec. XVI. p. 316.
(c) BURNET. l. c. Rapin. THOYRAZ. p. 464.
(d) THOYRAZ. l. c. p. 468. 469.

nem, merita fuerunt immortalia, atque omni laude majora. Qua de re, ut carptim quædam adhuc referamus, operæ judicamus pretium.

§. CXIV. Moriens scil. Henricus, EDUARDO, puero novenni ex Seymouria suscepto, tutores testamento dederat sedecim, atque in iis *Eduardum* Herfordiæ Comitem Seymouriæ fratrem, Eduardi avunculum, quem paulo ante Ducem *Somersetbensem* creaverat, Virum probum & fidum (a), & cui à reliquis tutoribus is honor est habitus, ut, cum summa potestas penes eum esset, *Regis* ac *Regni Protector* vocaretur, ad quem, interea dum Rex minorennis erat, Legati exterarum gentium sua desideria referrent.

Hic, quod emendatam doctrinam amplecteretur (b), auctor fuit Eduardo Regi, ut statum Religionis in Anglia immutaret administro Thoma Cranmero Archiepiscopo Cantuariensi; Neque sane Rex in mora erat, quippe qui supra ætatem fortunamque, jam tum non solum bonas artes edoctus, verùm etiam Reformatæ religionis præceptis imbutus erat, quæ summa cum fide indiderat Richardus Coxius (c) Vir Doctrina & vitæ sanctitate celeberrimus, & cui Juventus ejus erat concredita: Nec adeò mirum, quod is jam die 7. Februarii 1547. (1546. juxta Anglos) novo instrumento, Cranmero pro Archi-Episcopatus continuatione signato, inter alia demandaret, ut omne officium suum juxta Evangelii normam (d) perageret, neminem verò indignum ad sacrum Ordinem admitteret, hac addita clausula; „ Nam ut „ maximè compertum cognitumque habemus morum omnium & „ maxime Christianæ religionis corruptelam, à malis pastoribus „ in populum emanasse, sic & veram Christi religionem vitæque & morum emendationem à bonis pastoribus iterum delectis & assumtis in integrum restitutum iri haud dubie speramus. „

 Equi-

(a) THUAN. Hist. lib. III. c. V. fol. 104. conf. BURNET. Tom. II. fol. 3. qui & inter Documenta fol. 60. ipsum Institutionis diploma affert.
(b) vid. STRYPE Memorials Ecclesiastical Volum. II. c. 1. lib. I. c. 2. fol. 16. & RYMER Tom. XV. fol. 179.
(c) NICHOLS: in apparatu ad defens. Eccl. Angl. p. 6.
(d) vid. BURNET. in Document. ad Tom. II. Lib. I. fol. 57.

Equidem Protector jam inde à principio æmulum habebat Cancellarium, Comitem Southamptonium (a), qui & ipse inter Tutores Regis ab Henrico erat nominatus, sed, quanto magis ille Romanis sacris favebat, tanto magis Protector palam Emendata fovebat, & tanto arctius se Archiepiscopo Cantuariensi jungebat; Ut horum auctoritate ac ductu potissimum, quidquid supererat in sacris emendandum, magnis & citatis passibus, sed per partes tamen, consummatum tandem fuerit;

Suntque adeò jam primo Regiminis anno, abrogati penitus atque antiquati, sex illi Articuli (b) famosissimi ab Henrico Patre, in Reformationis ulterioris obicem & offensionis lapidem positi; Deinde & Secundæ Reformationis liber, Edicto publico sublatus est, unà cum omnibus Henrici Regis de Religione decretis: Inter quæ & duo erant contra Lollardos (quo nomine isthic appellabantur olim, qui Wiclefi, dein etiam, qui Lutheri doctrinam sequebantur) quippe quæ & eodem illo Edicto penitus obliterabantur.

Neque id tantummodo, sed & Imagines, quæ quid offensæ præbebant, templis ejectæ, & quæ in parietibus erant depictæ sunt abolitæ, substitutis (c) in ipsorum locum Dictis quibusdam Sacræ Scripturæ, quibus & doctrina purior & disciplina sanctior commendabatur. Quid? quod etiam Crucifixi imago eundem sortita fuerit exitum, in cujus locum varia tum Regis appenderunt insignia (d), circa quæ varios etiam Bibliorum locos scripserunt.

Pompæ sacrorum circa templa prohibitæ. Homiliæ idoneæ Ec-

(a) PERIZON. Hist. Sec. XVI. p. 402. seq.

(b) FOX. Rer. in Eccl. gestar. comm. fol. 712. conf. BURNET. T. II. fol. 26.

(c) BURNET. Tom. II. fol. 6.

(d) BURNET. l. c. fol. 7. cf. STRYP. Tom. II. Lib. I. fol. 33. 34. ubi traditur, quam populus Portsmuthiensis in eo cumprimis singularem ostenderit fervorem, cui Gardinerus nequicquam se opponere fuerit conatus;

Ecclesiis datæ. (a) Erasmiana Novi Testamenti Paraphrasis in Anglicum versa sermonem (b), & simul cum Libris divinis in ædes sacras singulis in parœciis reponi jussa.

Quin & sanxit Parlamentum, ut pariter omnes, etiam Laici, Eucharistiam sub vino æque ac pane (c) perciperent; Missas autem privatas omnes (d) abolevit, eaque omnia decrevit, non ut Regi Puero, aut Protectori, se accommodaret, sed sua sponte, & quasi certatim inter se, utrumque Populi Concilium.

Equidem Gardinerus & Bonnerus his omnibus palàm obsistere, & ille quidem majore, quam unquam alias, constantia causam suæ religionis tunc agere, atque acerrime contendere, nihil ex iis quæ Henricus sanxerat, quæque veterem concernerent religionem, mutari aut novari debere (e), dum minor natu Rex esset; sed fuerunt irrita tum ejus conamina, tametsi Regis Soror, Maria, Catharinæ Arragoniæ Filia, suam quoque interponeret auctoritatem ac haud parum Reformationi obniteretur, eamque impedire conaretur.

(a) BURNET. l. c. fol. 18. conf. NICHOLS. defens. Eccl. Angl. P. II. c. 14. p. 326. qui refert, quam summa cura ac diligentia eas confecerint, Cranmerus, Latimerus ac Ridlæus, spectatæ eruditionis viri, quamque breves hi sermones, tum in Ecclesiis fuerint lecti, cum, ineunte Reformatione, ubivis fere propter Doctorum Theologorum paucitatem deficiebant ministri, quibus munus concionatorium tuto credi poterat. Atque hæc quidem de primo Homiliarum libro. At verò temporibus Elisabethæ Reginæ, accessit alter Homiliarum liber, de quo plura in articulis XXXIX. Confessionis Eccles. Anglicanæ, artic. XXXV. ubi & earum nomina atque rubricæ brevibus recensentur.

(b) conf. STRYPE Memorials Eccles. T. II. p. 28. seq. qui & annotat, Mariam Regis Sororem, licet catholicissimam, tamen operam contulisse ad hanc versionem concinnandam, eamque totum Johannis Evangelium transtulisse. Nam & Catharinam Parriam, Reginam viduam ea de re sua communicasse consilia cum Maria, liquet ex Epistola, quam idem ille nobis conservavit STRYPIUS in Append. Tomi. II. p. 32. unde eam Documentis nostris inseruimus Num. XXXIX.

(c) BURNET. l. c. fol. 27. STRYP. l. c. c. 8. fol. 61.

(d) BURNET. l. c. fol. 28.

(e) Quam verò inprimis adversus destructionem Imaginum varia protulerit argumenta Gardinerus patet ex BURNET. l. c. fol. 8.

Intereà Cancellarius, quum per imprudentiam, inconſultis collegis, muneris ſui curam & jus aliis mandaſſet (a) ea uſus ratione, quod rebus politicis jam nimium diſtringeretur, illo Munere, ex ſententia Juriſperitorum, qui de hoc ipſius facto conſulti, continuo privabatur, denunciata illi inſuper mulcta, ſed quæ dein videtur remiſſa. Ea certè re, aulæ Romanæ fautores, ingente patrono fuerunt orbati, dux autem Somerſethanus incommodo moleſtoque æmulo fuit liberatus. (b)

At verò ne Gardinerus quoque & Bonnerus (c) reformationem ſacrorum quæ in Parlamento, quod inſtabat perficienda erat, ſua auctoritate impedirent, in cuſtodiam ambo ſunt dati (d), quanquam mox à ſoluto Parlamento, venia plerisque & in iis, his quoque, per Amneſtiam datâ, dimiſſi (e) ſint.

Ad Mariam autem, cum & ea ad Protectorem literas exaraſſet (f), atque nihil in religione novari debere, per minorem Eduardi ætatem aſſeruiſſet, quod adtinet, ei luculenter reſpondit Protector, ſe eò adduci non poſſe, ut has literas à Maria (g) proprio Marte ſcriptas fuiſſe credat, ſed illas à quibusdam male affectis hominibus ſuggeſtas fuiſſe perſuaſum habere; De reliquo, inſinuabat, „ non eſſe hanc, quam meditabantur, innovationem „ religionis appellandam, quippe cum continuatio ſaltem ac „ perfectio eſſet Operis ejus, quod ingratiis Papiſtarum jam ſuſceperat Henricus, & cui ſupremam manum (h) imponere tamen nequiviſſet, cum nunc ea dies alluceſcat, quam magni „ æſtimare debeant omnes boni, ut non offendi debeat Princeps ea rerum cataſtrophe, quin potius accurata mentis intentione ac deliberato conſilio expendere, quid verum ſit, „ quidve cum Verbo Dei conveniat, quippe quod omne prono

„ animi

(a) conf. BURNET. l. c. fol. 10. 11.
(b) BURNET. l. c. fol. 11.
(c) PERIZON. l. c. p. 403.
(d) BURNET. l. c. fol. 24.
(e) BURNET. l. c. fol. 25. & 37. STRYPE l. c. c. 9. fol. 68.
(f) BURNET. l. c. fol. 26.
(g) Harum literarum exemplum habet BURNET. in Collect. Docum. ad Partem II. Num. XV. fol. 71.
(h) BURNET. l. c. fol. 26.

„ animi obsequio sit recipiendum, idque animo mansueto & „ implorato prius divinæ auxilio. „

§. CXV. Atque ita cum jacta feliciter esset Reformationis alea, deessent verò adhuc Viri Docti ac graves, quorum consilio atque opera, quæ deficiebant, perficerentur, & quorum doctrinâ in Scholis præcipuè & Academiis imbueretur juventus in spem Ecclesiæ maturescens, evocati sunt, suasu & auctoritate Thomæ Cranmeri, ex Germania, (in quam se primùm receperant, sed quæ tunc miserè affligebatur,) *Petrus* MARTYR, Vermilius, & *Bern.* OCHINUS Itali, deinces *Johannes à* LASCO Polonus, tandem verò etiam *Martinus* BUCERUS & *Paulus* FAGIUS, qui omnes peregrini licet, Anglicanæ Reformationi inservierunt, ne jam de Francisco *Dryandro*, Johanne *Utenhovio* (a) Valerando *Polano*, Mart. *Micronio* atque aliis dicamus.

Petrus MARTYR (b) Florentiæ natus erat in Augustinorum cœnobiò educatus, primum Patavii linguæ Græcæ & philosophiæ plenam cognitionem adeptus, dein Bononiæ Hebraicarum literarum & Theologiæ studiis gnaviter incubuit; unde illius Ordinis sodalium facilè princeps habitus, cum in mores eorum severiùs animadverteret, magna invidia laborare cœpit; Quam ut amoliretur, Neapolim profectus, comite consiliorum *Johanne Valdesio* Hispano, clam cœtum instituit præcipuæ nobilitatis tam viris quam fœminis celebratum, in quorum numero etiam recensetur *Victoria Columna* Ferdinandi *Avali* Marchionis Piscariensis quondam uxor (c), ingenio pietate modestia cum paucis comparanda. Sed cum non diu, re in vulgus manante, ibi consistere posset, Lucam profectus, & in eodem instituto perseverans, socios ibi habuit Immanuelem *Tremellium* Ferrariensem, genere Hebræum sed professione Christianum, qui Hebræas literas, Celsum *Martinengum*, qui Græcas,

(a) STRYPE Memorials Eccles. Vol. II. fol. 78.

(b) vid. THUAN. Histor. Lib. III. §. XVI. pag 120. Vitam ejus prorsus memorabilem, eleganter descripsit Jos. SIMLERUS, Theologus Tigurinus, quam propter eximiam rerum omnis generis copiam nuper admodum *Scrinio* meo *Antiquario* T. III. P. I. inserendam curavi.

(c) conf. SCHELHORN de Mino Celso Senensi. p. 19.

cas, & Paulum *Lasicium*, Veronensem, qui Latinas doceret, ac denique Hieronymum *Zanchium* Bergomatem. Verum ne heic quidem quiescere potuit, cumque illac Paulus III. Pontifex Buxeto rediens iter habiturus esset, ut periculo præverteret, relicta Italia comite profectionis Bernardino *Ochino* Senensi, (de de quo statim) Tigurum Helvetiorum concessit. Tiguro deinde Basileam, ac denique procurante Martino Bucero Argentinam migravit, unde postremo in Angliam profectus, ex Regis voluntate Sacris Scriptis interpretandis Oxoniæ præficitur.

Bernardinus OCHINUS (a), Senensis, in cœnobio Franciscanorum educatus, Juvenis adhuc, Fratrum Capucinorum, quorum tunc celebrari cœperat nomen, sibi sumsit habitum atque vivendi austeritatem. Ac tanta brevi post existimatione fuit (b), ut unus optimus totius Italiæ concionator haberetur, ut qui admirabili quadam cum actione tum linguæ facundia, auditorum animos, quocunque vellet, raperet, ac tantò magis quod vita doctrinæ consonaret. Cum igitur maximam sibi Eloquentiæ Sacræ parasset famam, mittebatur per universam fere Italiam, ut concionibus suis pro more illorum temporum erudiret populum, habens comitem Gothofredum *Varaglium* itidem concionatorem eximium, qui & postea pontificiorum erroribus cognitis ad Helvetos transit, à quibus etiam receptus, tandem Taurini in Galliis 1557. combustus. Huic tamen officio cum aliquantisper navasset operam Ochinus, atque cumprimis doceret *ex lege non esse justitiam*, sed *per Jesum Christum* (c), eaque doctrina Pontificios exacerbasset, inprimis, cum & apud Veronenses, in prælectionibus in Epistolas Paulinas alia dogmata à Romanæ ecclesiæ placitis aliena traderet, sicque ipsius Pontificis odium incurreret, anno 1542. relicto monasterio pariter atque Italia, in Helvetiam migravit unà cum Petro, ut retulimus, Martyre (d); Primùm autem Italia discedens Genevam se contulit, fugam ejus adjuvante

(a) vid. *Observ. Halens.* Tom. V. n. I. p. 410. seq.
(b) BZOVIUS in Annalib. & Flor. RÆMUNDUS in Historia de ortu progressu ac ruinis hæresium XVI. Seculi Lib. III. cap. V. p. 247.
(c) v. PALEAR Act. in Pontifices Rom. & eorum asseclas. p. 67.
(d) vid. SIMLER. Vita P. Martyris §. XI. p. 156.

vante Ducissa Ferrariensi, vestes aliaque necessaria ipsi suppeditando; Apud Helvetios autem tunc agens, ad puriorem doctrinam se convertit, principio Genevæ, deinceps Augustæ Rhæticæ commoratus, ac in utrisque locis conciones aliquot suas (a) evulgavit. Discedenti verò in Angliam Martyri comes adhæsit & ipse Ochinus (b), ad Oxoniensem Academiam ablegatus.

Johannes à LASCO, Polonus, nobilis ille erat Ecclesiarum Oostfrisicarum Reformator, de quo alibi (c); Is instinctu P. Martyris & Turneri Medici, rogatus fuit, ut Emda, cujus Ecclesiæ pastorem tunc præcipuum agebat, relicta, in Angliam ad Ordinem Ecclesiasticum (uti loquuntur) ibi constituendum contenderet, quod & fecit, Anno 1548. venia ad breve tempus ab Ennonis vidua, Anna Oldenburgica, quæ tunc Frisiam regebat, impetrata; Quapropter etiam sequenti anno (d), confecto in Anglia negotio, rediit, maximè quia turbatissima tunc erat Ecclesia Emdana, totaque Frisia per interimisticas turbas lacerabatur; Quanquam is brevi post Emdam denuò relinquere atque in Angliam contendere debuerit, ibi usque ad regnum Mariæ, quæ Eduardo successit, mansurus.

Martinus BUCERUS, Selestadii in Alsatia natus, & ipse multis nominibus præclaram in ecclesia laudem adeptus, Argentinensi Ecclesiæ & Scholæ suam jam fermè per viginti quinque annos addixerat operam, variisque interfuerat colloquiis de religione institutis, atque etiam nunc nuper apud Augustanos Libro Cæsareo *Interim* Papisticas doctrinas incrustanti subscribere renuerat, in odium ea propter Pontificiorum & cumprimis Cæsaris magis magisque incurrens, in Angliam honorifice est invitatus, atque unà cum *Paulo* FAGIO ad Cantabrigiensem Academiam traductus, ut ibi sacrarum literarum arcana explicaret, ubi tamen biennio post cum morte vitam commutare debuit, multorum

(a) SLEIDANUS Histor. Lib. XIX. fol. 353. b. NATAL. ALEX. Sec. XV. & XVI. p. m. 805.
(b) SIMLER. in Vita Martyris l. c. §. XV.
(c) vid. Histor. Reform. Belgic. §. XLVI. p. 145—157.
(d) Duabus etenim vicibus in Angliam contendit Jo. à Lasco vid. *Scrin. nostr. antiquar.* T. II. P. II. p. 647.

carminibus epitaphiis celebratus, ac præcipuè duorum Suffolciorum fratrum, quorum mater semper ægrotanti (a) assedit & omnia humanitatis officia præstitit: paulo antequam moreretur, cum Germaniæ statum deploraret, *vereri se*, sæpius dixit, *ut in tanto multorum ardore Deum cognoscendi, & Ecclesiæ instaurandæ, deficiente disciplina, qua improbi castigarentur & ordo in ministerio servaretur, laudabiles eorum conatus diu aut feliciter procederent*; Itaque optare unicè se, ut quæ ad Eduardum Regem de disciplina constituenda scripto comprehendisset (b), per Angliæ Regnum locum haberent, & religiosè observarentur.

Paulus FAGIUS (c) ad Tabernas Rhenanas in Palatinatu natus, itidem emendatæ doctrinæ jam à juventute innutritus & apud Isnenses & apud Argentinenses ministerium sacrum magna cum fidelitatis eruditionis & eloquentiæ laude obiverat, atque deinceps in Wolfgangi Fabricii Capitonis apud Argentoratenses A. 1541. defuncti locum, ordinarium obtinuerat Pastoratum, & Bucero, Martyri ac Hedioni percarus, extraordinario Professoris Theologi munere etiam functus erat, in Hebraicis, ut ea ferebant tempora, versatissimus; Is igitur, cum illa sphynx Interimistica Germaniam vexaret, & ipse in Angliam vocatus, eò tanquam in tutum receptum commigrare, tantò minus abnuit, quantò conjunctior erat Bucero, illuc ut vidimus itidem evocato: Et fuerunt hi duo, cum inter Anglos versarentur, ante omnia, auctore Cranmero, in præclarum Opus intenti, ut integra Biblia non tantùm proprietate sermonis, sed brevi interpretatione, locorumque pugnantium aut difficilium enodatione illustrata ederentur. Ac Bucerus quidem in explicatione Novi Testamenti, Fagius in Veteris elucidatione elaborabant: sed progressum hujus laboris morbus utriusque mox intercepit, & Fagii mors insperata A. 1549. prorsus evertit.

§. CXVI.

(a) THUAN. Historiar. l. VIII. §. XVI. fol. 306.

(b) Leguntur ea in M. Buceri *Scriptis Anglicanis*, ubi ejus Liber eximius *de Regno Christi* reperitur, in quo officia pastorum & populi præclarè depingit.

(c) ADAMI Vit. Theolog. fol. 100. conf. BRUCKERI Templum Honoris dec. I. n. V. p. 17. seq.

§. CXVI. *Petro* MARTYRI autem præcipuè acceptum ferre debet Ecclesia Anglicana, quod de S. Eucharistia defæcatiorem atque ab omni fermento papistico repurgatam accepit doctrinam; Tametsi jam ante quoque plerique, eorum qui Martyrii coronam acceperunt, à doctrina, de reali corporis Christi præsentia, quam non Pontificii solum, sed & Lutherani tanto fervore urgent, fuerunt alieni. Is enim, uti Helvetiorum sententiæ erat addictissimus, eamque propagabat, ita statim ab initio in Academia Oxoniensi enarravit Epistolam Pauli ad Corinthios priorem, quod eam judicaret (a), ad illorum temporum controversias esse accommodatissimam, ut hujus Epistolæ doctrina semel stabilita, omnibus vitiis, quibus Ecclesiæ sinceritas corrupta est, medendis apta videretur, atque simul comparata ad omnes abusus atque superstitiones Papisticas revincendas. Deinceps verò etiam, cum doctrina, de Eucharistiæ sacramento ab omnibus erroribus & corruptelis defæcata (b), non posset non exosa esse Pontificiis, hique lacertos moverent, atque publicam pollicerentur Disputationem, eam quoque post aliquot tergiversationes auctoritate Regia quarto Nonas Maji 1549. habitam fuisse Acta edocent publica. (c) Nam, Martyr quia adversarii multa falsa & conficta de hac disputatione in vulgus spargebant, eorum improbitate, & prætereà amicorum precibus (d), qui hoc assiduè flagitabant, coactus, Disputationem hanc in publicum edidit. Qua autem fide ac diligentia hoc fecerit, ostendit testimonium Regiorum Legatorum (e) libro ab ipsis additum. Neque id tantùm;

(a) SIMLER. in Vita Martyr. l. c. §. XV. XVI.
(b) vid. BURNET. l. c. fol. 70.
(c) SIMLER, l. c. §. XVI. conf. BURNRT. Tom. II. fol. 71.
(d) Est ea non tum solummodò speciatim edita, verùm etiam deinceps subjecta operi præstantissimo P. MARTYRIS de *Eucharistia adversus Stephanum Gardinerum* edito. Tiguri 1561. fol.
(e) Illustrissimi enim Regiæ Majestatis Legati qui disputationi præfuerant in post-fatione disertè testantur „ se diligenter perlegisse, quæ hic à „ Petro Martyre exhibebantur; seque hoc, nominis sui integritate in vadimonium posita, lectoribus confirmare, si summam rei & ipsam disputationis substantiam spectent, Petrum Martyrem nihil mutare, imò penè „ iis

tùm, verum etiam Petri Martyris cura fuit conspicua in conscribendis Ecclesiæ Anglicanæ Legibus, quas Cranmerus, Haddonus (a), & Rolandus Taylerus Jureconsultus calamo consignarunt, quæque magnam etiamnum laudem habent apud omnes pios & doctos.

Quid vero Bern. OCHINUS, Petri Martyris comes ad promovendam puriorem doctrinam & pietatem minimè fucatam peregerit, & quibus gavisus fuerit successibus, equidem multis relatum non legimus, nisi quod ejus Opus *adversus Pontificem Romanum*, novem dialogis Lingua Latina conscriptum atque Eduardo Regi dedicatum, tanti tum fuerit habitum, ut à *Johanne Poneto*, Viro doctissimo in Anglicum converteretur sermonem, atque Londini 1549. 4. ederetur (b), avideque legeretur ab omnibus; Quid? quod BULLINGERUS apud Boxhornium (c) testetur, eum, posteaquam ex Anglia rediisset, ecclesiarum doctorumque præcellentium testimoniis ornatum, Tigurinam Ecclesiam multis modis ædificasse, veræque & piæ eruditionis laudem obtinuisse; Certè Jo. BALÆUS (d) Anno 1567. ita alloquitur Henr. Bullingerum & Tigurinam urbem; „ Deum immortalem, quales illi duo senes peregrini, quos in urbem vestram recepistis, „ Petrus Martyr & Bernardinus Ochinus? quæ duo lumina? „ Quorum alterutrum si aliæ haberent ecclesiæ, magno thesauro „ & ornamento ditatæ & beatæ viderentur. Felix Anglia, dum „ hæc paria habuit, misera, quæ amisit. „ Tametsi idem Ochinus, non ita multo post à recto veritatis tramite decedendo atque in errorum sive Unitariorum sive Anabaptistarum præcipitia ruendo illam laudem refertur commaculasse (e), quæ res hujus non est loci.

§. CXVII.

„ iisdem in scribendo uti verbis, quibus in disputando, vel ille vel ejus „ antagonistæ usi sunt; nusquam quicquam additum, vel quod causam „ illius juvet, vel quod adversariis fraudi esse possit. „

(a) SIMLER. l. c. §. XVII. conf. Florileg. libr. rarior. p. 234.

(b) STRYPE Eccles. Memor. Tom. II. fol. 189.

(c) BOXHORN. Hist. Univ. p. 1144.

(d) Jo. BALE. Præf. ad Acta Pontificum Rom. lit. b. 1.

(e) Jo. Henr. HOTTINGER. Hist. Eccl. Tom. IX. Sec. XVI. Part. V. c. 3. p. 475. seq. cf. BAYLE in Dictionar. v. Ochinus. GRATIANUS in Vita Commendoni l. II. c. 9. p. 150. seq.

§. CXVII. Martini BUCERI autem multifaria ad Anglicanæ Reformationis promotionem, & Regiminis ecclesiastici constitutionem, disciplinæque restitutionem suscepta conamina satis ex variis ejus Scriptis eam in rem editis colliguntur; quod verbo jam à nobis est præmonitum, quippe cujus singularis industria & accuratio in *Liturgia Anglicanæ Ecclesiæ* emendanda, atque ab omnibus Papismi reliquiis repurganda, fuit conspicua, ut, modo vitam ejus prorogasset divina providentia, ejus labores (a) mirum in modum potuissent esse Anglis proficui ac salutares.

Paulum FAGIUM, nisi mors insperata prævertisset, multis modis Reformationi Anglicanæ promovendæ insudantem arguebant omnia; Ipse saltem ita ad Theologos Argentinenses die 29. Julii 1549. inter alia scribebat: „ Magna (b) adhuc proh dolor „ est confusio, indigestaque moles, multum certè est laborandum & sudandum, quod nos minimè subterfugeremus, si aliquid „ hic per nos staret. Messis quidem est copiosa, sed operarii reverà pauci, & qui pro operariis habentur, frigidè admodum „ operantur paucissimis exceptis. Non tantùm rari sunt hic concionatores, sed etiam apud ipsos concionatores rarissimæ conciones aut planè nullæ. . . . . Non video, quomodo & „ hoc regnum consistere possit, nisi majore studio & pietate se „ Christo subjiciant. . . . . Nos libenter faceremus, quicquid possemus, sed quia linguam ignoramus, non videmus, „ quomodo multum prodesse possimus, neque enim concionari, „ neque cum hominibus loqui valemus, . . . Apud Reverendissimum facimus quod possumus, quia reverà pius & sanctus „ vir est, & optimè consultum vult causæ Christi, plus facit, „ quam nemo alius, multùm tamen impeditur propter negotia „ aulica, quibus plurimum obruitur. Expectamus ut brevi ad „ Academiam Cantabrigiensem transferamur. „

Et quomodo cum Bucero in id fuerit intentus, ut Sacra Dei eloquia & intelligerentur facilius & exponerentur dilucidius, novam suscipiendo cum interpretationem tum expositionem (c) librorum

(a) v. BURNET. l. c. fol. 109.
(b) vid. FECHTII Epistolar. Theologic. P. I. Ep. 7. p. 11. 12.
(c) PANTALEON de Viris Illustrib. Germ. P. III. fol. 313.

brorum Sacrorum, & cumprimis enodando loca difficilia & conciliando quæ secum invicem pugnare videbantur, jam à nobis est monitum (a), ut dubium sit nullum, & eundem, nisi aliter Deo visum fuisset, commoda multa Anglicanæ Ecclesiæ allaturum fuisse, quæ nunc inopina morte, cum vix per semestre spatium inter Anglos conversatus esset, velut intercipiebantur.

De Johannis autem à LASCO in Reformationem Anglicanam præclaris meritis & cumprimis de Ecclesia peregrinorum sub ejus Inspectione stabilita & mirificis Eduardi Regis privilegiis dotata & exornata, quo minus hic multa referamus, opus erit, cum jam in Historia Reformationis Belgicæ (b) hanc causam adtigerimus, & extet clarissimum laboris ejus ac prudentiæ Ecclesiasticæ Documentum, *Forma & Ratio tota Ecclesiastici Ministerii, in illa Peregrinorum Ecclesia Londinensi* &c.

Id enim certum est, *Johannem à Lasco* æque ac *Petrum Martyrem* suis ratiociniis & argumentorum pondere id effecisse, ut quam plurimi qui antehac corporalem Christi in Sacramento Eucharistiæ præsentiam asseruerant (c), meliora edocti abinde puriorum Reformatorum sententiam amplexi, eamque publicè privatimque tuiti fuerint. Certè *Ridleyus* pariter atque *Cranmerus* non alio ducti, quam puræ veritatis rationibus corroboratæ studio eam sunt amplexi, inprimis, posteaquam *Bertrami*

(a) vid. Supra §. CXV. p. 362.

(b) vid. Histor. Ref. Belg. §. LXVII. p. 226—235.

(c) vid. LOESCHER. Hist. mot. P.II. pag. 87. 88. qui tamen hic, ut alibi, suos patitur manes, inprimis quod Cranmerum Archiepiscopum concernit, quippe qui, cum Jo. Lambertum condemnaret (vid. §. XCI. pag 285.) non Lutheranam fovebat sententiam, quin potius Papisticam: Ille verò Catechismus Anglicanus 1548. editus, quem p. 85. adducit LOESCHERUS, quemque Cranmero adscribit, non erat *Cranmeri*, sed *Justi Jonæ*, Doctoris Lutherani, quem in Anglicanum idioma transferri curaverat Cranmerus, unde nec mirum, quod SALIG. in Hist. Aug. Confess. P. II. Lib. IV. c. II. p. 426. dicat, plura & optima ex Lutheri Catechismo fuisse retenta, atque inprimis illam de sacramento Eucharistiæ quæstionem; Uti nec mirum, quod ingens occurrat variatio inter Catechismum illum, & inter Catechismum Cranmeri, qui A. 1553. paulo ante mortem Eduardi Regis est editus. conf. BURNET. l. c. p. 144.

trami de Jesu Christi corpore & sanguine libellum adtentius & positis omnibus præjudiciis perlegerant, & excussis utrinque rationibus tandem veritati accedendum esse judicaverant; BURNETUS (a), ea de re hunc in modum: „ Bertrami liber de „ J. C. corpore & sanguine inscriptus, Ridleyi animo primum „ suggessit, ut exacte domini nostri carnis & sanguinis in Eu„ charistia præsentiæ opinionem perpenderet. Miratus est eam „ tam acriter nono seculo impugnatam fuisse, & unum ex illius „ temporis Doctoribus extitisse, qui tam doctè in eam scripse„ rit, ut populum ab ea averteret. Illinc conclusit corpoream „ præsentiam, inter fidei veterum articulos recensendam non „ esse, sed eam recenter natam esse, illudque dogma non ante „ Bertrami tempora admissum esse; Cum suam mentem Can„ tuariensi Archiepiscopo aperuisset, uterque illi indagandæ ani„ mum applicuerunt. „

Enimverò Cranmerus usque huc Papisticam de corpore & sanguine Christi, carnaliter & corporeum in modum sub speciebus panis & vini præsente, foverat sententiam, quod (ne quis dubitet,) diserto ore professus est, in examine quod subire debuit temporibus Mariæ; In eo enim, cum Inquisitor Pontificius ipsi doctrinæ circa Eucharistiam variationem exprobraret, ac inter alia hunc in modum (b) quæreret: *Cum condemnares Lambertum Sacramentarium in præsentia Regis, quamnam tum docebas doctrinam?* Respondet Cranmerus: *Tum Papisticam sustinebam doctrinam.* Cum pergeret atque inquireret, Numne *Justi Jonæ Catechismum* edidisset? Respondebat Cranmerus, *Omnino:* Cum amplius urgeretur, *Quare tandem Zwinglianam omnium pessimam hære-*

(a) vid. BURNET. l. c. fol. 71. qui & in Document. ad Part. II. fol. 4. 5. seq. Diarium Eduardi Regis exhibet, in quo inter alia ad Annum Regni II. annotatur, „ quod tum memoranda de Sacramento disputatio fuerit habita in Curia Comitiali. „ Cujus tamen Acta, quantum constat, non supersunt amplius.

(b) v. FOX. Acts and Monuments c. Vol. III. fol. 550. *Martt. What doctrine taught you When you condemned Lambert the Sacramentary in the Kings presence in Whitehall: Cranmer. I. maintained the Papists doctrine.*

hæresin esset amplexus? Respondit: *Se non prius eam sententiam fuisse amplexum quam cum Ridleyus eam sibi rationibus ac auctoritatibus doctorum nixam instillasset:* Ut non nisi brevissimo temporis spatio illi, quæ inter Pontificiam & Nostram sive Reformatorum, est intermedia, sententiæ, quæque Lutherana solet appellari, faverit.

§. CXVIII. Sic igitur, dum omnia regnante Eduardo in melius vergere videbantur, & longius procedebat Sacrorum Emendatio, de abroganda *Confessione privata* quoque deliberatum est, ut primò liberum relinqueretur unicuivis, velletne eam retinere, num verò minus, siquidem ejus necessitas (a) saltem remitteretur atque aboleretur; Sed &, Liturgia S. Cœnæ, aliæque dein omnes, fuerunt correctæ; Et nova quidem tum quod introducta fuerit *Liturgia* (b), docemur, quæ & eodem hoc anno 1548. confirmabatur, atque eo tum ornabatur elogio, quod *singulari Spiritus Sancti auxilio fuissent* (c) *gavisi*, qui eam & emendaverant & innovaverant; Neque vero etiam multi de nova hac Liturgia sunt moti tumultus, nisi quod MARIA princeps eam plane non admittere voluerit (d), quodque inviti eam reciperent Pa-

(a) PERIZON. l. c. p. 406.

(b) Conf. STRYPE Memorials Eccles. Vol. II. Lib. I. cap. XI. fol. 85. Hanc Liturgiam complecti, notandum est, 1. omnes publicas precum formulas. 2. Formulas omnemque administrandi sacramenta processum. 3. Cæteras omnes cerimonias Ecclesiasticas. 4. Libellum Ordinationis V. D. Ministrorum; Uti tria priora libro Ecclesiæ Anglicanæ publico dicto *Book of common prayer* continentur. Et sunt, qui hæc omnia partim ex Breviario, partim ex Missali, partim ex Rituali Ecclesiæ Pontificiæ, depromta esse conqueruntur, uti Librum Ordinationum ex Pontificali Romano consarcinatum esse referunt; Quæ tamen non absque grano salis accipi debent.

(c) Eam locutionem nequicquam sugillat BOSSUETUS in Histor. Variat. Lib. VII. p. 343. cum non supernaturalis quædam *inspiratio* indigitaretur, sed *auxilium Spiritus Sancti*, quod nemini Opus præclarum & in communem Ecclesiæ utilitatem molienti deest, aut denegatur; Ut minimè quoque huic effato sit adversum, quod ea deinceps tamen novam subierit variationem, quasi quæ Spiritus ante dictaverat, etiam ab hominibus immutari possint atque reformari, cum idem ille Spiritus & uberiora edocere & plenius in veritatem suos introducere possit:

(d) BURNET. l. c. fol. 68. 69.

Papistæ (a), nec multum quoque ei tribuerent Doctores Reformati, quod minimè dissimulabat CALVINUS ad Protectorem (b) Literas exarando; Ut eum ad Opus Reformationis ulterius prosequendum hortaretur, Ezechiæ vestigiis insistendo, non obstantibus belli negotiis: In iis, Reformatorum quorundam acerbos (c) animos deplorat. Conqueritur, quod in Anglia tum temporis paucissimæ essent, quæ affectus ciere valeant, conciones, prout audierat, & quod Concionatores frigidos sermones de industria affectarent, Liturgiam certam ac definitam, ut unanimi fidelium consensu notam approbat: A Protectore afflagitat, ut ita felici suscepto coronidem imponat; pro mortuis preces, chrismatis usum, extremam unctionem carpit, quia eorum institutionem in Scriptura non reperit; illius languoris tarditatisque, qua Angli Reformationem promovebant, rationes expendit, temporis nempe concursum plura fieri non permittere; In hanc rem monet, politica effata in rebus mundanis locum habere, ea verò contemnenda esse, quam primum de animarum salute agitur: In impietatem & alia vitia, quæ in Anglia grassabantur, in juramenta, ebrietatem & in effrænatam indomitamque mulierum libidinem, acriter invehitur, tanto malo mederi Protectorem obtestans. Est tum quoque *Lingua Latina* in cerimoniis sacrorum rejecta; *Festi dies* imminuti. Gardinerus, qui hæc quoque palam reprehendebat, & Consilii Regii jus potestatemque, dum Rex esset minor natu, in hisce agnoscere nolebat, in carcerem (d) denuò est detrusus.

Aaa Quid?

(a) BURNET. l. c. fol. 80.
(b) vid. CALVIN. Epistol. 39.
(c) Ita brevem ejus Epistolæ summam recenset BURNETUS l. c. fol. 58. b. quam in rei monimentum documentis nostris inseremus Num. XL. quò vel cuivis constare possit, quam Gul. NICHOLSIUS in Apparatu ad Ecclesiæ Anglicanæ defensionem p. 12. 13. minus rectè Calvinum accusaverit, quasi is *Ecclesiæ pacem dirimere & criminationes contra Anglicanam Reformationem disseminando, homines Anglos inter se committere primus omnium fuerit ausus*, unde infaustum illud inter Episcopales & Presbyterianos ortum fuerit Schisma: Sed hæc sunt πονηρϰ κομμάτιος.
(d) BURNET. l. c. fol. 94. b. qui & deinceps fol. 99. seq. ulteriores in Gardinerum actiones recenset.

Quid? quod Parlamentum, uti per partes & varios temporum articulos causam religionis constituebat, ita ineunte anno 1549. demum Ecclesiasticis concesserit Matrimonium & publica ordinaverit Jejunia. Est verò cumprimis notabile illud quod Londino & in vicinia tum celebratum fuit Jejunium, quando Cranmerus coram Aula concionatus est, atque (uti refert BURNETUS (a)) „ missis sermonis pigmentis, doctis observationibus, ingeniique „ acuminibus, severè auditores suos carpere tantummodo studuit. „ Dei nomine ostendit, quantum eorum impuræ libidines, blasphe- „ miæ, adulteria, rixæ, latrocinia, Tyrannides, Verbi divini con- „ temptus, ad publicas in Regnum calamitates accersendas con- „ tulissent: Politicos Ministros ob suam in compescendis illis „ libidinibus negligentiam, aliquo respectu in culpa esse decla- „ ravit: Exemplis ex Historia Judaica depromptis docuit quan- „ ta tales intemperantiæ Dei Judicia in populum accersant, & „ quantam pœnitentia ad illa Dei flagella dissipanda vim habeat. „ Maximè verò in turpem eorum vitam invectus est, qui zelum „ præ se ferentes sub religionis pallio vitia tegebant. Germaniæ „ infortunia & calamitates ob oculos posuit, in qua populi, „ quamvis Evangelii prædicationi se adhærere profiterentur, „ meliores facti non erant, & Dei severitatem per multos annos „ provocatam experti erant: Addidit, se timere ne aliquis terri- „ bilis è cœlo procella Angliam brevi incesseret, nisi prompta „ pœnitentiâ impendentes calamitates anteverterent. „

§. CXIX. Neque verò quicquam magis inimicum videri poterat progressui Reformationis, quam quod eodem tempore simultates intestinæ & plusquam fraternæ obtinerent inter duos Regis avunculos *Eduardum* & *Thomam* SEYMOURIOS, illum Protectorem, hunc supremum Classis Præfectum, quæ tamen in posterioris eruperunt caput. Etenim Thomas (b) infinita actus ambitione, primum tentaverat Elisabethæ ex Anna Bolenia ab Henrico genitæ nuptias. Eæ quum non successissent ex voto, ani-

(a) BURNET. l. c. fol. 78. qui se potiorem illius Concionis partem propria Archiepiscopi manu conscriptam vidisse testatur, atque inde hæc excerpsisse.

(b) PERIZON. Hist. Sec. XVI. p. 408. 409.

animum mox adjecit ad Catharinam Parriam Reginam viduam, quam & in matrimonium accepit. Non contentus eo, mox, cum ipsius Regis, adhuc pueri, tum eorum, qui circa erant, animos muneribus sollicitavit & cepit, idque egit, ut quum Frater suus esset totius *Regni* & *Regis* Tutor, seu *Protector* renunciatus, ipse *Proprius Regis* seu vitæ regiæ *Gubernator* declararetur. Hinc ortæ primum illæ simultates inter Fratres, quæ in majus excrevisse incendium, per utriusque Uxores, (quod tamen in dubium plane vocat Burnetus (a)), vulgo creduntur, quum quæ minori esset nupta, Reginæ tamen ordinem & dignitatem utcunque reliquas inter matronas teneret, idque altera æquo ferre animo vix posset. At ille, exulcerato jam in fratrem animo, consilia sua urgens, ab Rege tandem elicuit Literas ad Parlamentum scriptas, quibus testaretur, desiderare se, ut Thomas sibi assiduus adderetur Gubernator. Verum intercessit Protector, & Consilium Regium, quod & Thomam ad se continuò vocavit citavitque, sed non respondentem. Ergo muneribus eum suis exuerunt & in Turrim Londinensem mittere decreverunt. (b) Quo demum facto, Fratri & Consilio se submisit, destitit certè ad tempus à proposito. Uxor ipsius Parria, mortem mense Septembri 1548. obiit, matrona virtute omni ornatissima. (c)

Tum verò is altera vice, Elisabetham, Regis sororem, sibi conjugem desideravit sed irrito iterum conatu. Quapropter Regem armata manu, suum in castellum quod ruri habebat abducere, & Fratre dejecto, sibi administrationem Regni vindicare studuit. Quum hæc moliri (d), licet sæpe periculi sui admonitus, non desineret, sic tandem mense Januario 1549. in Turrim est inclusus. Tradunt, Protectorem tentasse denuò viam concor-

(a) BURNET. l. c. fol. 204. quamvis THUANUS Lib. VI. c. V. fol. 205. omnino *æmulationem muliebrem* intervenisse testetur.

(b) BURNET. l. c. fol. 90.

(c) BURNET. l. c. fol. 65. a.

(d) STRYPE Ecclesf. Memor. Vol. II. fol. 123. BURNET. l. c. fol. 64. & seqq. Rapin. THOYRAZ. Tom. VI. livr. XVI. p. 33. seq. conf. Andr. du CHESNE Hist. d'Anglet. Livr. XXI. foli 1068. THUAN. ad Ann. 1549. lib. VI. fol. 205. 206.

diæ & servandi Fratris, sed ea lege, ut muneribus se ultrò abdicaret, & ab Aula secederet. Verum irrita ceciderunt omnià. Variis ergo criminibus ille est accusatus, rogatusque Rex, ut causam hanc arbitrio Parlamenti permitteret. Qui quum id fecisset, damnatus est Thomas, ut capite supplicium lueret, quod etiam a. d. XIII. Kal. Apríleis de eo est sumtum, magna cum Protectoris invidia, qui Fratris supplicio & ipse cum ceteris Consilii Regii Senatoribus subscripserat.

Variis interim Angliæ (a) in regionibus, tumultus à rusticis exoriebantur, *partim* ab illis, qui superstitiosis cerimoniis assueti, inque iis summam religionis ac salutis suæ positam rati, eas jam imminutas (b) aut penitus abolitas & ipsa inprimis Monasteria suppressa, unde multi ex plebe vixerant, ferebant iniquissime, & à Sacerdotibus insuper ad audendum quid pro veteribus Sacris hoc potissimum tempore excitabantur, *partim* etiam ab iis, qui se à Nobilitate opprimi sentiebant, ut ferme fit in tali quasi Interregno, quando Rex per ætatem Regno per se administrando nondum est par aut maturus, & ideò vis imperii delectis Proceribus ad tempus permitti debet. Proceres enim illi, ex Nobilitate omnes, favebant suo ordini, ejusque jura in plebem, quantum in se erant, intendere studebant. Quin ideò ipse Protector, quum populi rationibus aliquantulum consulere, & Nobilium iniquitati obviam ire vellet, in horum fere omnium mox incidit odium (c), eaque re factioni seu conspirationi deinceps contra se initæ primam dedit causam, neque tunc, quantum volebat, adversis pene omnibus, etiam Consilii Regii Proceribus, sublevare populum potuit. Coercíti tandem & extincti hi tumultus, sed non prius, quam arma in Scotiam parata, in tumultuantes converterentur. Tum verò, paucis punitis, Amnestia reliquis, annitente Protectore, decreta ac promulgata.

§. CXX.

(a) PERIZON. l. c. p. 410. 411.
(b) Huc faciunt illa postulata quæ cum primis Provinciæ Devonensis (vulgo Devonshire) incolæ proponebant, de restituendis omnibus ritibus Pontificiis apud BURNET. Vol. II. fol. 77. Ad quæ tum sigillatim respondit Cranmerus vid. loc. cit.
(c) v. BURNET. l. c. fol. 88.

§. CXX. Cæterùm, id in genere observari meretur (a) Evangelicæ Religionis quæ tum *Religio Protestantium* dicebatur, Introductionem, deliberationum in Anglia per Eduardi VI. Regnum regulam & scopum fere semper fuisse.

Et sunt Anno cumprimis sequente 1550. cerimoniæ quoque Ordinationum & Inaugurationum multis modis immutatæ, atque à superstitiosis quibusdam ritibus purgatæ, retentis quibusdam ad ædificationem publicam cumprimis facientibus circumstantiis, uti inter alia, memorabiles illæ sunt Interrogationes (b) ac Responsiones in nova ordinationis Ecclesiasticæ forma; Inter quas prima erat: „ Credisne te hocce munus ministeriumque amplectentem actum esse à Spiritu Sancto in corde tuo agente ut Deo inservias, ad ejus Gloriam, populique ejus ædificationem? „ Cui respondebat alter: *Credo:* Uti, inter varia (c), quibus se obstringèbat sacerdos, & hoc erat: „ se eos quorum cura sibi demandabitur edocturum, omnia erronea dogmata ab iis summoturum, documentis commonitionibusque & publice & privatim erga ægrotos sanosque pro necessitate & occasionibus usurum esse. „

Hoc eodem anno, Nicolaus RIDLEJUS, genere Nobilis in Episcopatu Dunelmensi natus, atque varia dein eruditione instructus, Episcopus primo Roffensis, ad Episcopatum Londinensem in Bonneri (d) nuper depositi ac incarcerati locum, evectus fuit d. IX. Martii magno (e) cum Reformationis emolumento; Quippe cum Hujus & Hugonis LATIMERI (f) pietas & prudentia singularem in modum essent conspicuæ. Sed & eodem

 illo

(a) BURNET. l. c. fol. 86. a.
(b) BURNET. l. c. fol. 94. 95. a.
(c) BURNET. l. c. fol. 95. b.
(d) BURNET. l. c. fol. 81. 82. 83. conf. Acts and Monum. Volum. II. Lib. IX. fol. 41.
(e) Ejus Icon. cum elogio extat in H. H. Heroologia Anglica P. I. fol. 155. 156.
(f) Hujus ante omnia memoriam celebrat FOXUS in Martyrologio itemque in Acts and Monuments of Martyrs &c. Uti argumentum concionis ejus coram Rege habitæ præstantissimum recenset BURNET. l. c. fol. 100. b.

illo anno Jo. HOOPERUS ad Glocestriensem Episcopatum (a) evectus, novæ de vestibus Pontificalibus litigationi ansam dabat ac subministrabat materiam; Ipse enim Papisticas omnes cerimonias plenius abrogandas statuebat, quam hactenus quidem in Liturgia etiam renovata factum fuerat, sicque Vestes quoque Missaticas atque Pontificales respuebat, nec iis, cum inaugurandus esset, indui volebat, quæ res & Cranmero, & aliis, Liturgiæ novæ pressius inhærentibus, admodum displicebat, atque facile in ingentem degenerare potuisset dissensionem, nisi provida Regis cura (b) intervenisset, qua factum est, ut Hooperus sequenti demum anno sine vestibus illis pontificalibus inauguraretur, cum interea, à concionando tamen, usque ad mensem Martium illius anni abstinere jussus fuisset:

Sub hujus anni finem & principium anni sequentis 1551. nova illa, de qua diximus, Liturgia, denuò recognita fuit & correcta (c) qua in re Martini Buceri præcipuè studium atque prudentia magnopere à Rege æstimata sunt, quippe ad cujus responsum (d) Archiepiscopo transmissum, illa tum correctio potissimum & suscepta fuit & confecta: In eo Responso inter alia Bucerus (e) *de Vestibus*, quibus uti debeant Ministri in ministrando, ita præcipit: „ Has vestes opto tolli, non quod credam in ipsis quic-„ quam impii esse per se, ut pii homines illis non possint piè „ uti:

(a) BURNET. l. c. fol. 100. seq. conf. SALIG. Hist. Aug. Conf. T. II. p. 444. & p. 491. 492.

(b) BURNET. l. c. fol. 102. a. conf. *Scrin. nostr. antiq.* T. II. P. II. p. 665. Cæterum fuit illa tum uberius agitata *de Vestibus Pontificalibus* controversia, variisque eruditorum *Petri* MARTYRIS, *Martini* BUCERI, *Jo. à* LASCO, Literis, partim ad *Hooperum* partim ad *Cranmerum* & *Ridleium* conscriptis, suppeditavit ansam vid. Epist. MARTYRIS & BUCERI ad Hooperum in Buceri Oper. Angl. fol. 705—710. LASCI ad Cranmerum in Scrin. nostr. Antiq. l. c. p. 656—670.

(c) BURNET. l. c. fol. 102. 103. Varias autem illas cum mutationes tum variationes Liturgiæ Anglicanæ illatas recensere atque notis illustrare voluit Jo. Ern. GRABE V. D. sed qui morte præreptus rem conficere non potuit. vid. Ge. *Hikes* in Vita Grabii Anglice edita p. 14.

(d) v. BUCER. Anglic. fol. 456—503.

(e) BUCER. l. c. fol. 458.

„ uti: sed quia video illas nimis multis esse superstitioni (desunt
„ enim passim Ecclesiis idonei doctores) tum nunc quoque raptas etiam ad materiam contentionis nocentioris multò, quam quisquam satis explicaverit. Adhæc, consentaneum est, adspirare nos ad simplicitatem Christi & Apostolorum .... tum testari modis omnibus, nihil esse nobis commune cum illis, ac ideò minimè omnium cum Romanensibus Antichristis, libertatem denique Christianam, quibusvis in rebus præclarè tueri & præ nobis ferre. Atque si singulis parochiis idonei mittantur Doctores, suis hominibus grata erit ista vestium sublatio, impiorum verò gratia (si servi Christi esse volumus) nullo modo captanda est, multò minus eorum ulla ratione sustentanda superstitio. Doctores verò si desint idonei, & usus & remotio vestium perinde oberunt, immanique se in sanguinem filii Dei injuria obnoxios facient, totique Regno intolerandam Dei iram conciliabunt, per quos steterit, quò minus ante omnia curetur, ut (sicut Christus Dominus facto suo docuit & verbo) singulis in nomine ejus baptizatis, deputentur Doctores, qui eos doceant servare quæcunque præcepit Math. X. ℣. ult. & Joh. X. ult. „

Ad id tempus, pereximium BUCERUS edere tractatum de Regno Christi (a), in Eduardi Regis gratiam, qui tantopere placuisse Regi dicitur, ut abinde sibi novam prorsus totius Reformationis ulterius perficiendæ, formaverit ideam, eamque brevi Scripto, instar dissertationis (b) exprimere aggressus fuerit, cujus quoddam fragmentum (c) ejus manu consignatum, cum in Archivis repererit Burnetus, ex eo colligitur, quam ante omnia necessitatem ordinis alicujus statuendi in Ecclesiæ diciplina contra seculi effusam libidinem agnoverit, attamen, quod jus illud nullo modo

(a) v. BUCERI Opera Anglicana p. 1—164.
(b) v. BURNET. l. c. fol. 104.
(c) Hoc fragmentum, ipsius Regis manu consignatum, cum inter documenta Historiæ suæ subjecta retulerit BURNETUS, in Collectione documentorum ad Tomum II. fol. 44. 45. exinde illud decerpere atque nostris documentis propter tanti Regis memoriam inserere, voluimus. Num. XLI.

modo judicaverit illius ævi Præsulibus credendum esse, quos minus ad tantum negotium suscipiendum arbitrabatur idoneos.

§. CXXI. Ad eundem hunc annum instauratam illam referimus Dioeceseos Londinensis per Episcopum Ridleium Visitationem (a) Ecclesiasticam, qua cumprimis in Ecclesiasticorum vitam pariter ac doctrinam accurate & diligenter inquirebatur; Num suo ea qua par erat sedulitate incumberent muneri? num stipem pauperibus debitam fideliter erogarent? num in sermonibus suis Episcopi Romani partes adhuc tuerentur? num Scripturæ S. vel Liturgiæ novæ usum publicum approbarent? num verò minus? num res novas molirentur? num communionem haberent venalem? missas privatas lucrifaciendi causa celebrarent (b), etsim.

Porrò & inquirebatur: Num Anabaptistæ vel alii Sectarii coetus haberent illicitos (c), num essent qui defenderent Sacramentorum administrationi indignis factæ vim omnem decedere, vel, qui statuerent peccata post baptismum admissa omnia esse irremissibilia? Deinceps & in Parocho inquisitum est; num hi ægrotorum curam gererent, sepulturis pro illorum temporum more interessent, catecheticas institutiones justo tempore constanter an vero segniter instillarent? num denique festos dies lege publica abrogatos & reliquas superstitiones abolitas etiamnum observarent? an verò regiæ obtemperarent voluntati?

Neque autem solum in hæc inquirere, sed &, novum tum promulgare Ridleius de voluntate Regis Edictum (d), quo superstitiosis quibusdam cerimoniis, Bonneri negligentia vel simulata mansuetudine adhuc retentis, (e) obex ponebatur, atque cumprimis Altaria in simplices mensas ad usum communionis Euchari-sticæ

(a) Eam ex Eduardi Regis diario illustrat BURNETUS l. c. fol. 105.

(b) Hos articulos ex Norvicensis Episcopi *Antonii Sparrovii* collectione, recensuit BURNET. l. c.

(c) Quod enim *Anabaptistarum* quoque propago iisdem fere temporibus Angliam infestaverit, colligitur ex iis quæ de *Johannæ Kentiæ* & *Georgii Parrii* suppliciis ad Ann. 1549. referuntur à BURNETO l. c. fol. 73—75. quæ nunc saltem indigitasse sufficiat.

(d) vid. BURNET. l. c. fol. 105.

(e) BURNET. l. c. fol. 105. b.

sticæ (a) convertebantur, ne illa de sacrificio Missatico hæresis ulla ratione reviviscerет. Sed & Conciones diebus professtis haberi solitæ (b), quibusdam licet reluctantibus, qui moleste ferebant sibi viam præcludi ad feriandum, cum ut plurimum otio ac ludicris recreationibus, quod à concionibus reliquum erat tempus, transigerent, abolebantur.

Cum hæc agerentur, BUCERUS (c) magno piorum omnium luctu 1551. d. 28. Januarii supremum obit diem ac triste sui relinquit desiderium (conf. §. CXIV.) cum Paulus FAGIUS (d) jam quoque anno superiori 1550. vitam cum morte communicasset.

Sed & hoc anno 1551. *Fidei Confessio* confici ac in certorum articulorum numerum redigi cœpta est, qua in re quod CRANMERI & RIDLÆI, cum prudentia tum pietas præcipuè enituerint, est certum, quamvis etiam non ante annum 1552, congregato eam in rem Clerò, ad umbilicum sit perducta (e), quod non uno momento universam repurgari posse doctrinam sed circumspectius agendum esse judicaret (f) Cranmerus, tametsi secus judicasset Bucerus, qui doctrinam fidei prius tanquam regulam confici volebat, ad quam deinceps cerimoniarum cultus

Bbb tus

(a) BURNET. l. c. fol. 106. a.
(b) BURNET. l. c. fol. 106. b.
(c) BURNET. l. c. fol. 109.
(d) De utroque jam egimus in superioribus. Conf. SALIG. Hist. Aug. Conf. T. II. p. 447—455.
(e) BURNET. l. c. fol. 111. qui ibidem ipsorum articulorum tum constitutorum numerum init ac recensionem.
(f) BURNET. fol. 110. qui posteaquam quadraginta duorum articulorum (qui temporibus Elisabethæ ad trigintra novem sunt redacti) recensionem brevem instituisset, tandem fol. 112. hoc addit Epiphonema: „ Sic intra exiguum articulorum minime intricatorum nec obscurorum „ numerum Ecclesiæ Anglicanæ fidem redegerunt. Erroribus qui per „ Paparum regnum eam quasi inundaverant, purgarunt. Insanas Anabaptistarum & in Germania Enthusiastarum opiniones everterunt. Scholæ subtilitates ut & Magistrales, ut ita dicam & imperiosas controversiarum decisiones evitarunt. In problematicis verò quæstionibus Theologis liberum reliquerunt, proprias ideas sequi, dummodo pacem publicam non turbarent. „

tus publici atque disciplinæ restaurationem exigi debere judicabat:

Sunt verò etiam tum temporis sex electi concionatores, qui reliquis præstare dicebantur, iisque *Regii Sacelli præfectura* est demandata, ex quibus duo apud Regem continuò præsentes essent rerumque sacrarum administrationem haberent, reliqui quatuor bini (a) provincias peragrarent, ita ut principatus *Walliæ* & provincia *Lancastriensis* in primum annum illis adsignarentur, *Scoticæ* plagæ & *Eboracensis* provincia in secundum. *Devonensis* & *Hampensis* in tertium, *Norfolkensis* autem itemque *Kentensis* & *Sussexiensis* in quartum annum; quod præcipuè ad supplendum plerorumque Ecclesiastarum, minus ad docendum idoneorum, munus, ita constitutum fuisse observat Burnetus.

Inter hæc MARIA Princeps (b) Regis Soror, natu major, tametsi sæpenumero à Consilio Regio impelleretur, suo tamen obnoxia ingenio, veteres sacrorum ritus immutare nolebat, nec unquam juxta novæ Liturgiæ leges Officium quod dicunt sacrum celebrari patiebatur: quin potius suos (c) sibi sacerdotes servabat, & Missam intra privatos parietes celebrare non desistebat, quamvis ita occultè, ut quod de scandalo dato conquererentur reliqui, non haberent.

Dum interea ELISABETHA (d) Soror altera Regis, præcipue *Mathæi* PARKERI cura atque studio in emendatæ religionis doctrina informabatur, atque eam animo feliciter imbibebat, quam deinceps tanta cum auctoritate atque alacritate publicè in Regno Anglicano stabilivit.

§. CXXII. Enimvero parum abfuit, quin tristia Protectoris fata ab ejus inimicis ei structa, nisi aliter providisset Deus, in Religionis emendatæ decrementum cessissent: Is enim, non solummodò jam A. 1550. paulo post Fratris Thomæ mortem, variis gravabatur criminibus, atque suis exuebatur publico Senatus Anglicani decreto celsissimis muneribus, sed &, cum A. 1551.

(a) BURNET. l. c. fol. 114.
(b) BURNET. l. c. fol. 115. 116. 117.
(c) BURNET. fol. 117.
(d) BURNET. l. c. fol. 117.

A. 1551. in gratiam receptus denuò videretur Protectoris dignitatem ambire, in discrimen iterum est conjectus novisque adortus criminationibus, in ejus exitium redundantibus: Primarius excidii auctor erat Dudlejus, Varvici Comes, peritissimus simulandi artifex, & infinitæ ambitionis homo: Cum eo equidem affinitatem contraxerat Somersethus (a), data Filio suo in matrimonium illius filia; Neque tamen vel ita restingui poterat omnis simultas, & inimicitia, quæ paulo etiam post palam erupit. Cum enim Varvicius in familiam ac posteritatem suam, spem Regni inferre tentaret, nec quenquam magis sua consilia, suasque spes turbare & impedire posse, suspicaretur, quam Somersethum, eum denuò opprimendum ac plane è medio tollendum (b) censuit. Et fuerunt eâ tum astutiâ usi, qui Somersetho necem intentabant, ut ipsi clam veluti insusurrarent, Varvicium & ejus Sodales exitium sibi machinari, quò eum provocarent ad se tuendum, seque armandum ad ipsos vel ulciscendos vel præveniendos; Vix autem eundem in sui tutelam arma sumsisse, comperepererat Varvicius, nuper admodum Dux Northumbriæ constitutus, quin repente id ad Regem deferre, eamque suspicionem adjicere, quasi etiam in Regem, saltem in tranquillitatem publicam quid moliri videretur Somersethus: Neque longa erat mora, quin in carcerem denuò, seu Turrim Londinensem, mense Octobri 1551. & cum uxore (c) quidem, multisque aliis suis clientibus & amicis, mitteretur, accusareturque, „ quod populum (d) Londinensem, qui valde eum amabat, ad arma pro „ se capienda excitare, quod Regem in suas manus & potesta„ tem redigere, quod denique Northumbrium, Northampto„ nium & Pembrokium ad convivium à Pageto amico suo in„ vitatos, in via, vel in ipso convivio capere aut occidere vo„ luisset. „ Judices ipsius fuerunt duodetriginta numero, ad hanc rem selecti, inque iis tres illi (e) quos occidere voluisse

 argue-

(a) BURNET. fol. 107. a.
(b) PERIZON. Hist. Sec. XVI. p. 417.
(c) BURNET. l. c. fol. 119.
(d) PERIZON. l. c. p. 418.
(e) BURNET. l. c. fol. 120.

arguebatur, reliqui autem Northumbrio erant addictissimi. Ab his ergo judicatus damnatusque, non læsæ Majestatis crimine, sed *Feloniæ*, h. e. quod consilium iniisset capiendi vel obtruncandi illos tres consiliarios, atque eo nomine mortis supplicio est (a) addictus. Quæ sententia d. 22. Januarii 1552. non sine multorum præstantissimorum virorum indignatione, exsecutioni data est: Populus enim qui eum amabat, atque innoxium intentati in Regem aut Remp. facinoris judicabat, gravissime necem tulit, ut res parum à tumultu abesse videretur, quem piissimo tamen sermone prævertit; quando vel sic multi sanguinem (b) ejus sudariis suis exceptum in perpetuum tam injusti judicii monumentum & conceptam divinæ in Northumbrium vindictæ expectationem servarunt, neutiquam fallacem. (c)

Hic fuit exitus EDUARDI Ducis *Somersethi* Viri pietatis insignis, & cujus virtutes innumeræ fuerunt: In celsitudine erat humilis; ad ipsum accedentibus comem & urbanum se præbebat, in negotiationibus sincerus & ingenuus (d) erat, ad res gerendas promtus & alacer, sed qui manu tamen quam consilio melior, in cœptis erat felix. Per totam vitam pauperes & quos alii supprimere tentabant amavit ac tutatus est, uno verbo, maximos plerosque viros splendidis virtutibus æquavit, nec plurimis quam illi vitiis laboravit, ii cumprimis qui subito ad Regni alicujus clavum fuerunt evecti, unde & à conficto conspirationis crimine eum prorsus immunem declaravit Vox publica;

Qui veteribus sacris erant addicti, eum equidem capite plexum gaudebant, neque tamen multum eo juvabantur, quum Varvicius, æque magnum emendatæ religionis studium præ se ferret, unde

(a) BURNET. l. c. fol. 123.
(b) BURNET. fol. 124.
(c) Dicitur enim, sub Mariæ Regno, cum Northumbriæ Dux in Turrim deduceretur, quod nobilis quædam Matrona tum eum adiverit, atque uno ex illis cruentatis sudariolis oblato hæc illi exprobraverit: *Hic antiquæ & integræ fidei viri, qui Excellentissimi principis probus avunculus erat, sanguinem vides, Sanguis ille malignis tuis artibus effusus à te nunc palam pœnas repetere incipit.* v. BURNET. l. c. fol. 124. conf. THUAN. Lib. VIII. §. XV. fol. 306.
(d) BURNET. l. c.

unde & priusquam hæc in Somersethum desæviret tempestas, Episcopi, primum Londinensis, dein Wigorniensis, denique Wintoniensis, statione sua jam erant dejecti, tantùm, quia non satis ad decreta Consilii Regii in sacrorum cura se accommodarent, nec illius jus, sub immaturo hoc atque impubere Rege, in constituendis magni momenti rebus, abolendisque aut certe mutandis quæ ab Henrico VIII. fuerant profecta, satis diserte agnoscerent.

Varvicius interea, post Somersethi necem solus sine æmulo (a) apud Regem, quem suis obsessum clientibus & amicis habebat, quasi vacua dominabatur in aula; Sed tanto majore erat in odio apud omnem fere populum. Ut quoque in publicam significationem alienatæ voluntatis, à Parlamento, quod postridie Somersethii supplicium convenit, impetrare nihil potuerit, quod ad notandam illius memoriam, damnationemque approbandam pertineret, licet instinctu Varvicii, Rex & Nobilitas præirent. Interea omnia Regni munera (b) ab hominibus ei addictis administrabantur.

Quod vero Rem Reformatam concernit, eodem Parlamento, non solum Liturgia renovata confirmabatur, sed & Archiepiscopis & Episcopis arctius injungebatur, ut providerent, ne quid detrimenti caperet cultus publicus, atque, ne quis Anglorum ejus observationem negligeret (c); In ea lege, post querimonias de quorundam pertinacia, qui cultui divino interesse recusabant, juxta novas constitutiones ecclesiasticas edicebatur, ut à die omnium sanctorum, initium fieret censuris ecclesiasticis illos castigandi, qui diebus Dominicis & festis diebus (d) ab ecclesiæ precibus abesse auderent.

Bbb 3 Pro-

(a) PERIZON. l. c. p. 420. THUAN. l. c.

(b) BURNET. l. c. fol. 124. b.

(c) BURNET. l. c. fol. 126.

(d) Est enim tum publico quoque decreto definitum, dies quosdam Jejuniorum atque singulari ratione festos, in quibus omnes laborem intermittentes precibus & Religionis actibus se darent, observari ac celebrari debere v. BURNET. l. c. fol. 127. a.

Prouti tum varia quoque alia vel innovata vel immutata fuerunt atque in meliorem formam redacta, quæ antehac ceteroquin sancita jam erant atque publicè constituta; Quæ tamen Variationes, nec fraudi esse poterant religioni emendatæ, nec Reformatoribus exprobrari debent, quasi Fides Protestantium ejusmodi passa sit variationes, cum non uno eodemque tempore omnes illi tot seculis qui in Religionem irrepserant nævi vel removeri possent vel emendari, cumque, qui veritatem inquirunt lubenter fateantur, se αἰεὶ γηράσκειν, πολλὰ διδασκομένους; Accedit, quod hi ipsi qui nobis ut plurimum eas objiciunt, (Pontificios indigitamus) & continuas & omnigenas per omnia fere secula cum doctrinæ tum cultui suo induxerunt variationes, alias serius, alias citius, has sensim, illas subito, has occultè, ac rectis viis, illas aperte & quasi γυμνῇ κεφαλῇ, nec Roma unquam fuerit constans nisi in sua duntaxat levitate.

Fuit verò tum quoque Lex lata de Sacerdotum Matrimonio, non per conniventiam vel indulgentiam saltem tolerando, tanquam non illicito, sed vel maximè legitimo, atque cumprimis honorabili, reclamantibus licet quatuor Comitibus & sex Dynastis (a); Ne jam leges de colligendis eleemosynis in usum pauperum, de justis usurarum limitibus ponendis, commemorem, atque eam, quæ contra Simoniam est lata, & contra assignatas (b) ex Ecclesiæ reditibus pensiones, nec non, contra collata beneficia, dum in vivis esset possessor beneficiarius etsim. quæ omnia satis arguunt, quam curæ cordique esset Regi, plenior illa REFORMATIO cum doctrinæ tum cultus, atque inprimis etiam disciplinæ ecclesiasticæ, quæ turpiter adeò corrupta erat ac depravata; Nam & Articulos illos *Confessionis fidei* antehac à nobis commemoratos tum solenni lege approbatos fuisse (c) constat.

§. CXXIII.

(a) BURNET. l. c. fol. 127. b.

(b) BURNET. l. c. fol. 129. a.

(c) BURNET. fol. 130. a. qui in collectione Documentorum ad Tomum II. fol. 124. & seqq. Num. LV. universam illam Confessionem articulis XLII. constantem exhibet, quos articulos sub Elisabethæ ad numerum XXXIX. esse redactos jam observavimus.

§. CXXIII. Inter primaria tamen quæ circà Sacrorum Emendationem exegisse videtur EDUARDUS Rex, recenseri debet, Juris Canonici repurgatio & Legum Ecclesiasticarum Reformatio; Quæ per totum fere Annum 1552, occupatos tenuit Reformatores (a); Tentaverat eam suo jam tempore (b) HENRICUS VIII. Eduardus autem, ut quod ille factum mense Februario hujus anni prius voluerat, perficeretur, *triginta duobus* Viris (c), partim ex Episcopis, partim ex Theologiæ doctoribus, partim ex Jureconsultis, ad hoc ipsum designatis, eam demandaverat, ut ipsorum arbitrio ad certa quædam sanctionum capita, in legum formulas redacta figerentur, quæ in locum suffecta Romanarum Constitutionum, reip. & moribus in melius formandis quam maximè salutares proponerentur: Nec longum erat, quin Regis voluntati satisfieret. Res enim tanquam pensum in varias distributa operas, felicitate non minori quam celeritate confecta est (d) hoc observato ordine, ut duo hi & triginta quos diximus in quatuor classes æqua proportione ita dividerentur, ut in singulis octonariis duo Episcopi, duo item Theologi, rursusque duo Juris utriusque & totidem communis Juris consulti continerentur. Inter quos sic denique conventum est, ut quod in singulis classibus conclusum & definitum esset, id per reliquas classes considerandum atque inspiciendum transmitteretur; Quanquam deinceps Kalendis Novembribus hujus anni, ex hoc omni numero, *octo* potissimum, ex voluntate Regis (e) seligerentur capita, quibus ut tantò res conficeretur felicius, prima operis præformatio veluti committebatur, quorum nomina in Regis Eduardi diplomate leguntur: Hi igitur sub auspiciis Cranmeri, qui reliquis

(a) BURNET. l. c. fol. 318.

(b) vid. §. CV. pag. 318.

(c) vid. Eduardi VI. diarium apud Burnet. in Collect. Documentorum ad Tomum II. fol. 30.

(d) FOXUS in Præfatione ad *Reformationem Legum Ecclesiasticarum* edit. Londinensis 1640. a.

(e) vid. Ipsum *Regis diploma*, quod ex libello citato depromsimus atque inter Documenta nostra huic operi subjecta ad Num. XLIII. retulimus.

quis præsidebat, eum conficere Libellum (a) quem sub Reformationis Legum Ecclesiasticarum titulo, regnante Elisabetha à Johanne Foxo editum habemus;

Fuit autem præcipuus libelli auctor CRANMERUS ipse, Juris Canonici peritissimus, qui ab optimis undique legibus, non solum ecclesiasticis sed Civilibus etiam, veterumque Romanorum præcipua antiquitate materiam sumsit; Orationis lumen & splendorem addidit *Gualterus* HADDONUS, Vir disertus, & in hac ipsa Juris facultate versatissimus, itemque *Johannes* CHEEKUS, Eques ac vir singularis. Quo factum est, ut cultiori stylo concinnatæ sint istæ leges, quam pro communi ceterarum legum more. Totum Opus (b) ad LI. Articulos redactum fuit, quo ad Pandectas propius accederet, in quibus Justinianus Imperator Romanas leges inclusit: Atque hæc quidem circa mensem Februarium A. 1553. ad umbilicum erant perducta, ut fere nihil superesse videretur, quam ut sub auspiciis Regiis publico Gentis Decreto his constitutionibus vigor & auctoritas legum obtingeret, quod tamen quo minus fieri potuerit, inopinatus Regis EDUARDI occasus effecit, ut cum eo quoque totum illud concidisse videatur consilium, deinceps, quantum constat, non unquam redintegratum: Juvat autem in rei prorsus eximiæ memoriam, primaria quædam ex illo libello excerpere lumina, ex quibus, quænam tum Reformatoribus mens sederit, colligi poterit, & quodnam eorum fuerit, circa varia rerum ac doctrinarum capita, consilium.

§. CXXIV. Tit. I. *de Summa Trinitate & fide catholica* Cap. 1. p. 1. Nomine REGIS hæc dicuntur: „ Quapropter omnes homines ad quos imperium nostrum ulla ratione pertinet Christianam religionem suscipere ac profiteri volumus & jubemus. Contra quam qui cogitationes aut actiones ullas suscipiunt, iis nos qui divinæ Majestatis administri sumus, & facultates universas & ipsam denique vitam abjudicandam esse statuimus. „

Cap.

(a) Extat Libellus superiori demum seculo 1640. quantum nobis constat typis impressus Londini in forma quarta, suo titulo: *Reformatio Legum* &c. vid. pag. 318,

(b) BURNET. l. c. fol. 131.

Cap. 4. De duabus Christi naturis post resurrectionem p. 3. *Humana* (Christi natura) *finita & descripta humani corporis terminis ac finibus qua, postquam peccata nostra perpurgavisset, in cœlos ascendit, ibique ita sedet ad dextram patris, ut non ubique sit, quippe quem oportet in cœlo remanere usque ad tempus restitutionis omnium* &c.

Cap. 9. p. 5. „ Hæc igitur (Scriptura S.) usque adeo plena „ est ac perfecta, ut quicquid in ea non legitur nec reperitur, „ nec denique ex eadem aut consequitur, aut convincitur, à „ nemine sit exigendum ut tanquam articulus fidei credatur. „

Cap. 14. p. 6. „ Conciliis etiam Generalibus non aliter fidem „ nostram obligandam esse censemus, nisi quatenus ex Scripturis Sanctis confirmari possint. „

Cap. 15. p. 7. „ Ut ex (Patrum) sententia de sacris literis „ judicetur, non admittimus. Debent enim sacræ literæ nobis „ omnis Christianæ doctrinæ & regulæ esse & judices. „

Tit. II. *De Hæresibus* Cap. 5. p. 10. *Quidam verbum in carnis naturam conversum asserunt, quam, quamprimum à morte in cœlum fuit recepta, rursus volunt in naturam divinam reversam & absorptam esse. Quorum illi delirium imitantur, qui corpori Christi tam latos fines dant, ut illo credant aut omnes locos simul, aut innumeros obsideri. Quod si confiteremur, humanam è Christo naturam eximeremus.*

Cap. 11. p. 13. „ Horribilis est & inanis illorum audacia qui „ contendunt in omni Religione vel secta quam homines professi „ fuerint, salutem illis esse sperandam, si tantùm ad innocentiam & integritatem vitæ pro viribus enitantur, juxta lumen, „ quod illis prælucet à natura infusum, Autoritate verò sacrarum literarum confixæ sunt hujusmodi pestes. Solum enim & „ unicum ibi *Jesu Christi* nomen nobis commendatum est, ut „ omnis ex eo salus ad nos perveniat. „

Cap. 12. ibid. „ Quidam impie philosophantur, Animas hominum ex hac vita migrantium, quando semel ex corporibus excesserunt, usque ad supremum ultimi Judicii tempus, vel somno involvi, vel prorsus ad nihilum recidere, tum autem, cum „ extremi judicii dies erit, illas rursum vel è somno excitari,

„ vel cum propriis corporibus ab interitu resurgere: Affinis est „ iis error de resurrectione, quam multi (cum Hymenæo consentientes & Phileto) perfectam jam esse dicunt & conclusam, „ quia solum debet ad animum referri, quem Christus, (affusa „ nobis beneficio suæ mortis Gratia) prorsus ex morte peccatorum excitavit. Sed hæc illorum abrupta est & curta doctrina &c.

Cap. 19. p. 18. Ibi repudiata prorsus Transsubstantione Pontificiorum ita pergit: *In eodem luto hærent, qui panis & vini substantiam in Eucharistia ponunt, sed vi consecrationis per ministrum appositæ, corpus & sanguinem Christi verum & naturalem adjungi putant, & cum symbolorum naturis permisceri, & subter eas subjici, usque adeo, ut sive pii sint, sive impii, qui ad Domini mensam se admovent, verum & naturale corpus Christi & expressum ejus sanguinem unà cum pane & vino sumant. Verùm, symbola sacramentorum, quoniam res quas significant non intra se clausas realiter & substantialiter continent, deinde, cum Sacris Scripturis determinatum sit, Christum suam in cœlum humanam naturam invexisse, nec cum illa sit in terras ante tempus extremi judicii descensurus, Præterea, cum hæc commentitia naturalis corporis Christi præsentia nullum habeat majus momentum ad ædificationem nostræ religionis, quam hæc Christi præsentia, quæ fide percipitur, imò multas secum afferat quæstiones inexplicabiles, ac assertiones falsas & portentosas, absurdam hanc doctrinam, qua Christi corpus & sanguis, naturaliter & substantialiter (ut illi loquuntur) ad Eucharistiam adrepunt, & in ea includuntur, prorsus aboleri volumus: peregrinum enim est, & alienum à sacris literis, deinde, contrarium humanæ naturæ veritati, quam Christus assumsit, & à conditione Sacramentorum, longè diffidens, postremo, communis quædam sentina superstitionum multarum in Ecclesiam Dei comportatarum.* conf. Tit. V. cap. 4. p. 30.

Cap. 22. p. 21. Ubi de *Prædestinatione* egerat, ita concludit: „ Quapropter omnes nobis admonendi sunt, ut in actionibus „ suscipiendis ad decreta prædestinationis se non referant, sed „ universam vitæ suæ rationem ad Dei leges accommodent, cum „ & promissiones bonis & minas malis in Sacris Scripturis gene„ neraliter propositas contemplentur. Debemus enim ad Dei

„ cul-

„ cultum viis illis ingredi, & in illa Dei voluntate commorari,
„ quam in Sacris Scripturis patefactam esse videmus. „

Tit. III. De *Judiciis contra hæreses* Cap. 10. p. 26. „ Qui de „ crimine hæresis fuerit confessus aut convictus . . . erit infamis, nec ad officia publica gerenda, nec ad consilia, nec ad „ testimonium dicendum, ullo tempore assumatur, imò nec „ Testamentum illi condere fas erit, præterea, quodcunque „ negotium illi cum aliis intercesserit, ipse quidem omnibus, illi „ verò nullus cogatur in judicio respondere. Crimen enim hæ„ resis publicum esse statuimus, quoniam Dei religio communis „ inter omnes, cum violatur, in eo publicè videtur omnibus in„ juria fieri. „

Tit. VII. De *Concionatoribus* Cap. I. p. 34. „ Nec ulli per„ mittimus ut hoc concionandi munus suscipiat, aut in eo sese „ ipse collocet, nisi legitima potestate eorum, quorum interest, „ fuerit ad illud advocatus. In quo Episcoporum diligentiam „ esse tantam volumus, ut temere non omnes adsciscant, qui„ cunque se spiritu Dei jactant afflatos, sed illorum vitam & „ eruditionem considerent & perpendant, ut ex eo cognosci „ possit an illorum Spiritus à Deo proficiscantur. „

Cap. 6. p. 36. „ Præcipimus, ut propter majorem hujus rei „ disciplinam sanciendam, Magistratus, Justitiarii, Præfecti „ Civitatum & reliqui, quocunque jurisdictionis nomine cense„ antur, concionibus intersint, nisi magna illos & omnino non „ prætermittenda causa detineat. „

Tit. VIII. De *Matrimonio* Cap. 13. p. 43. *Inveteravit in uxorum moribus nimium mollis & delicata consuetudo, suam ut prolem à propriis uberibus ablegent, & ad alias nutrices amandent, quæ res cum plerumque nullis probabilibus causis nitatur, sed tenera quadam suorum corporum indulgentia, fit, ut sibi ipsæ parcant, & honestos & naturales educationis labores subterfugiant, & cum hæc inhumana matrum, & degener ignavia multorum causam malorum afferat, ad officium concionatorum nostrorum arbitramur pertinere, matres ut cohortentur, ne prolem in lucem editam inhumaniter destituant, & beneficium illis uberum suorum negent, quibus paulo ante beneficium impertiverunt suorum uterorum & viscerum.*

Tit. XI. De *admittendis ad benef. Ecclesiastica.* Cap. 3. p. 57. „ Præterea patronis beneficiorum Ecclesiasticorum præcipimus, „ ut omnibus seclusis, vel necessitudinum, vel quorumque re- „ spectuum affectibus, illorum rationem habeant, qui munus „ hoc sacrum ad quod adhibendi sunt, possint, & velint omnibus „ partibus implere. *Nec enim sacerdotia delata sunt ad patronos,* „ *ut illa circumciderent, aut de illis deprædarentur, sed ut illorum* „ *præsidio & fide tutò conquiescerent.* „

Tit. XIV. De *purgatione* Cap. 4. p. 71. „ Magnam indigni- „ tatem nobis habere videtur, ut Ecclesiasticæ personæ, cum à „ civilibus nostris legibus, capitalis criminis pronunciantur, rur- „ sus ad Ecclesiastici fori judicium relegentur & purgentur. „

Cap. 21. p. 76. *Quoniam quantumlibet veritatem consectamur, illa prisca defensionis remedia non admittimus, quæ ratione & probabilitate non nituntur, sed in omnes partes æque propendent, & insontes plerunque condemnant, ac sontes absolvunt, qualia sunt, singularia certamina, flammæ, ferrum candens vel effervescens aqua. Nam isto modo primùm Dei tentabatur omnipotentia, deinde non certitudinis hæc aut veritatis indicia, sed casus erant & fortunæ ludibria. Omnis igitur hujusmodi pellatur anilis & superstitiosa defensio, quam si quis posthac attulerit, arbitratu judicis ab illo pœna sumetur.*

Tit. XVIII. De *benef. eccles. sine diminut. conferendis* Cap. I. p. 81. „ Etenim cum hoc à Majoribus nostris præclarè consti- „ tutum fuerit, ut ecclesiarum ministris uberes, & illorum con- „ ditioni convenientes fructus suppeditarentur, ex illis locis, ad „ quorum moderationem appositi fuerint, recentioribus tempo- „ ribus, multorum tanta cupiditas Patronorum invenitur, opes „ undique colligendi, Beneficiis ut ex suis, cum illa collocant, „ aliquam vel ad se vel ad suos particulam sevocent. „

Cap. 6. p. 83. „ Ordinarius si certò cognoverit ulla ratione, „ quod quisquam vel beneficium, vel quamcunque dignitatem „ ecclesiasticam iniquis pollicitationibus redemerit; Primùm evo- „ cabit ad se, tam Patronum, aut Patroni vicarium, quam ipsum „ qui vel beneficio vel dignitate sit donatus ecclesiastica; Dein- „ de, cum illorum mercaturam manifestis argumentis coarguerit

„ & con-

„ & convicerit, personam donatam beneficio vel dignitate sta-
„ tim de loco dejiciat, ad quem deviis & perversis itineribus ob-
„ repserat: quoniam quum Simoniæ labem in se conceperit, in
„ sacris rebus pretium interponens, non solùm præsente condi-
„ tione per scelus occupata carere debet, sed etiam nullius ex
„ tempore illo Beneficii, vel dignitatis, vel muneris Ecclesia-
„ stici particeps erit. „

Tit. XIX. De *divinis officiis* Cap. 15. p. 91. „ Ægrotantibus
„ tamen & vehementer debilitatis, Cœnam Domini flagitanti-
„ bus negari nolumus. Principibus etiam & honoratis personis,
„ quorum affluens in ædibus & copiosa multitudo, quibusque
„ non licet ipsis, occupatione publica distractis, in communi-
„ bus Ecclesiis versari, Cœnam dominicam domi percipere lice-
„ bit, & omnem ibi reliquam Sacrorum officiorum rationem
„ cum domestico Ministro pertractare. Proviso, quod hoc pri-
„ vilegium nullam communis Ecclesiæ Pastoris utilitatem im-
„ pediat. „

Tit. XX. De *Ecclesia & Ministris ejus*. Cap. 10. p. 98. Episcopi, quoniam inter ceteros Ecclesiæ ministros locum principem tenent, ideò sana doctrina, gravi auctoritate, atque provido consilio, debent inferiores ordines cleri, universumque populum Dei, regere ac pascere, non sane ut dominentur eorum fidei, sed ut se ipsos verè servos servorum Dei exhibeant, sciantque auctoritatem & jurisdictionem ecclesiasticam non alia de causa sibi præcipuè creditam esse, nisi ut suo ministerio & assiduitate homines quamplurimi Christo jungantur, quique jam Christi sunt, in eo crescant & ædificentur, atque, si nonnulli deficiant, ad pastorem Christum Dominum reducantur, & per salutarem pœnitentiam instaurentur.

Tit. XXIV. De *Visitationibus* Cap. 2. p. 125. „ In statis
„ hujusmodi congressibus hæc potissimum quærantur: An Sa-
„ cræ Scripturæ diligenter & sincerè pertractentur? an apta
„ sit & recta Sacramentorum administratio? deinde, Discipli-
„ plina Ecclesiarum qualis sit, & quantum habeat roboris? „
&c.

Tit. XXV. De *Testamentis* Cap. 7. p. 130. „ Porrò nec hæ-
„ reticis (a) testamentorum libertatem concedimus, nec his qui
„ mortis, vel exilii perpetui, vel sempiternorum vinculorum
„ sententiam acceperunt. „

Cap. 9. p. 131. „ Quum autem quicquam superstitiose potius
„ quam pie legatum fuerit, Episcopus auctoritatem suam inter-
„ ponat, ut legatum pias in causas distribuatur. „

Tit. XXVII. De *Suspensione* Cap. 9. p. 154. „ Qui verò
„ mortis sententiam acceperunt, si in carcere detenti Cœnæ
„ Domini participes esse non possunt, diligenter ab aliquo pio
„ viro instrui debent, Christum Sacramentis alligatum non esse,
„ sed ab illo sacramentorum auctoritatem & vim proficisci; qua-
„ propter ad illum si mentem sursum erigant, & in illius mor-
„ tem stabili ac immota fide dirigant, Christi carnem manduca-
„ verunt, & ejus sanguinem combiberunt. „

Tit. XXX. De *Excommunicatione* Cap. 2. p. 159. *Nominatim verò moderatores & ecclesiarum Duces, sunt, Archiepiscopi, Archidiaconi, Decani, denique quicunque sunt ab Ecclesia ad hoc munus adhibiti.*

Tit. XXXVI. De *Juramentis* &c. Cap. 1. p. 205. Quemadmodum Juramenta, quæ ad Dei gloriam, vel ad fratrum utilitatem aliquid afferunt, Christianis concessa sunt (modo suscipiantur in judicio justitia & veritate) sic illa jurandi levitas ex animis & sermonibus nostris exterminari debet, quæ familiaribus & quotidianis in colloquiis nostris volitat.

Cap. 11. p. 209. Qui summatim jurat, vel promittit statuta, vel consuetudines Ecclesiarum, Capitulorum, Universitatum, vel hujusmodi quorumcunque locorum, vel societatum, se conservaturum esse, non potest talis juramenti vel promissi auctoritate compelli, res ut iniquas suscipiat, aut eas quæ fieri non possunt: Nec enim jurantis vel promittentis animus, ullum honestum, ad talem perversitatem respectum habere potest. Quapropter in conclusionibus talium juramentorum & promissorum hoc adtexi placet:

(a) Estque notatu dignum quod c. 11. 12. 13. 14. itidem *Hæretici* excludantur ab omni testamentorum beneficio, quin imò, quod ipsis denegetur querela testamenti inofficiosi &c.

placet: *Hæc omnibus partibus servabo, quibus cum Sacra Scriptura, cum legibus civilibus, & Ecclesiasticis hujus Regni consentient, & quantum vires meæ patientur.*

§. CXXIV. Interea dum hæc aguntur, jam inde à principio Anni 1553. Rex EDUARDUS ancipiti prorsus laborare morbo, siquidem pectus destillationibus vitiatum haberet, ac ita affectum, ut omnia quæ hauriebat remedia illam fluxionem potius exacerbarent quam dissiparent, videreturque ea nullis juvari vel curari posse remediis, unde passim (a) jactabatur eum lento veneno fuisse infectum;

Id saltem certum est, eum, quum periculum vitæ jam persentisceret, nihil fere antiquius habuisse quam ut pauperum in se curam susciperet, atque iis sustentandis saluberrima agitaret consilia (b), deinceps ut dolorem suum testaretur animique sollicitudinem, quam ex eo conceperat, quod certò sibi persuaderet, Religionem Evangelicam, cujus mirifico in illa ætate flagrabat studio, ad vetera Sacra revocatum iri (c), ubi se mortuo Regnum ad Mariam Sororem suam devenisset.

Certè, quod circa pauperes curandos, Episcopi Londinensis Joh. Ridleji hortatu instigatus, atque ad sublevandam multorum inopiam, cum stipendia quædam publica iis tum adsignaverit, tum ædes publicas illis sustentandis destinaverit, constat ex annalibus; Nam &, cum illarum institutionum diplomatibus subscripsisset (quod undecimo ante obitum die præstitit) gratias egisse Deo solennes refertur (d), quod ad illud usque tempus ab eo servatus esset, ut adeò necessarium exsequeretur consilium:

De-

(a) BURNET. Tom. II. fol. 145. ed. Lat. qui tamen incertos fuisse rumores prodit, nulli probabili rationi innixos. conf. STRYPE Memorials Ecclesiastical Vol. II. fol. 429. qui & refert quam Cl. Haddonus eam latè sparsam calumniam refutaverit in Apologia Gentis Anglicanæ adv. Hieronymi Osorii calumniam &c.

(b) BURNET. l. c. fol. 146.

(c) BURNET. l. c. circa fin. fol. 146. conf. Rapin. THOYRAZ. Liv. XVI. p. 169.

(d) BURNET. l. c. pag. 146. qui testatur, Eduardum earum institutorem fuisse ædium, quæ totius Europæ celeberrimis æquiparari possunt, ex quo præsertim multis donationibus collocupletatæ fuerunt.

Deinceps, quod ad doloris illius teſtificationem, eam Northumbrius imperandi avidus è veſtigio in rem ſuam convertere, atque unà cum ſuis Regi ſuggerere (a), quò ad evitandam illud, quod certò ceteroquin immineret periculum, utramque Sororem, tam Eliſabetham quam Mariam, quarum ambiguum ſemper Jus fuerat, regno excluderet, iisque unam ſubſtitueret *Janam* GRAJAM, eximiam fœminam, religioni veræ addictiſſimam, ipſiusque Regis cognatam proximam, quæque non ita pridem Northumbrii Ducis Filio nupta erat, in quam præterea Mater ſua Ducis Suffolkii uxor, omne jus quod ipſa ex Teſtamento (b) Henrici VIII. Avunculi ſui habebat, cedere eſſet parata.

Neque ſanè in Rege ulla erat mora, qui ſe ſpecioſis Northumbrii rationibus (c) facilè patiebatur induci, utque ſuum adjiceret calculum, perſuaderi, adhibitis Judicibus publicis & Jure conſultis, qui tale Inſtrumentum conſcriberent. At verò illi, quum ſcirent, conſtitutum ab Henrico ſucceſſionis ordinem Parlamenti decretis eſſe ſubnixum firmatumque, idque adeò, „ ut „ Majeſtatis rei fuerint declarati, qui eum turbare, ſive vivo Eduardo, ſeu poſt ejus mortem, auderent, „ tergiverſabantur idcirco, quantum poterant, donec tandem atrocibus Northumbrii minis (d) compulſi, acceptis inſuper Regii Imperii & ſimul aboliti criminis iſtius tabulis, Inſtrumentum regni ex ultima voluntate Regis ad Janam Grajam deferendi confecerunt, cui in Procerum Regni Conſiſtorio lecto, omnes dein Conſiliarii d. XXI. Junii, clam populo (e), ne qua turbarum occaſio daretur, ſubſcripſerunt, niſi quod Cranmerus Archiepiſcopus aliquandiu quoque hæſitavit, nec niſi ab ipſo Rege ad cujus decumbentis colloquium is ad-

(a) Conf. THUAN. Hiſtoriar. Lib. XIII. fol. 437. 438. & Rapin. THOYRAZ. l. c. p. 69.

(b) BURNET. l. c.

(c) Rapin. THOYRAZ. p. 70. & THUAN. fol. 438. 439.

(d) BURNET. l. c. fol. 147. conf. Rapin. THOYRAZ. p. 70. qui refert eum tanto correptum furore fuiſſe, *qu'il fut ſur le point de les battre* &c.

(e) THUAN. Hiſtor. Lib. XIII. c. I. fol. 439.

admittebatur ad subsignandum (a) induci potuit, & quidem post longam satis disputationem, cum Rex urgeret, ac religionis periculum (b) ob oculos poneret.

§. CXXV. Paulo post, prid. nonas Julii mortem EDURDUS oppetiit, sortitus exitum facilem ac devotum, quippe cujus ultima erat oratio (c) „ ut Deus eum misera hac & corrupta vita „ liberare atque inter electos suos recipere vellet, resignato spi- „ ritu suo in manus divinas; Quanquam tamen, si Deo ita visum „ esset, se quoque in piorum gratiam aliquandiu adhuc vivere „ ac regnare velle, significaret, non tamen ut sua sed ut Domini „ voluntas fieret; „ Porrò „ ut Deus Papismum à regno Angli- „ cano prohibere velit, ac veram in eo religionem fovere ac stabi- „ lire &c. „ Ea oratio cum clausis oculi ab ipso facta sed tamen ab adstantibus quibusdam percepta fuisset, Rex primò quidem, quod se orantem audivissent, sine ulla tamen mentis diminutione, animo conturbari, sed subducta paulisper ratione, palam fateri, se Deum nunc jam de necessariis orasse; Cæterum ultimas mortis conflictationes sentiens Sidneyo equiti (d) in cujus erat complexu dixisse fertur: *Deliquium patior*, atque addidisse, *Domine miserere mei, & animam meam recipe*, sicque animam Deo tradidisse, cum annos natus esset XVI. atque septem patri superfuisset, jam in illa ætate (quod THUANI (e) est Elogium) magno virtutis specimine edito, constantia animi, amore recti, & studio literarum incredibili, quæ raro simul in regio fastigio concurrunt;

(a) Uti dubium quoque esse refert BURNETUS, num quà consiliarius, an verò tantum quà testis subscripserit l. c. conf. Rapin. THOYRAZ. l. c. pag. 70.

(b) THUAN. l. c. fol. 439.

(c) BURNET. l. c. fol. 148.

(d) BURNET. l. c.

(e) THUAN. l. c. fol. 439. Characterem ejus nobis reliquit BURNETUS l. c. fol. 148. 149. & quæ in ejus laudem à quam variis dicta sunt, recenset STRYPIUS in lib. cit. fol. 432—437.

(f) v. SLEIDAN. Histor. Lib. XXV. fol. 471. a.

Certè tantæ Regem expectationis (f), Europa, ſeculis nunc aliquot, nullum habuerat, qui inde à teneris annis optimè formatus & inſtitutus ad pietatem, atque literas, non Latinam modo, ſed Græcam & Gallicam quoque linguam calleret, & Evangelii doctirnam vehementer amaret & doctis omnibus hoſpitium daret atque patrocinium, Germanis, Italis, Gallis, Scotis, Hiſpanis, Polonis, ut fere cum ipſo Pietas ac Religio videri poſſent exſpiraſſe, quod vel ex maxima quæ ejus interitum ſecuta eſt rerum Angliæ commutatione colligere licet; quam tamen deſcribere longioris anhelitus opus eſſet, quodque proprium requireret Volumen.

F I N I S.



LEM-

LEMMATA PARAGRAPHORUM.

§. I. Waldenses *Veritatis testes reformationi cumprimis* Gallicanæ *viam parant. Ludovicus XII. Rex Galliæ adversus Julium II. P. R. primo conventum* Turonensem, *dein Concilium* Pisanum *convocat. Ejus Concilii Summa brevis.*

§. II. Lateranense *Pisano adversum Concilium à Leone X. celebratur, in quo definitur* Papam esse supra concilium. *Ludovico XII. succedit* Franciscus I. Navarrei *principes reformationi favent.* A. 1521.

§. III. *Concilium* Senonense *Parisiis habitum* A. 1521. *Sorbonistæ adversus* Lutherum *concludunt. Eorum auctoritas ac potestas.* Lutherus & Melanchton *se iis opponunt.* Ludov. Berquinus *Lutheri libros in Gallicum sermonem transfert, atque ipse Sorbonistarum immite experitur Judicium.* Lutheri *& aliorum libri per* Galliam *disperguntur. Mirifica quædam ex Sorbonistarum decreto adv. Melanchth. referuntur.*

A. 1523.

§. IV. *In* Lutherum *& ejus doctrinam multi singulari studio ferebantur in* Gallia. Arn. de Bornosio *Augustinianus ad retractationem multarum thesium cogitur.* Ludovica Aloysia Sabauda *Francisci Mater de Lutherana hæresi extirpanda consilium petit. de* Anemundo Cocto, *Delphinate, Evangelii Confessore.*

§. V. Meldenses *primi Evangelicæ doctrinæ in Gallia receptores.* Gul. Briconettus *Parisiensis, Episcopus Meldensis, Evangelio favet.* Jacobus Faber Stapulensis *& ejus discipuli* Meldensem *civitatem doctrina Evangelica replent. Non omnes tamen æque constantes erant. Adducitur* Varillasii *de Reformatione* Meldensi *testimonium.*

§. VI. *Persecutio Parisiensium in* Meldenses *incrementum Reformationis promovet.* Margaretæ Navarrenæ *in Reformatos favor.*

favor. Farelli *in Helvetiam secessus. De* Gerardo Rufo. Joh. Clerici *Meldensis Martyris apud Metenses constantia singularis.*

§. VII. *De* Amedæo Maigret *Concionatore Lugdunensi & Gratianopolitano. Adversus eum pronunciat Facultas Parisiensis.*

§. VIII. *Zwinglii ad Petrum* Sebevillam *Evangelii ministrum apud Gratianopolitanos Epistola hortatoria.*

§. IX. *Virorum quorundom clarissimorum qui inter Gallos Reformatores eminuerunt memorabilia referuntur.* de Lamberto Avenionensi, *ejusque migratione ex Papatu & fatis inter Evangelicos tam Helvetios quam Saxones & Argentoratenses.*

§. X. *Lambertus* Hassiæ *Reformationem promovet, ac Academiæ* Marburgensi *inservit, ibique moritur. Ejus Epitaphium.*

§. XI. *De Gul.* Farello, *Petro* Vireto & *Joh.* Calvino *tribus Galliæ Reformatoribus, & quidem speciatim de* Gul. Farello; *ejusque apud* Meldenses, Basileenses, Mompelgartenses, Burgundos, laboribus.

§. XII. Ej. ap. Metenses & Genevenses *labores* &c. *Ejus Scripta & mors.*

§. XIII. *Petrus* Viretus, Orbensis *in ditione* Bernensi *Reformator. Colloquium* Lausannense A. 1536. *inter Pontificios itemque Viretum & Farellum*; Viretus *adversus* Transsubstantiationem & realem corporis Christi præsentiam *in S. Cœna disputat. Ejus Epistola ad Monpelienses laudatur. Is* Lugdunensem, Arausionensem *& alias Galliæ ecclesias informat. Ejus mors.*

§. XIV. Vireti *Scripta & labores adversus Pontificios, Libertinos, aliosque, recensentur & quædam ex iis referuntur.*

§. XV. *Ejusdem Labores propter* Evangelii Doctrinam puriorem *laudantur.*

§. XVI. *De Joh.* Calvino *agitur. Ejusque & scripta breviter & in Reformationem Galliæ, Helvetiæ & Germaniæ merita referuntur.*

A. 1524.

§. XVII. *Jacobus* Pavanes *Martyr apud Parisienses. Ejus quædam Theses recensentur, unà cum censura Sorbonistarum condemnatoria.*

§. XVIII. Antonius *Dux Lotharingiæ* Lutheranos *persequitur: Ejus rei documentum est Historia* Wolfgangi Schuch, *Germani, Martyris apud Lotha-*

tharingos, *cujus articuli à Sorbonistis condemnati recensentur.* *Sorbonistæ varios Lutheranorum libros condemnant.*

§. XIX. Wolfg. Schuch *rapitur ad carcerem & ad ignis supplicium condemnatur. Vindicem Dei manum experiuntur persecutores.*

§. XX *Facies Ecclesiæ in* Gallia *ex Epistola* Farelli *ad Corn Scepperum.* Petrus Caroli *Ecclesiastes Parisiensis hæreseos accusatur & se defendit.* Ad *locum Genes. III:* 15. *inficeta Sorbonistarum censura.*

§. XXI. Anemundus Coctus, *Eques Gallus*, *vir genere & doctrina itemque pietate ac humanitate clarus laudatur*, & *ejus memoria ex scriptis* Spalatini & Zwinglii *refricatur.* Francisci Regis *pietas superstitiosa.*

A. 1525.

§. XXII. Franciscus I. *in prælio Ticinensi captus.* Antonii du Prat *Cancellarii in Evangelicos odium.* Clementis VII. *Papæ Literæ ad* Senatum Parisiensem *de extirpandis hæreticis.* Henricus VIII. *cum* Aloysa Francisci I. *Matre paciscitur de profligandis Lutheranis. Sorbonistarum furor in* Lud. Berquini, Des. Erasmi & M. Lutheri *libros itemque in* Fabrum Stapulensem.

A. 1526.

Franciscus & Cæsar *itidem de extirpanda Secta Lutherana transigunt. Hostes Evangelii omnium calamitatum causam rejiciunt in Evangelicos.* Nat. Beddæ *in* Fabrum Stap. & Erasmum *Invectiva. Rex adversus hæreticos instigatus, gravia in eos fert decreta.*

A. 1527.

§. XXIII. Antonii Pratensis *hostilitas in Evangelicos*; Is *concilium indicit* Senonense *adversus* Reformatos, *cujus Summa brevis describitur.* In eo *sententiam tulerunt de* decretis Ecclesiæ contradictoriis simul tamen veris. Lutherani Manichæis *comparantur. Hæretici convicti judicio* seculari *tradendi decernuntur*, *circa emendandos* mores *quædam definiuntur.*

A. 1528.

Concilii Bituricensis *à* Franc. Turnonio *indicti & celebrati adversus* Lutheranos *summa.*

§. XXIV. Dionysius de Reux *Martyr Meldensis*, *propterea quod* Missam diceret abnegationem Passionis & mortis Christi *condemnatus fuit.* de

Maturino Corderio, *gente Normanno*, Calvini *præceptore ac purioribus Sacris addicto agitur*. Steph. Machopolis *ex ordine mendicantium in agro Vivarienſi puriorem doctrinam promovet detectis fraudibus Papalibus. Ei ſuccedit* Steph. Reinerius *ob religionem exuſtus*, *&* Jonas *cujus fidei confeſſio laudatur.*

A. 1529.

De Ludovico Berquino *Nobili Gallo*, & *ejus martyrio*, *& quam is pro Lutherano venditari non poſſit:*

§. XXV. *Pax* Cameracenſis *Evangelio infeſta.*

A. 1530.

Petritius Fraccianus *literas ſcribit ad Argentoratenſes pro & de Evangelicis in Gallia quarum argumentum recenſetur.* Martini Buceri *Ep. ad Lutherum de diſſidio Proteſtantium Evangelii progreſſui inimico, recenſetur:*

§. XXVI. *Principes* Proteſtantes ad Galliæ & Angliæ Regem *Apologiam mittunt*, *ſtylo* Melanchthonis *conſcriptam*, *cujus ſumma exhibetur.*

A. 1531.

§. XXVII. Math. Reinoldus *eam ad Galliæ Regem defert*, *ac Regis Galliarum reſponſum affert*, *ſimul verò quam* Lutherani *multarum ineptiarum in aula Gallicana accuſarentur refert.*

A. 1532.

§. XXVIII. Aurelia, Toloſa & Avaricum *tres Galliæ civitates Academiis illuſtres purioris doctrinæ guſtu imbuuntur: opera cumprimis* Jo. Calvini, *qui in* Aurelianenſi *Academia literis operam navabat*, *&* Jul. Cæſ. Scaligeri, *qui apud Toloſates florebat. Sed &* Academia Bituricenſis *per* Jo. Calvinum Melch. Volmari diſcipulum *Evangelii guſtu tum imbuta fuit.* De Johanne Sturmio & Petro Ramo *utroque apud Pariſienſes docente quædam.*

§. XXIX. De Joh. Cadurco *Jureconſulto propter Evangelii doctrinam* apud Toloſates *combuſto*, *itemque de* Alex. Cano apud Lugdunenſes in Gallia *& ejus martyrio. Ejus de Sacramento* Euchariſtiæ *ſententia refertur.*

A. 1533.

§. XXX. Clemens VII. P. R. *cum* Franciſco *fœdus pangere*, *ſuamque neptem* Catharinam Mediceam Regis filio elocare, *quæ copula inſpectante Pontifice & Rege fuit conſummata.* Philippus *Haſſiæ pecuniam à Gallo*

Gallo petit sed à Concilio expetendo se non patitur abalienari.

§. XXXI. *De* Margareta Navarrena *Regis Sorore, ejusque in Evangelicos studio, porro, de* Sorbonistarum *in eam offenso animo & cum ea contentionibus.*

§. XXXII. Jo. Calvinus Nicolao Copo *Rectori Academiæ Parisiensis Orationem suggerit atque in vitæ periculum eapropter adducitur à* Sorbonistis, *intercessione tamen Reginæ* Navarrenæ *liberatur.* Sorbonistarum *actiones in Reginam injuriosæ, aliaque ejus generis recensentur, unà cum* Reginæ *in* Reformationem *meritis.*

A. 1534.

§. XXXIII. *In Urbe* Aurelianensi *funestus ac cruentus à monachis* Franciscanis *agitur casus, cui spectrorum fabula apud Pontificios frequens succenturiatur.*

§. XXXIV. *Multa in Papismum & adversus* Missam *hoc anno eduntur* Programmata, *quibus Pontificiorum animi exacerbantur, & asperitas persecutionum adaugetur. Satyræ* in Missam *affixæ argumentum.* Joh. Sturmii *ad Melanchthonem Epistola.*

§. XXXV. *Persecutionum immanitas in* Reformatos Parisienses *suscitatur. Libelli in* Missam *festivi brevis summa recensetur.*

A. 1535.

§. XXXVI. Franciscus *Rex publicam decernit* Supplicationem *in honorem* Missæ. *Linguæ martyribus excisæ ne laudare Deum possent. Varii in Gallia Martyres.*

§. XXXVII. Franciscus *ad Principes & Ordines Germaniæ itemque ad Principes* Protestantes *literas scribit &* Legationem *mittit, usus in ea Legatione, ministerio* Gul. Bellaji Domini de Langey.

§. XXXVIII. Franciscus *veritatem Evangelicam agnoscit sed eam tueri non poterat. Acta inter* Langæum & Protestantes *enarrantur.*

§. XXXIX. Joh. Calvinus *Institutionem Relig. Christianæ edit, ac* Francisco *Regi dedicat: Acta inter* Franciscum & Ph. Melanchthonem *literaria referuntur.*

§. XL. *Consilia agitantur* de Phil.Melanchtonis *itinere Gallico, interea dum Philippus articulos quosdam mittit ad Regem Galliæ* de ineunda concordia, *ad quos tamen respon-*

spondent Theologi Parisienses.

§. XLI. Antonius Pratensis *Cancellarius supremum obit diem, in cujus locum substituitur* Antonius de Burgo. *Persecutiones ingravescunt, unde* Helvetiorum ad Regem Galliæ *Literæ.*

A. 1536.

Regis *ad literas* Helvetiorum *responsum per* A. Monmorantium, *qui Regem instigabat ad persecutionem urgendam.*

A. 1537.

Jo. Calvini *tractatus* de fugienda idololatria *ad* Nicolaum Cheminum *laudatur.* Ejusdem de Papisticis Sacerdotiis *liber.*

A. 1538.

Paulus III. P. R. *Concilium* Mantuæ *celebrandum indicit. Conventus* Smalcaldicus *celebratur, unde Protestantes* de Concilio *scribunt ad* Franciscum *&* *ab eo responsum accipiunt, dum intereà persecutiones Gallicæ augescunt.* Biblia Anglica *Lutetiæ excudebantur sed invito Rege Galliæ.*

A. 1539.

Hier. Vindocinus *Martyr apud Aginnenses in Aquitania Galliæ. Andreæ* Berthelini *martyrium.*

§. XLII. *De reliquiis* Waldensium *&* *earum persecutione in Gallia agitur, atque ex* Thuano *quædam referuntur de* Barthol. Chassanæo *Jureconsulto ad moderationem circa hanc causam redacto.* Merindolensium *Confessio fidei. Ordines Protestantium pro* Waldensibus & Merindoliensibus *scribunt ad* Galliæ Regem.

§. XLIII. Stephanus Brunus *eximius Martyr igni adjudicatur, atque mortem pro Evangelio fortiter oppetit, itemque* Claudius Pictor, *cujus martyrium recensetur.*

A. 1541.

§. XLIV. Protestantium *literæ ad* Regem *missæ nihil proficiunt.*

A. 1542.

Rex *severius in Evangelicos animadvertere cœpit. Parlamentum* Jo. Calvini Institutionem Rel. Christianæ *damnavit*, Inquisitionis *forma Ecclesiæ ministris in Gallia præscribitur. De* Franc. Landro *&* *præscripta ipsi à Theologis Parisiensibus fidei formula. Illi* Calvinus *opponit antidotum.*

§. XLV. *Apud* Burdigalenses Aymondus à Via, *Vir integerrimus, ob fidei confessionem circa S. Cœnam, Purgatorium,*

animæ

animæ à corpore separationem, ecclesiam &c. martyrii mortem obit.

§. XLVI. Apud Metenses, *doctrina Evangelica indies magis accrescit.* Farelli *literæ ad* Metenses, *accedente dein ipso ejus adventu eam promovent.* Jo. & Casp. ab Huy *nobiles* Metenses *sua prædia concionatoribus ad Evangelizandum concedunt invito Episcopo Cardinale & Duce Lotharingiæ. Protestantes pro Evangelicis ad Ducem* Lotharingiæ *literas scribunt.*

A. 1543.

Deliberant Protestantes, *num etiam armis succurrere velint Metensibus, & num Metenses id cupientes in fœderis Smalcaldici societatem velint recipere, quod tamen votorum pluralitate abnuunt, mittunt tamen illuc legationem. Comes* Furstenbergius *singulari patrocinio fovet ac tuetur* Evangelicos *concionatores.* Carolus *autem* Boissot *Consiliarius Cæsareus eos persequitur, atque edictum Cæsareum adversus eos promulgat.*

§. XLVII. In Metenses *gravissima persecutio suscitatur non improbante* Rege Galliarum *per* Ducis Guisii *filium* Aumalium *in gratiam agnati Episcopi Metensis:*

§. XLVIII. *Inter ipsas tamen persecutiones numerus confessorum crescit.* Gul. Bellaji *mors.* Franc. Landrus *ut doctrinæ puriori renunciaret adigitur.* De Claudio Espencæo *quædam singularia.* Clementis Maroti & Theodori Bezæ *Psalmi in Gallicam Linguam translati Reformationi profuerunt, itemque* Jo. Calvini *liber de* Reliquiis sanctorum.

§. XLIX. *Concilium* Tridentinum à Paulo III. P. R. *indictum, cum probè sciret, illud celebrari non posse, siquidem Cæsar & Rex Galliæ belligerarent: Franciscus Rex & Protestantibus & Pontifici se commendare satagebat, animi levitatem & inconstantiam prodendo: De* Carolo *Francisci filio, Duce Aurelianensi, ejusque in Reformationem studio, Is cum ambiret Ducatum* Luxenburgensem, *se in eo* Reformationem *stabiliturum promittebat. Ejus mors biennio post.*

1544.

§. L. *Conventus* Melodunensis *Theologorum Parisiensium à Rege Galliarum indicitur ad consultandum de dogmatis fidei Christianæ necessariis in* Con-

Concilio Tridentino *proponendis.*

A. 1545.

§. LI. *Persecutio in* Waldenses & Merindolenses *recruduit, in quos* Johannis Minerii *furor cumprimis erat conspicuus, quod miserandis quibusdam exemplis explanatur,* Helvetii *ea de re ad Regem scribunt sed conatu irrito.*

A. 1546.

§. LII. *In* Meldensem *ecclesiolam nova exorta tempestas. De* Petro Clerico *apud* Meldenses *V. D. Ministro, & quomodo conciones in ædibus* Stephani Mangini *habitæ, fuerint turbatæ,* atque *auditores unà cum Ministris inde fuerint deducti, atque deinceps supplicio traditi, refertur.*

A. 1547.

§. LIII. Franciscus Rex *moritur, cum paucis diebus ante* Smalcaldicis *Principibus subsidiariam misisset pecuniam, atque de* Reformatione *multa esset pollicitus. Orationem funebrem habuit* Petrus Castellanus, *cujus Oratio suspecta fuit Sorbonistis, quibus tamen, cum hi de Regis anima quæstionem moverent, scitè respondit* Johannes Mendoza *regiorum dispensatorum princeps.*

* *
*

SECTIONIS III.
CAPITIS II.

§. LIV. R*Eformationis* Anglicanæ primordia *eruuntur atque deducuntur à temporibus & doctrina* Joh. Wiclefi. Ejus *doctrinæ primariæ sedi Pontificiæ adversæ recensentur. Ejus zelus in adornandis* lingva vernacula Bibliis *laudatur. De ejus asseclis, dictis* Lollardis, *& in eos suscitatis persecutionibus quædam referuntur.*

§. LV. Lollardorum *quædam dogmata pro hæreticis habita & condemnata recensentur.* Elisabetha Sampsonia de Aldermanbury *sententiam puriorem de* sacramento Eucharistiæ *retrac-*

tractare debut A. 1509 *ad quod* & 1512 *alii quidam coacti sunt.* *Librorum* Lutheri & *aliorum in* Angliam *transportatio prima semina reformationis* Anglorum *mentibus injecerunt.* Longlandi *Lincolniæ Episcopi severitas erga hæreticos ita dictos.*

§. LVI. Henricus VIII. *Papalis doctrinæ assertor, primò, quò minus* Reformatio *progredi posset impediebat. Cum eo faciebat* Th. Volsejus Cardinalis, *cujus ad sufflaminandam* Reformationem *consilia commemorantur, licet etiam de* Reformationis necessitate *persuasus esset.* Rich. Foxi Ep. Wintoniensis *de Reformationis Cleri Anglicani necessitate Epistola.*

A. 1521.

Th. Volseji *mandatum de Libris Lutheri extradendis. Henrici VIII. Literæ* ad Ludovicum Palatinum *de expellendo* Luthero. *Ejusdem Liber adversus* Lutherum ad Leonem X. *qui titulum* defensoris fidei *Regi conciliavit, atque ut* Hadrianus *Leonis successor ipsi* Rosam auream *mitteret.* Lutheri adv. Henricum Responsum *acerbius exasperat Regis animum.*

A. 1523.

Rex ad Fridericum, Johannem, & Georgium *Principes Saxoniæ Literas scribit adversus* Lutherum & *vario modo* Lutheranos *persequitur, unde* Clemens VII. P. R. *bullam ei mittit confirmatoriam circa titulum* Defensoris fidei. Cutb. Tonstallus Erasmum *adversus Lutherum instigat, cujus de* Libero arbitrio *liber commemoratur.*

§. LVII. De Johanne Frytho, *Confessore & Martyre ejusque scriptis & doctrina. De Sacramentis ipsi contentio est cum* Thoma Moro, *qui adversus ipsum calamum stringit.* Frythi *peculiaris moderatio circa dissensum de modo præsentiæ Christi in sacra cœna. Idem* Frythus de Purgatorio *cum* Fischero, Moro, & Rastallo *disputavit, ac demum martyrii coronam recepit.*

§. LVIII. *De* Gulielmo Tyndallo, *dicto Anglorum Apostolo ac Reformatore. Ejus* Versio Novi Testamenti & *reliqua ejus scripta, cumprimis de* Christiana obedientia *tractatus, laudantur. Ejus Mors.*

§. LIX. Antonii Wood *relatio de primordiis Reformationis Anglicanæ inseritur.*

A. 1525.

§. LX. Henricus VIII. Lutheri *sectæ infensissimus cum* Aloysa Francisci Matre *fœdus pangit de extirpanda pestifera Lutheri secta.* Lutherus *ad* Henricum *submisse scribit sed conatu irrito.* Jo. Randallus *in Academia Cantabrigiensi studiosus in museo suo suspensus inveniebatur, non sine suspicione commissi in ipsum à Pontificiis homicidii. Adversus* Tyndalli versionem *prodiit interdictum, de* Thomæ Bilneyi *&* Thomæ Arthuri *imbecillitate in retractando, quam dein tamen Bilneyus constanti usque ad mortem confessione compensavit.*

§. LXI. *De* Henrico VIII. Rege. Is *admodum Juvenis, viduam fratris Catharinam in matrimonium accipit, dispensante Julio II. P. R. Ea severioris indolis ab ipso despicitur, isque eam dimittere tentat.* Warhami *Archiep. sententia de Matrimonio illo illegitimo, cui accedunt Episcopi Angliæ omnes, excepto* Jo. Fischero Ep. Roffensi. Clemens VIII. P. R. *modo dimissionem pollicetur, modo tergiversatur. De* Anna Bolenia, *Regisque in eam amore,* Campegius *Cardinalis ad Regem mittitur. Actio coram Legatis Pontificiis instituitur, Legati Pontificii moras nectunt.*

§. LXII. *Papa Legatos & omnem causam ad se evocat, invito Rege, qui & prolationis & evocationis causam in* Volsejum Cardinalem *conjicit.* Volsejus *ex animi ægritudine morbum contrahit & decedit.*

§. LXIII. *De* Thoma Crannmero, *Regisque in eum favore. Is auctor est, ut Rex matrimonii causam ad varias* Europæ Academias *referat, cui Rex assentitur.* Rich. Crooke *Ling. Græcæ cultor ab Henrico VIII. in* Italiam *mittitur, ut* Italorum *sententias pro* Henrici divortio *colligeret. Protestantium in hac causa sinceritas laudatur.*

§. LXIV. *Rex Theologorum sententias cum Parlamento communicat, Clerus Anglicanus matrimonium illegitimum declarat,* Synodus Cantuariensis *Henricum Ecclesiæ* Anglicanæ caput *renunciat, in quem titulum universa deinde consentit natio.* Clemens VII. *se Henrico & Anglis opponit, atque* matrimonium *pronunciat plane* legitimum *nec unquam dissolvendum.* Henricus Catharinam *repudiat &* Annam Boleniam

leniam *uxorem ducit.* Cranmerus *ad Archiepiscopatum evectus.* Elisabetha *nascitur.*

§. LXV. Henricus VIII. *licet à Papa alienus, papisticam tamen fovebat doctrinam.* Reformatio Anglicana *lente procedit, primam facem efferentibus* Frytho, Tyndallo &c. *deinceps accedentibus* Cranmero, Cromwello etsim.

A. 1526.

§. LXVI. *De* Tyndalli *editione N. T. & Pentateuchi Mosaici.* Gul. Warhami *mandatum adversus illam versionem.* Cutberti Tonstalli *adversus eandem conamina.* Tyndalli *scripta probibentur.* Th. Morus *adversus Tyndallum scribere volens, veniam à Tonstallo impetrat legendi scripta Tyndalli.* Morus *Regem excitat, ut leges contra hæreticos exsecutioni det.*

A. 1527.

§. LXVII. *De Martyrio* Patricii Hamiltonii *in* Scotia. *Nobilis ille Juvenis in Marburgensem recens erectam Academiam secedens in veritate Evangelica confirmatus in Patriam rediens igni adjudicatus est.* Alex. Cambelli mors notabilis. *Theses propter quas* Patricius *morti fuit addictus. Eodem tempore Londini* Rich. Forster *theses quasdam Lutheranismi suspectas abjurare debuit.*

A. 1528.

§. LXVIII. *Persecutionum tempestas ingravescebat, &* Martyrum Angliæ *numerus accrescebat. Varia Episcoporum adversus* Reformationem *molimina.*

A. 1529.

Tonstalli *conamina ad supprimendam Translationem N. T. Tyndallianam. Convocatur Clerus provinciæ* Cantuariensis *& de variis rebus reformandis deliberat. Simul verò adv.* hæreticos *decernit & adversus* N. T. Tyndallianum.

A. 1530.

De Mediis præveniendi contagionem hæreseos admonitionem conscribunt G. Warhamus, Th. Morus & Cutb. Tonstallus, *ac in ea docent,* Versionem Scripturæ S. vernaculam *minime esse necessariam.*

§. LXIX. *Prima* Henrici *Regis adversus Papam edicta.* Wolsejus *moritur. Varia de clericis proponuntur gravamina, & clericorum vis frangitur. Rex* Ecclesiæ Anglicanæ Protector & supremum caput *declaratur.*

§. LXX. *Editur Liber sub titu-*

 lo,

lo, Supplicatio Pauperum five Mendicantium, *cujus argumentum breviter recenfetur. Ei libello* Thomas Morus *opponit alterum: fub titulo.* Supplicatio animarum in Purgatorio detentarum, *ad quem libellum* Frythus *refpondet, edito tractatu,* de Purgatorio. Thomas Hittonius *ad ignem condemnatur.*

A. 1531.

§. LXXI. Catharina *Regina repudiatur.* Lutheranismus *progreffum facit in Anglia, interea, dum multi martyrio mortis veritatem confirmant, inter quos erat* Th. Bilneyus, Rich. Byfield, Joh. Tewksbury, *aliique. De* Joh. Scoto, *qui fine cibo ac potu multos transegiffe dies refertur, memorabilia quædam. Ad Apologiam Principum Proteftantium refcribit Henricus Rex.*

A. 1532.

§. LXXII. Annatæ *apud Anglos abrogandæ decernuntur. De Annatis quædam referuntur itemque de* denario Petri.

§. LXXIII. *Neque tamen à fide pontificia fe recedere, Rex videri voluit, Evangelicos graviffimè perfequendo, quando Johannes* Bainham *martyrii mortem fubiit, &* Gul. Thracius, Armiger, *mortuus exhumatus eft, quod* animam non commendaffet *fanctis* fed *Deo.* Tho. Harding *quoque ignis fupplicio fuit addictus. Apud* Scotos *tum quoque fævitum eft in* Lutheranos, *ita ut* Alex Alefius *fe in Germaniam recipere debuerit.*

§. LXXIV. Thomas Norfolkiæ Dux *Evangelici inimicus, itemque* Steph. Gardinerus *Epifcopus. Vintonienfis &* Jo. Longlandus *Lincolnienfis.* Anna Bolenia *Regina facta Evangelicis favet.* Cranmerus *Archiepifcopus Reformationi ftudet.* Cromwellus *Cancellarius in* Thomæ Mori *locum electus Evangelicorum patronus.*

A. 1533.

§. LXXV. *Is annus Pontifici Romano fatalis fuit. Abrogabantur* Annatæ: *Ne quis ullam cum Pontifice rem haberet, interdicebatur. Poteftas omnis Pontificia & auctoritas fubruebatur.* Cranmerus *quidem adhuc pro* Archiepifcopatu *bullas fibi Româ expetebat, fed eæ fuerunt bullæ papales ultimæ, fiquidem abinde planè conciderit auctoritas pontificia.* Oxonienfes, Cantabrigienfes, Archiepifcopus Cantuarienfis & Eboracenfis, Epifcopi,

Lon-

Londinensis, Wigorniensis *& alii, in eam rem consentiebant*, *exeptò* Jo. Fischero *Episcopo Roffensi, qui capite dein plexus est*.

A. 1534.

§. LXXVI. *Varii Tractatus variaque scripta pro* suprematu Regis *& adversus auctoritatem Papæ edita; Inter ea eminent* Regis Liber, *porrò* Eduardi Foxi Episcopi Herefordiensis *tractatus*, *& Liber anonymus*, *sub titulo* Institutio hominis Christiani. *Porrò*, *tractatus* Gardineri de vera Obedientia, Stockeslæi Londinensis & Tonstalli Dunelmensis Episcopi, *Epistola pro defensione causæ Regiæ: Et denique*, Richardi Sampsonis *Oratio*, *adversus quam Reginaldus Polus strinxit calamum*, *edendo Opus per* Unitatis Ecclesiasticæ defensione. *Est tum quoque* de hæreticis *ita dictis lata lex satis severa*.

§. LXXVII. *De* Elisabetha Bartonia, *puella Cantiensi &c. ejusque Visionibus fictitiis fabula enarratur*.

§. LXXVIII. *Rex pœnam capitis decernit in eos qui Pontifici supremam potestatem adscriberent; Se verò ipsum in præfatione* Bibliis Latinis *præmissa* vice-Deum *appellat*, *& cusis nummis suam tuetur dignitatem*. Tho. Cromwellus *Regis Vicarius Generalis constituitur in rebus Ecclesiaticis*.

§. LXXIX. *In Regno* Scotiæ *acriter in* Lutheranos *est inquisitum*. Henricus *Regi Scotiæ libellos mittit*, *ut eum à Papa abstrabat sed irrito conatu*, *Jacobus enim V. Rex Scotiæ Papæ adhærebat firmiter*. *In* Anglia *quidem disciplina*, *non tamen* doctrina *mutabatur*, *&* Lutherani *ac* Zwingliani *condemnantur*. Jo. Fischerus & Tho. Morus *capite plexi*.

§. LXXX. *De* Conciliis *deliberat* Henricus *Rex cum suis*, *&* Legationem *mittit ad Principes* Protestantes. Eduardi Foxi *Oratio ad Principes & eorum Responsum recensentur*.

A. 1535.

§. LXXXI. *De* Rob. Barnesio, *ejus vita*, *scriptis*, *legatione in Germaniam & morte*. Philippus Melanchthon *in Angliam invitatur*. Melanchton *commentarium in Ep.* ad Romanos *Regi mittit*. *Rex ei respondet eumque dono* 200 *aureorum misso in Angliam invitat*. *De ejus itinere deliberatur*, *Prin-*

Principes Prot. iterum ad Regem ſcribunt.

A. 1536.

Joh. Æpinus *Hamburgenſium Eccleſiaſtes in Angliam mittitur.*

§. LXXXII. *Rex Cœnobiorum* Monachalium Viſitationem *mandat, cujus viſitationis primaria capita recenſentur.*

§. LXXXIII. *Res omnis ad* Cromwellum Viſitatorem Generalem *refertur, unde nefanda Monachorum impietas & profanitas patefiunt. Monachorum clauſtra delentur ac una lege* 376 *ſupprimuntur minores Abbatiæ.*

§. LXXXIV. *Synodus* Londinenſis *de* Bibliorum Verſione Anglica *agit, ubi potior ac melior pars pro adornanda verſione concludit, cui* Anna Bolenia Regina Angliæ *favet, & Rex adſtipulatur.*

§. LXXXV. Catharina Arragonia *moritur.* Anna Bolenia *favore Regis excidit.* Johanna Seymouria *Regis animum occupat.* Bolenia *capite plexa, &* Seymouria *ei in uxorem ducitur.*

§. LXXXVI. *Perſecutio in privatos quosdam confeſſores.* Paulus III. P. R. *tentat reconciliationem cum Henrico, ſed fruſtra. Rex denuò Pontificiam omnem poteſtatem abrogat. Inter Epiſcopos* Angliæ *quidam pro, alii contra,* Reformationem *erant.* Cromwelli *propoſitio in Conventu Eccleſiaſtico.* Aleſius Scotus *pro Sacramentorum numero binario decertat.* Anglorum *veluti* Interim *certis abſolvitur articulis.*

A. 1536.

§. LXXXVII. *De* Concilio Mantuam *indicto Regis & Procerum populi* Anglicani *declaratio. Principes Proteſtantes de Concilio ad Henricum ſcribunt.*

§. LXXXVIII. Reginaldus Polus *adv.* Henricum *Opus edit* pro Unitate Eccleſiaſtica &c. *ex quo excerpta quædam referuntur. Is in* Lutheranismi *ſuſpicionem aliquando devenit, quam eluere hoc opere tentabat. Rex irarum plenus* Tonſtallo & Stockeslæo *ut adverſus* Polum *ſcriberent, imperat, ipſumque* Polum *perduellionis reum declarat.* Starkii *Epiſcopi Durhamenſis Epiſtola ad Polum data laudatur.*

A. 1537.

§. LXXXIX. Cromwelli *Mandata Eccleſiaſtica, non conſultis Eccleſiaſticis vel Epiſcopis, publicantur, tanquam* primum Statutum *ſupremæ Auctoritatis Regis: Eorum argumentum recen-*

censetur, *Pontificiis admodum inimicum. Monachi* rebellionem adversus Regem *excitant*, *quæ brevi tamen post*, *dum seditiosis quædam præscriberentur conditiones*, *est composita. Rex* Visitationem Abbatiarum, *quam superiori anno susceperat*, *perficiendam curat*, *dum* Abbatiæ *innumeræ in Regis manus fuerunt resignatæ*, *quæ resignationes varias nequitias monachales detegunt.* Eduardi *Principis Nativitas & Reginæ* Janæ Seymouriæ *mors. In* Scotia *quædam* Reformationis *tentamina.*

A. 1538.

Varia imposturarum Monachalium exempla detecta. Thomæ Becqueti *reliquiæ partim spoliatæ partim confractæ*, *& ipse ex Sanctorum fastis in Anglia deletus est.*

§. XC. Pauli III. *excommunicationis fulmen in* Henricum *Regem jam triennio ante paratum publicabatur.* Reg Polus *varia in regem edere scripta satyrica.* Henricus *&* Papæ *&* Polo *suam opponere Declarationem*, *qua Papam* Tyrannum *appellat*, Usurpatorem & Regni Christi eversorem. *Versio Bibliorum Anglica prodit nutu Regis*, *qui & mandatum addit*, *quo ejus Lectionem unicuivis permittit*, *eumque in finem*, *ut in templis collocentur exemplaria*, *mandat.*

§. XCI. Steph. Gardineri *infesta in* Reformatos *consilia.* Joh. Nicholson *vulgo* Lambertus, *Martyr pro Reformatorum circa Eucharistiam sententia. Is disputat cum Rege itemque cum* Cranmero, Gardinero, Tonstallo & Stockeslæo, *tandem verò ad ignis supplicium condemnatur.*

§. XCII. *Ea res Pontificiis stimulum addit ad collaudandum* Henricum, *qui*, *ea versutia captus*, *sibi applaudit &* hæreticos *persequitur.* Protestantes Principes *Legationem ad Regem mittunt*, *nec quicquam proficiunt*, *& subdolè tractantur.*

A. 1539.

§. XCIII. Henrici VIII. *animus à* Protestantibus *alienus*, sex *famosos condi curat* Articulos, *quibus Reformationis negotium sufflaminabatur*; *Illis sed incassum se opponit*, Cranmerus, *facilè in vitæ periculum adductus*, *nisi* Cromwelli *ope servatus esset. Rex tamen etiam hoc anno privatum* Bibliorum vernaculorum *usum unicuivis permittit.*

§. XCIV. *In* Scotia *complures Lutheranismi suspecti exilio damnantur, alii recantant.* Ge. Buchananus, Scotus *in Galliam contendit.* Russelius *&* Kennedy, Scoti, *Martyres.*

A. 1540.

§. XCV. Anna Cliviaca Henrico *commendatur, quam & ducit uxorem & repudiat.* Cromwellus *ejus causæ culpam luens, in* odium Regis *incurrit, ac brevi post* propter hæresin, *aliaque ipsi impacta crimina capite truncatur.* Catharina Houwartha, *quinta Regis uxor, Annæ Cliviacæ successit.*

§. XCVI. Cranmerus & Gardinerus *communi consilio librum edunt sub tit.* Institutio hominis Christiani.

§. XCVII. Barnesius Martyr *præclara edita Confessione, nec auditus nec defensus, ad ignem condemnatur, accedentibus aliis quibusdam, qui, vel hæreseos accusarentur, vel quod Regem supremum* Ecclesiæ caput *agnoscere renuerent.* Regis *character.*

§. XCVIII. Rex de sex articulis *& eorum rigore quædam remittit.* Cranmeri *consilium de constituendis* Ling. Hebr. & Græcæ Professoribus *impeditur.*

§. XCIX. Edm. Bonnerus *Ep. Londinensis infestum erga* Reformatos *fovet ac prodit animum.* Rich. Mekins, *Martyr. de* Lectione Bibliorum vernaculorum *in Ecclesiis Londinensibus constitutio* Bonneri. *Ea lectio cum faceret ad promovendam reformationem dein restricta fuit.*

§. C. *De rebus* Scoticis. Jacobus V. Rex Mariam Guisiam *ducit uxorem. Inter Nobiles* Scotos *ultra* 300 *Reformationi favebant, atque Abbatiarum abolitionem suadebant.* Clericorum Scotiæ *ignorantia.* Foresti Scoti *Canonici Regularis imperitia. De* Johanne Borthwyko *Equite Scoto, Confessore ejusque Confessione Apologetica.*

A. 1541.

§. CI. *Henricus* Houwartham *reginam, cum maximopere adamaret, adulterii aliarumque impuritatum ream, capitali subjicit supplicio.* Cranmerus *singulari providentia divina periculo eximitur.* De Versione Bibliorum Anglica *lites excitantur, quas componit* Cranmerus.

A. 1542.

Gardineri *adv.* Jo. Checkum *& ejus* de pronunciatione linguæ Græcæ *sententiam edictum.*

§. CII.

§. CII. Bonnerus *quædam edit Mandata ecclesiastica, quæ recensentur.*

§. CIII. Bellum Scoticum *cum* Anglis Reformationi Scoticæ *fuit proficuum.* Jac. Hamilton *Scotiæ Pro Rex, minimè fidus Evangelii assecla. De* Novi Testamenti lectoribus *apud* Scotos *pœnæ sumuntur.*

A. 1543.

§. CIV. *Duo statuta in* Anglia *conduntur circà Religionem; prius erat, de stabilienda vera & abroganda falsa religione, posterius, ad confirmandam prioris clausulam spectat. De* Rhytmis *& ludis libellisque scenicis, quibus reformationis negotium tum promovebatur. Ad Regis arbitrium tota componebatur religio. Persecutio contra* Windsorienses *exorta.* Cath. Parria *sexta Henrici uxor Reformationi favet.* Cranmerus *in periculum vitæ adducitur propter doctrinam, sed inde liberatur operâ Regis.*

A. 1544.

§. CV. Cranmerus *Juris Pontificii emendationem molitur. Ejusdem ad Regem literæ de abolendis quibusdam superstitionibus.* Th. Audlæus *Cancellarius moritur, in ejus locum succedit* Th. Wriothesley *Pontificiis addictus. Rex in Galliam proficiscens* Somersethensem ducem, Seymouriæ *fratrem, constituit* Regni Vicarium. *Nova ad Regem Legatio* Protestantium Germanorum. *Preces & Liturgiæ publicæ in vernaculam transferuntur mandante Rege.* Cranmerus *amicos quosdam ad Episcopatus evehit.*

A. 1545.

§. CVI. In Scotia *martyrio coronatur instinctu Cardinalis Betonii,* Georgius Guichard *sive* Wishart, *dictus Buchanano* Sophocardius.

§. CVII. *Ejus* Martyrii *historia panditur.*

§. CVIII. *De Cardinale tollendo propter immanem ejus sævitiam quidam consilia capiunt:* Normanus Leslius *cum suis, Cardinalem interficiunt, cæde notabili.*

A. 1546.

§. CIX. *Capitula & Fraternitates in Anglia sustolluntur.* Regis Oratio *memorabilis ad utramvis Domum. Pax inter Anglum & Gallum. Nova de ineunda* reformatione *consilia proferuntur ac sufflaminantur. Nic.* Shaxtonus *Episcopus Sarisburiensis incarceratur propter sex articulos, retractat sen-*

tentiam, *atque Reformatos persequitur.*

§. CX. Præsentia corporis Christi *in S. Cœna à quamplurimis negata novam suscitat persecutionem.* Annæ Askewæ, *Nobilis fœminæ Inquisitionis & Martyrii historia latè panditur.*

§. CXI. Annæ Askewæ *de* S. Cœna *sententia. Ejusdem narratio de captivitate propria. Illa* martyrii *coronam accipit, una cum Nic.* Beleniano *Sacerdote Salopiensi, Joh.* Adamo *vestiario & Jo.* Lacello, *Viro Nobili.*

§. CXII. Th. Cranmerus *denuò in periculum adducitur, sed annuente Rege atque ejus causam in se suscipiente, inde liberatur.*

§. LXIII. Cath. Parria, *Regina, accusatur hæreseos, sed mirabili providentia divina servatur.* Gardinerus *sub ultimis Henrici temporibus, aulâ ejicitur. Dux* Norfolkius *captivus detinetur.*

A. 1547.

Comes Surrey Norfolkii *filius capite plexus.* Rex *diem obit supremum.*

§. CXIV. Eduardus VI. *in Henrici locum succedit sub tutela avunculi*, Eduardi Ducis Somersethensis, *Angliæ & Regis Protectoris.* Reformatio *promota per* Cranmerum, *cui id in mandatis dederat Rex.* Protector *æmulis palmam præripit. Hoc anno jam* sex articuli famosi *abrogantur, variaque alia* Reformationi *proficua constituuntur, licet obsisterent* Gardinerus *&* Bonnerus. *Ad* Mariam *Regis sororem literæ Protectoris.*

§. CXV. *Viri docti qui* Reformationem Anglicanam *promoverunt, recensentur. Petrus* Martyr. *Bern.* Ochinus, *Joh.* à Lasco, *Martinus* Bucerus, *Paulus* Fagius, *Franc.* Dryander, *Jo.* Utenhovius, *Valer.* Pollanus, *Martinus* Micronius, *& alii.*

§. CXVI. *De Petro* Martyre *speciatim, & ejus in* Reformationem Ecclesiæ Anglicanæ *meritis. Ejus commentarius in Ep. ad Corinthios laudatur. Ej. Disputatio de* Eucharistiæ sacramento *cum Pontificiis habita. Is in conscribendis* Legibus Ecclesiasticis Anglicanis *operam quoque navavit.* De *Bern.* Ochino *& ejus adversus Pontificem Rom. Dialogis* &c.

§. CXVII. Buceri *in* Liturgia Anglicanæ Ecclesiæ *emendanda*

danda labor. P. Fagius *cum* Bucero *Bibliorum expositionem brevem suscipiunt*, *sed inopina morte impediuntur*. *De Joh.* à Lasco *in puriorem de* S. Cœna *sententiam studio*, *itemque de* Cranmeri *&* Ridleyi *circà eandem cum variatione tum conversione*.

A. 1548.

§. CXVIII. Confessio *privata abrogatur*. Liturgia S. Cœnæ, *atque aliæ corriguntur & nova quædam introducitur*, *quam tamen* Maria *princeps admittere nolebat*. Calvini *ad Protectorem Literæ hortatoriæ*, *ad perficiendam ulterius* Reformationem. *Lingua Latina in sacris rejecta*. *Festi dies imminuti*. *Publica Jejunia instituta*.

1549.

§. CXIX. *Ecclesiasticis permittitur* matrimonium. *Inter* Eduardum *&* Thomam Seymourios, *fratres discordia*. Thomas *Reginam Cath. Parriam ducit uxorem*, *quæ moritur*. *Is ambit* Elisabetham *Regis Sororem*, *sed frustra*. *In carcerem*, *quod in Regem quid moliri videretur*, *conjicitur*, *ac capitis supplicium subit*. *Varii in Anglia tumultus à rusticis sucitati sopiuntur*.

A. 1550.

§. CXX. Reformationis *progressus*. Ordinationum & Inaugurationum *cerimoniæ immutantur*. Ridlejus *ad Episcopatum Londinensem evehitur*. Hug. Latimeri *pietas*. Jo. Hooperi *Episcopi Glocestriensis lites de vestibus Pontificalibus abrogandis*.

A. 1551.

Liturgia nova *resumitur ac emendatur*. Buceri *in ea re studium*. *Ejus de* Regno Christi *tractatus laudatur*.

§. CXXI. Visitatio Ecclesiastica *diœceseos Londinensis instituitur opera* Ridleji *Episcopi*; Superstitiosi ritus *multi abolentur*. Bucerus & Fagius *fato funguntur*. Cranmerus & & Ridlejus *Confessionem fidei adornant*. *Sex Concionatores Aulici eliguntur*. Maria Princeps *Papismo inhæret*. Elisabetha autem *purioribus sacris innutritur*, *operâ* Mathæi Parkeri.

A. 1552.

§. CXXII. Eduardi Somersethensis *Protectoris fata infelicia & mors*. *Ejus character*. Dudlejus, Varvici Comes *abinde administrat omnia*, *& ipse Reformationi favens*. *Varia ad Reformationem spectantia definiun-*

niuntur. Variationes in Reformatione, *Reformatoribus cum ratione nequeunt exprobrari*.

A. 1553.

§. CXXIII. Eduardus *Rex* Juris Canonici *emendationem urget*, *eamque rem committit Viris doctis*, *inter quos* Cranmerus, Haddonus, Cheekus & *alii*, *qui* in LI. Articulos *totum opus redigunt*.

§. CXXIV. *Excerpta ex hoc opere quam plurima recensentur*. De religione Christiana. De duabus Christi naturis. De Scriptura S. de Ubiquitistis. De Animæ immortalitate. De Transsubstantiatione. De Prædestinatione. De Hæreticis. De concionatoribus. De matrimonio. De beneficiis ecclesf. De Episcopis. De Visitationibus ecclesiasticis. De Juramentis et sim.

§. CXXV. Regis Eduardi *Morbus enarratur*. *Ejus Cura circa successionem & cumprimis circa pauperes laudatur*. Jana Graja *constituitur Hæres*, *ipsique in Regno Successio adsignatur*, *publico Parlamenti edicto*.

§. CXXVI. Eduardi *Mors pia & in Deum devotio singularis*. *Ejus elogium*.

* * *
* *
*

MONU-

MONUMENTA ANTIQUITATIS
AD ILLUSTRANDAM
HISTORIAM REFORMATIONIS
ECCLESIASTICAM
FACIENTIA

Partim hinc inde ex impressis documentis ratioribus

partim ex Mss. eruta.

TOM. IV.

Num. I.

Articuli propoſiti, deliberati & concluſi in *Concilio Eccleſiæ Gallicanæ* congregato

Menſe Sept. anno Domini MDX. in civitate *Turonenſi* auctoritate Chriſtianiſſimi Regis
D. LUDOVICI XII.

QUum ad ea quæ pag. 2. hujus Voluminis obſervata ſunt, addendum fere ſit nihil, niſi quod utrumque illorum articulorum exemplar, tam illud, quod Illuſtris PUTEANUS, ſuæ inſeruit collectioni ſcriptorum de *Libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ*, quodque ante eum jam publicaverat Jo. TILIUS, Curiæ Pariſienſis Actuarius, in ejus Memoriis *ſur les libertez de l' Egliſe Gallicane* pag. 167. 168. quam illud, quod Doctiſſ. KAPPIUS edidit ex Mſſ. in Spicilegio ad Hiſtor. Reform. P. IV. p. 490. ſeq. hic exhibere voluimus, propter ſingularem rei memoriam, inprimis, cum veroſimile ſit, in gratiam aulæ Romanæ permulta in prioribus editionibus atque etiam in *Collectionibus conciliorum* fuiſſe omiſſa & ſummatim potius expreſſa, quæ in exemplari Kappii Mſſ. plenius leguntur, ac ſine ulla caſtratione.

Id unicum notare tantùm velut in tranſcurſu voluimus, Cl. LOESCHERUM in Documentis ad Hiſtor. Reform. Tom. I. p. 93. jure merito exoptaſſe, ut Acta, cum hujus, tum Concilii Lugdunenſis atque Piſani ederentur; Sed, Cl. tamen KAPPIUM in eo humani quid eſſe paſſum, quod lib. cit. p. 471. dicit Cl. INFANTIUM huic voto atque deſiderio, quantum ad Concilium adtinet Piſanum, ſatisfeciſſe, ejus Hiſtoriam edendo; Neque enim illud, de quo Infantius commentatus eſt, concilium Piſanum, eſt idem, cum eo, quod intendebat Loeſcherus, quippe quod per integrum ſeculum hoc poſterius antevertit, quippe cum Prius illud ab Infantio illuſtratum, A. 1409. Poſterius hoc, A. 1511. ſit celebratum. Και ταυτα μεν δη ταυτα.

A.

Articuli Turonenſes, ex edit. Ill. Puteani in Opere Libertat. Eccleſiæ Gallic. fol. 397. & 398.

I. AN *liceat Papæ bellum inferre principibus temporalibus, in terris, quæ non ſunt de patrimonio vel dominio Eccleſiæ, &c.*
Concluſum fuit unanimiter per Concilium, Papam nec poſſe, nec debere.

II. *An liceat principi defendenti ſe & ſua, non ſolùm propulſare armis hujusmodi injuriam, ſed etiam invadere terras Eccleſiæ, poſſeſſas à Papa notorio hoſte ſuo: non tamen ea intentione, ut illas retineat, ſed tantum ut impediat, ne per eas Papa ille fortior & potentior ſit ad offendendum dictum principem, & ſuos.*

Concluſum eſt per Concilium, principem hoc poſſe ſub conditionibus & qualitatibus in articulo propoſitis.

III. *An ob tale odium notorium & adgreſſionem injuſtam, liceat tali principi ſubtrahere ſe ab obedientia hujusmodi Pontificis, attento etiam, quod Pontifex concitavit alios quosdam principes & communitates, immò & tentavit cogere ad invadendas terras & dominia ejusdem principis, qui potius benevolentia ſedis Apoſtolicæ dignus fuit.*

Concluſum eſt per Concilium, Principem poſſe ab obedientia talis Papæ ſe ſubducere ac ſubtrahere: non tamen in totum & diſtinctè, ſed pro tuitione tantùm ac defenſione jurium ſuorum temporalium.

IV. *Tali ſubſtractione licitè facta, quid agendum ſit tum principi ipſi ac ſubditis ejus, tum etiam Prælatis & Eccleſiaſticis perſonis regni ſui, in rebus, de quibus ad ſedem Apoſtolicam antea recurri ſolebat.*

Concluſum eſt per Concilium, ſervandum eſſe jus commune antiquum, & Pragmaticam ſanctionem Regni, ex decretis ſacroſancti Concilii Baſilienſis deſumptam.

V. *An liceat hujusmodi Principi Chriſtiano armis tueri ac defendere alium principem ſibi confœderatum, & cujus protectionem legitimè ſuſcepit, &c.*

Con-

Conclusum fuit per Concilium, licere.

VI. *Si quod jus talis Pontifex ad se pertinere contendat, ut patrimonii S. Ecclesiæ Romanæ partem: contrà Princeps, imperii vel juris sui esse dicat, & de ea controversia paratus sit, & offerat stare arbitrio, vel judicio bonorum virorum per compromissum, prout de jure: An eo casu liceat Pontifici absque alia causæ cognitione bellum inferre dicto principi: & si fecerit, an liceat principi armis resistere, & aliis etiam principibus, in hujusmodi dissidio ei adesse, eúmque defendere, maximè illis qui ei cognatione vel affinitate conjuncti sunt, cùm etiam per centum annos proximos Ecclesia Romana in ejus juris controversi possessione non fuerit.*

Conclusum est per Concilium, licere Principi hoc casu resistere de facto, & aliis ei adesse in jure suo tuendo.

VII. *Quid si papa nolit acceptare, quod Princeps juridicè & honestè offert, sed contrà non observato juris ordine contra talem principem pronunciet sententiam aliquam, an ei obtemperandum sit: maximè cúm non est integrum ac tutum tali principi ad sedem Romanam ire, vel mittere, & jus suum via juris civilis & rationibus defendere.*

Conclusum est per Concilium, non teneri talem principem parere tali sententiæ.

VIII. *Si Pontifex injustè, ordine juris non servato, procedens de facto & manu armata pronunciet ac publicet aliquas censuras contra principes sibi resistentes, eorúmque subditos & confœderatos, an eis parendum sit, & quod remedium adhibendum?*

Conclusum est unanimiter per Concilium, talem sententiam nullam esse, nec de jure, vel alio quocumque modo ligare.

Visum est tamen Concilio, ante omnia mittendos ab Ecclesia Gallicana legatos ad D. Papam Julium, qui fraterna charitate, & secundum Evangelicam correctionem eum admoneant, ut à cœptis desistere velit, pacemque & concordiam principum amplecti. Quod si nolit legatos in hoc audire, interpelletur de convocando Concilio libero, juxta sacro sancti Basiliensis decreta. Et hoc facto, responsóque ejus accepto, providebitur prout jus erit.

De ceste assemblee ou Concile tenu sous le bon Roy Louys

 dou-

douziesme Pere du peuple, en l'an. 1510. est aussi faite mention en la quatriesme partie des Annales d'Aquitaine, oû sont inserez ces articles, translatez en François par maistre *Jean Bouchet* qui s'y trouva. Et pareillement és vieilles Annales & Chroniques de France, recueillies par M. *Nicole Gilles*.

B.

Iidem Articuli ex Spicilegio Kappiano

pag. 490—495. incl.

Primo. *AN liceat pape inferre bellum principibus temporalibus in terris, non subjectis temporali Dominio ecclesie, presertim ubi talis princeps in nullo offendit ecclesiam, nec agitur causa fidei vel juris ecclesiastici, absque indictione belli.*

Respondetur, non licere pape, & ita fuit in dicto concilio determinatum.

Item, *utrum liceat principi, defendendo terras suas, & pro tuitione subditorum suorum: non solum propulsare injuriam armis, verum etiam invadere terras ecclesie, a tali pontifice, inimico notorio ipsius principis, possessas, non animo retinendi hujusmodi terras, sed ne prætextu illarum sit potentior ad offendendum, presertim ubi tales terras per centum annos & ultra ab ecclesia per tyrannos occupatas, ope & opere principis, ipse pontifex recuperasset, & maxime quando de ipsis terris daretur maxima facultas offendendi talem principem.*

Responsum.

Quod prima pars liceat, secunda non, nisi aliter indemnitatem suam non posset servare, quare tunc liceret etiam secunda.

Item. *Utrum per talem inimicitiam notoriam & aggressionem manifeste injustam, liceat tali principi subtrahere obedientiam ipsi pontifici, maxime quando ipse pontifex omnes principes & potestates concitasset & impellere tentasset contra talem principem de sede apostolica & ipso pontifice bene meritum & de facto aliquos impulisset ad invadendum terras & dominia ipsius principis.*

Re-

Reſponſum.

Determinatum eſt, quod moneatur pontifex, ut convocet generale concilium, quod ſi facere noluerit, licet regi non obedire, donec convocet concilium.

Item *hujusmodi ſubtractione obedientie ſic facta, quid agendum ſit per talem principem ejusque ſubditos, preſertim prelatos, ad quos ſe remittere debet & ſolet?*

Reſponſum.

Appellare in omnibus ad futurum concilium.

Item. *Utrum liceat principi chriſtianiſſimo, alium principem ſibi confederatum, & cujus protectionem ac injuriam ſuſcepit defendere cum armis pro rebus & terris ac dominiis & que juſte poſſidet ac longo tempore poſſedit. Si in hujusmodi terris & dominiis ac rebus invadatur de facto per pontificem, de cujus conſenſu talis princeps invaſus ingreſſus eſt talem confederationem, quam & ipſe pontifex ingreſſus tanquam caput & maxime, quando princeps invaſus preſtitit conſilium ipſi pontifici & aliis confederatis pro recuperandis eorum rebus juxta formam dicte confederationis.*

Reſponſum.

Fuit concluſum, quod poteſt & debet dictus princeps defendere armis illum principem, quem ſub ſua protectione ſuſcepit.

Item. *an ſi Romanus pontifex pretendat, ſibi & eccleſie ſue aliquod jus competere in certis terris, vice verſa vero, princeps illa ad imperium ſpectare arbitretur, & deſuper princeps ſe offerat velle ſtare definitioni & cognitioni arbitrorum, prout de jure fieri debet. An liceat Romano Pontifici ex tali cauſa absque ulteriori cauſe cognitione inferre bellum tali principi & bello hujusmodi illato per pontificem, utrum liceat principi reſiſtere una cum aliis principibus ſibi confederatis contra talem operationem & tueri principem invaſum, preſertim attento quod invaſus & confederatus & ſub eorum protectione concluſus & maxime cum ipſe pontifex nec eccleſia romana tale jus pretenſum a centum annis & ultra unquam poſſediſſet?*

Reſponſum.

Non licet pontifici repudiare talem oblationem, & ſtante tali conditione, non licet vi inferre bellum principi ſe defendenti ac eidem confederatis.

Item.

Item. *ſi pontifex recuſando talem oblationem juridicam & honeſtam de facto, juris ordine non ſervato, tulerit aliquam ſententiam adverſus eundem principem pretendentem ſe tale jus non tenere ab eccleſia, An hujusmodi ſententie per eundem principem & alios parendum ſit; & maxime cum tali principi ad ipſum Pontificem non pateat tutus acceſſus pro defenſione jurium ſuorum?*

Reſponſum.

Non eſſe parendum tali ſententie, ſed appellandum ad futurum concilium.

Item pariformiter, *ſi pontifex injuſte, juris ordine non ſervato ac de facto & cum manu armata notorie procedens aliquas cenſuras comminatus fuerit vel promulgaverit contra tales principes reſiſtentes aut eorum ſubditos & ſequaces ſeu ſervitores, an ſit illis parendum, & quibus remediis in hujusmodi caſibus ſit procedendum?*

Reſponſum.

Non eſſe parendum, ſed appellandum ad futurum concilium. Sed quoad ulteriora verba fuit concluſum, eſſe eligendos oratores ad papam & collegium cardinalium ad monendum dominum papam, quod reſiſtat & congreget concilium generale, ſin autem provideatur de remedio juris, ut ſtatus eccleſiaſticus tam in capite quam in membris reformetur.

Concluſiones facte in concilio gallicano
in civitate turonenſi &c.

Concluſit prefata congregatio propter nonnullas racionabiles cauſas & urgentes propoſitas in dicta congregatione & maxime propter oppreſſiones & indebitas exactiones contra ſtilum in romana curia eccleſie gallicane impoſitas. Videlicet in Camera apoſtolica in minutis ſervitus & expeditione bullarum ultra debitum & ſolitum modum. Et plura alia gravamina, quibus nulla proviſio adhibetur per ſ. d. n. nec per ejus officiales, & quod deterius eſt, nulli licet libere de hujusmodi gravaminibus querelam facere in dicta curia romana ſine metu cadentis conſtantis viri, & quaſi in cunctis ita oppreſſa eſt dicta eccleſia gallicana, ut nunquam antea ligata aut memoria exiſtat ſimilia gravamina facta fuiſſe, ſit inſuper, quamvis chriſtianiſſimus rex modernus

Fran-

Francie, qui de ſ. d. n. eſt bene meritus, propter quod plurima beneficia ecclesie Romane & eidem ſ. d. n. impenſa tam in recuperatione divitiarum, civitatum & terrarum ad eandem eccleſiam ſpectantium ac expulſione tyrannorum & iniquorum poſſeſſorum eorundem & aliis modis pluribus ingentia beneficia eidem ſ. d. n. in omni ſtatu ſuo tam ipſo exeunte in minoribus quod etiam ad ſummum pontificatum promoto contulerit, prout notorium omnibus extat, Tamen idem ſanctiſſimus d. n. papa, immemor tantorum beneficiorum, ſalva pace ſue ſanctitatis, ſine re ſive rationabili cauſa bellum graviſſimum eidem majeſtati maritimum & terreſtre intulerit, terras & dominia prefate majeſtati ſubjecta invadendo & predando, amicitias & federa contra ipſum chriſtianiſſimum cum inimicis ſuis contrahendo, comminationes obligationum contra ipſum regem faciendo, non ſolum in Italia, ſed apud omnes principes & potentatus chriſtianorum, adeo, ut contra ipſum notorias inimicitias oſtendat. Quapropter congregationes eccleſiæ gallicane cum beneplacito Chriſtianiſſimi regis oratores inſtituendos ad ipſum ſanctiſſimum dominum noſtrum, *Julium ſecundum*, papam modernum & reverendiſſimos cardinales, qui qua decet reverentia ſupplicent, & inſtanter petant nomine prefati regis & eccleſie gallicane ab eodem papa & dominis cardinalibus, ut Sanctitas ſua velit congregare concilium eccleſie in loco tuto & convenienti ad determinationem ultimorum conciliorum generalium, quatenus fieri poterit. Idemque procuret Chriſtianiſſimus rex apud Imperatorem & alios principes chriſtianos, ut ſibi adſint & opem ac auxilium ferant pro eodem concilio generali congregando ad reformationem eccleſie univerſalis in capite & in membris, & ſupplicare etiam eidem ſ. d. n. nomine ipſius regis & eccleſiæ gallicane, ut interim dicta dieta & congregatio concilii generalis & durantibus diſſenſionibus, quæ nunc ſunt inter ſ. d. n. & eundem regem ſuosque ſubditos det penitenciarium in regno Francie & dominiis regno ſubjectis cum poteſtate diſpenſandi & providendi in omnibus caſibus, votis, abſolutionibus ab excommunicationibus, irregularitatibus, & aliis cenſuris intervenientibus & diſpenſationibus in gradibus conſanguinitatis & affinitatis, & uni-

versaliter cum plenaria potestate providendi in omnibus casibus concernentibus forum penitentie & salutem animarum, in casu, quo s. d. n. recusaret in concilium generale vel nimis differret, aut locum tutum non assinaret vel recusaret penitenciarium deputare cum protestatione expressa nominibus christianissimi regis & ecclesie gallicane contra prefatum d. n. papam & suos cardinales ad omnia juris remedia.

Num. II.

Determinatio Facultatis Theolog. *Parisiensis* Super doctrina *Lutherana* hactenus per eam revisa.

ex Dn. d'ARGENTRÉ Collectione Judiciorum de novis erroribus Tom. II. fol. II. III. & IV.

DEcanus & Facultas Theologiæ Generalis Scholæ Parisiensis omnibus Christi fidelibus cum sincero Catholicæ veritatis amore salutem. Paulus ille vas electionis, Evangelicusque tubicen, & Gentium Doctor, Timotheum instituens, ut curet seipsum operarium inconfusibilem & probatum exhibere Deo, recteque tractantem verbum veritatis, profana hortatur & vaniloquia devitare, quoniam hæc multum proficiunt ad impietatem. Nam si semel recepta fuerint, mox serpet venenum & obsolescet Catholicæ doctrinæ vigor. Siquidem hæreticorum sermo, si animos aliquando simplicium occuparit, semper latius diffundetur, eosque fallacibus errorum involucris quasi tenaci visco involvens sensim a veritate ad impietatem nimiam deturbabit, & perinde ac cancer morbus serpet: qui ubi corpus viventis attigerit, non desinit paulatim vicinas occupare partes, donec intulerit exitium. Pleraque hujusce rei exempla recensere perfacile est. Nam cum adhuc in adolescentia sua Ecclesia Christi sponsa florere cœpisset, surrexere viri mendaces & impii, qui a veritate excidentes fidem illius subvertere molirentur, quales fue-

fuerunt Hermogenes, Philetus, Hymenæus; & post illos Ebion, Marcion, Apelles: deinde Sabellius, Manichæus, Arius. Senescente verò eadem & paulò ante tempora nostra, Waldo, Wicleff & Joannes Hus. Hac etiam tempestate de progenie illa viperarum suborti sunt, proh dolor! filii nequam, qui speciosæ matris non habentis maculam, neque rugam, unionis vinculum schismaticè discindere conantur, verè similes viperulis: ut enim illæ corrosis matrum visceribus non exeunt priusquam eas extinxerint, ita hi parentem Ecclesiam exitiali suorum dogmatum pestilentique veneno, multiplici novarum inventionum fœturâ, dum juvare videntur & venerari (licet inextinguibilem) potius tamen quantum in se est, interimunt: non ferentes cum ipsi sint & ancillæ filii & illegitimi, imò diaboli genimina, Matris Ecclesiæ liberos legitimosque filios, nisi eos suis pestiferis doctrinis inficiant & venenatis jaculis contorqueant; satagentes speciem matris ac decorem temerare & contaminare. Cujus tamen facies semper est & erit gratiarum plena, splendidissimusque ornatus. Ipsa enim veluti Regina a dextris sponsi sui in vestitu adstat deaurato circumdata varietate Legum, Ceremoniarum, Sacramentorum & bonorum omnium ad præsentem futuramque viam conducentium. Hinc virulentis suis scriptis & sermonibus illam lacerare non cessant, & pro viribus deturpare satagunt. Inter quos unus vel præcipuus existit quidam *Martinus* LUTHER, quantùm ex scriptis compluribus ejus nomine divulgatis conjectare licet, si modo titulo credendum est. Ipse enim pronominatorum hæreticorum dogmata (instar prævaricatoris Ahiel qui contra Josue imprecationem reædificavit Hierico) instaurare studet & nova confingere; qui cum ad sobrietatem sapere minime didicerit, plus unus sapere præsumit, quàm cæteri omnes qui in Ecclesia sunt aut fuerunt. Omnium nempe Universitatum Scholis suum ausus est præferre judicium; priscorum quoque vel sanctorum Doctorum Ecclesiæ Sententias contemnit; & ut ad impietatis cumulum addat, sacrorum sanctiones Conciliorum enervare contendit, quasi scilicet ad fidelium salutem necessaria Luthero soli Deus reservarit, quæ præteritis sæculis nescivit Ecclesia, & ad hæc usque tempora in tenebris & errorum cœcitate suam spon-

ſam Chriſtus dimiſerit. O impiam & inverecundam arrogantiam, vinculis, cenſuris, imo ignibus & flammis coërcendam potius quam ratione convincendam! Nonne enim qui ita ſentit & ſcribit, prima fidei principia abnegat & impietatem palam profitetur? Nonne impium ſe prodit & infidelem, quisquis Orthodoxæ fidei ſanctis Eccleſiæ Doctoribus ac ſacris Conciliis credere dedignatur? Is nempe cui credet, qui Catholicæ Eccleſiæ fidem habere detractat? aut quomodo Catholicis adſcribetur qui Eccleſiam non audit; cum ex ore veritatis dictum ſit, Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus? Porro iſta eſt peculiaris hæreticorum inſania, ut ſcripturas pro voto contorquentes ſe ſe eas ſolos credant intelligere, ſolos ſe ad veritatem Evangelii putant ambulare, ſolos ſe & quos falſa religione ſeducunt, ſalutem conſequi arbitrentur, ne cujuscunque Doctoris quamtumvis ſancti aut eruditi, ſed nec ipſius Eccleſiæ authoritatem ſuſcipere velint contra eam quam ſemel ſibi præfixerint Scripturarum intelligentiam. Hoc comprobat inſanus *Montanus* cum ſuis Priſca & Maximilla S. Spiritus adventum in ſe completum impiiſſime credens magis quam in Apoſtolis. Hoc & impius *Manichæus* qui vanitate Luciferi ſeductus usque adeo deliravit, ut ſe Spiritum ſanctum a Chriſto miſſum aſſereret. Hoc item *Secundinus* ejusdem Manichæi diſcipulus, qui Auguſtinum & Catholicos cæteros errare confidenter aſſeverans, quaſi eidem condolens Auguſtino ſcripſit ſe non invenire quidnam ante æterni Judicis Tribunal poſitus, deſerto Manichæo, reſpondere valeret. Mos nempe iſte eſt hæreticorum. At vero dum Eccleſiam audire nolunt, nec ferunt ſuavi Chriſtianæ diſciplinæ jugo colla ſubmittere, illudentibus ſibi ſpiritibus mendacii & erroris, in manifeſtos corruunt errores, & pro fide execrandas profitentur blaſphemias: quod Luther ipſe, ſeu author quisquis eſt opuſculorum illius editorum nomine, luce clarius demonſtrat: qui dum Eccleſiæ & SS. Patrum ſalutaria reſpuit documenta, & hæreſiarcha factus eſt, & virulentus veterum hæreſum innovator. De *libero* namque *arbitrio* diſſerens Manichæos ſequitur. De *Contritione*, & iis quæ eam præcedunt, Huſſitas, Wicleſiſtas vero de *Confeſſione*; de *præceptis* Begardos, Catharos de *puni-*

punitione hæreticorum, de *immunitate Ecclesiasticorum* & de *Evangelicis Consiliis* Waldenses & Bohemos; de *juramento* consentit hæreticis qui se jactitant de ordine Apostolorum; de *observatione Legalium*, Ebionitarum hæresi propinquat. Cæterum de *Sacramentis*, *absolutione*, *satisfactione*, *præparatione ad Eucharistiam*, Scripturas non advertens, sed pervertens: item de *peccatis*, de *pœnis Purgatorii*, de *Generalibus Conciliis* non ferendos disseminat errores. Sed & de Philosophiæ præclaris institutis perperam loquitur ignarus: sicut de potestate Ecclesiastica & de Indulgentiis multa. Nec tamen pestiferam doctrinam evomuisse contentus, librum insuper edidit, si titulo creditur, cui *de Captivitate Babylonica* nomen indidit, usque adeo variis respersum erroribus, ut jure *cum Alchorano* conferri mereatur. In eo siquidem extinctas hæreses & funditus extirpatas, quarum ne vestigia quidem ulla superstabant, super his præsertim quæ ad Sacramenta Ecclesiæ spectant, suscitare, ac in lucem revocare totis animi viribus contendit. Scriptor quicunque is est, Ecclesiæ nimirum Christi hostis perniciosus & antiquarum blasphemiarum instaurator execrandus. Bohemorum namque, Albigensium, Valdensium, Heracleonitarum, Pepucianorum, Aerianorum, Lamperianorum, Jovinianistarum, Artotyritarum, cæterorumque id genus monstrorum insaniæ, per auctorem in eodem comprobantur libro, commendantur, extolluntur. Quare nostræ professionis esse agnoscentes hujusmodi pullulantibus pestiferis erroribus, magisque ac magis in dies excrescentibus toto conatu obviare, quid tandem nobis de hujusmodi doctrina visum sit, planè aperire volumus, & nostram super ea sententiam Christianis omnibus publicare, ne, quod absit, eliminata jampridem tam multiplex impietas, quantum in nobis est, ulterius serpat, & Doctrina fallax a Patre mendacii exorta fidelem inficiat populum Dei.

Sollicitiùs itaque per nos examinata ac maturius universa doctrina Lutheriano ascripta nomini, & ad plenum discussa, execrandis illis erroribus scatere certo deprehendimus & judicavimus, fidem potissimùm contingentibus & mores. Quodque simplicis populi seductiva sit, omnibus Doctoribus injuria, potestati

 Eccle-

Ecclefiæ & Ordini Hierarchico impiè derogativa, apertè fchismatica, facræ Scripturæ adverfa, & ejus depravativa, atque in Spiritum fanctum blafphema; & ideo veluti Reipublicæ Chriftianæ perniciofam cenfemus omnino exterminandam ac palam ultricibus flammis committendam. Authorem vero ad publicam abjurationem modis omnibus a Judicibus compellendum.

Ut autem id clarius cunctis innotefcat, aliquot ex præfatis fcriptis excerptas propofitiones ordine quodam digeffimus: & noftram cuique adjecimus cenfuram Patrum noftrorum morem imitati, qui alienus utique non eft ab obfervata per Apoftolos lege definiendi. Propofito namque de Legalium obfervatione dubio, quid fentirent, ipfi paucis explicuerunt rationibus (cur ita definirent) nullis fcripto mandatis: quem modum quoque decernendi facra confueverunt tenere Concilia. Materiæ vero per nos difcuffæ hæ præfertim quam impræfentiarum edere conftituimus, fecundum fuas invicem connexiones fequenti monftrantur indice. (a)

CONCLUSIO.

NOs Præfati Decanus & Facultas præmiffa hæc omnia tempore multo examinavimus: & quid de his fentirent Ecclefiaftici Doctores, quidve facra Concilia, quid infuper in Scripturis caveretur, diligenter annotavimus. Poft quod examen noftrum apud Sorbonam fæpius frequentatum, a plerisque noftris per juramentum invocatis & factis concionibus unanimi omnium voto fuerunt conclufa ac definita. Ac demum ex abundanti in generali noftra congregatione apud fanctum Mathurinum rurfus per juramentum fuper his fpecialiter denunciata, hæc eadem poft Miffam more noftro celebratam, iterum concordi omnium affenfu laudavimus, comprobavimus, ac rata habuimus: laudamus,

(a) Propofitiones, quæ in hac determinatione damnantur, unà cum ris &c. exhibentur ab eodem domino d'ARGENTRÉ lib. cit. I. fol. 367. feqq. fed quas, ne Lectoribus faftidia creemus, inde petimus.

mus, comprobamus & rata habemus; & ut talia inconcussè tenenda nostrâ sententiâ definimus & decernimus. Acta fuerunt hæc Anno ab Incarnatione Domini 1521. die 15. April. in quorum testimonium iis Instrumentis quæ in Archivis & Scriniis ad perpetuam rei memoriam reservamus, Sigillum nostrum duximus apponendum. Ad quorum exemplar de Mandato nostro præsentes fuisse fideliter impressas testamur.

Num. III.

Conclusio Facult. Theol. Parisiensis cum Ej. Responsione ad Reginam, & Via,

qua Lutherani errores extirpari possint.
ex ARGENTRÉ lib. cit. Tom. II. fol. xx. seq.

ANNO Domini 1523. propter crebrescentes querimonias, quæ per zelatores fidei fiebant in Domini nostri Regis domo de perversa Lutheri & sequacium doctrina, quod scilicet nimium sineretur multiplicari in hoc Christianissimo regno, in grande scandalum ejusdem Domini nostri Regis, Dominæ ejus matris, & primorum regni Rectorum, & quod dicebantur nonnullæ personæ in ipsa Regis domo sublimes notatæ, & sequentibus faverent, ad nostram Theologiæ Facultatem, Illustrissima illa Domina ejusdem Regis mater misit venerabilem senem Ordinis Minorum de observantia religiosum sibi in spiritualibus Fratrem familiarem, Fratrem *Gilbertum Nocolai*, qui Facultati solemniter congregatæ exposuit se ab eadem Domina, propterea missum expresse, ut super duobus articulis, quos explicuit, Facultatis consilium haberet ad ipsam Dominam referendum: quibus auditis post maturam deliberationem dictum fuit & ordinatum, quod omnino erat obtemperandum tam piæ petitioni, & ad ipsam Dominam nomine Facultatis scribendum; ad quod exequendum, deputavit Dominum Syndicum cum aliis quibusdam Magi-

Magiſtris, ordinans quod per eos conſcriberentur Articuli ad petita reſponſorii cum Epiſtolæ forma, quæ omnia poſtmodum in Facultate, quia negotium arduum erat, audirentur & decernerentur. Ipſe autem Syndicus Beda articulorum formam & Epiſtolam fecit, quæ inter deputatos primo examinata fuit, & deinde in ipſa Facultate, & probata die ſeptima menſis Octobris, anno Domini 1523. ad verbum talis fuit contextus. *Lib.* 1. *ſacræ Facult. fol* 218.

Lettre de la Faculté de Theologie à la Reine.

J E S U S.

MADAME, ſi très-humblement, qu'il nous eſt poſſible, à votre bonne grace nous recommandons.

MADAME, le venerable Pere Gilbert Nicolai preſent Porteur, eſt venu devers nous, & nous a déclaré, qu'il avoit charge expreſſe de par vous, de demander notre conſeil & avis ſur deux points qu'il nous a propoſé, diſant que eſtiez deliberée, de faire mettre à excution, ce que trouverez par bon conſeil eſtre utile pour l'honneur de Dieu & de la Foy, le bien & utilité du Royaume.

MADAME, Nous remercions la divine bonté, de ce qu'il lui a plû vous inſpirer ce bon & ſaint propos, pour auquel parvenir, puiſqu'il vous a plû nous en faire demander, avons conclu après grande & meure déliberation, vous en faire ſçavoir, ſelon Dieu & nos conſciences en toute humilité, obéiſſance & fidelité, notre avis. Et à cette fin avons baillé articles ſignez de notre Scribe ou Notaire audit bon Pere, auquel il vous plaira oüir & croire le contenu esdits Articles eſtre le vray conſeil, qu'il nous ſemble commode & neceſſaire ausdits deux points, & lequel s'il vous plaiſt ſuivre, croyons que vous ferez choſe agreable à Dieu, & grandement propre pour l'honneur du Roy & de vous, & le bien du Royaume.

MA-

MADAME, Nous prions notre Createur de vous adresser en toutes vos affaires, & donner sa grace sans fin. Ecrit en notre Congregation, ce Mercredy, septiéme jour d'Octobre mil cinq cent vingttrois.

Vos tres humbles Orateurs, le Doyen & Docteurs de la Faculté de Theologie en l'Université de Paris.



RESPONSIO Sacræ Facultatis Parisiensis, ad Dominam Reginam data, anno 1523. quomodo scilicet Lutherana hæresis è Regno Galliarum extirpari possit.

Articules concernans les responses que aprés meure deliberation a fait la Faculté de Theologie de l' Université de Paris aux deux choses qu'il a pleu à Madame faire demander par le venerable Pere Gilbert Nicolai à ladite Faculté.

PREMIEREMENT, à ce que ladite Dame demande par quels moyens on pourroit casser & extirper de ce Royaume tres Chretien la doctrine damnée de Luther, & entierement l'en purger.

Semble à ladite Faculté, que posé que les predications, disputations, livres, écrits contre icelles doctrines, & autres actes Scholastiques soient à ce utiles, qu'il s'en fait chacun jour par les Supposts de notre Faculté. Et il vient à point toute fois pour autant que par ces moyens n'est personne contrainte de renoncer à ladite erronée doctrine, qu'il est necessaire, si on veut,

com-

comme il eſt beſoin, y mettre fin, que le Roi ou ladite Dame faſſe par le grand Conſeil depeſcher Lettres Patentes & fort expreſſes, conformes à l' Arreſt donné au Parlement de Paris, dont on a baillé copie audit venerable Pere, qui ſoient addreſſées aux Officiers du dit Seigneur par tout ledit Royaume, en leur faiſant ſur groſſes peines, commandement qu'ils ayent mettre à execution le contenu esdites Lettres Patentes & Arreſts.

Item, & que pareillement ſoit mandé à tous les Prelats de cedit Royaume, que chacun en ſon Dioceſe par les Doyens & autres leurs Officiers, faſſent faire commandement ſur peine de Sentence d' excommunication à toutes perſonnes de quelque eſtat & condition qu'elles ſoient, de mettre ès mains des Officiers du Roi notre Seigneur, tous & chacuns les Livres, qu'elles ont, compoſez par ledit Luther, ou ceux qui deffendent ſa doctrine, pur les faire bruſler publiquement, ainſi que par l'authorité de ladite Cour du Parlement a eſté fait à Paris.

Item, & que ſur peine desdites Cenſures ne ſoit aucun ſi hardi de tenir lesdits Livres, deffendre, porter, ou ſoutenir icelle doctrine, mais que chacun la damne & reprouve comme ſchismatique & pleine d'erreurs, blaſphemes, & hereſies, & par ce moyen, s'il eſt mis à execution rigoureuſe, eſt à eſperer que ladite damnée doctrine ne aura aprés ce fait aucuns qui oſent la ſoutenir, deffendre ou favoriſer, & ainſi ſera abolie par tout ce dit Royaume.

Item, eſt auſſi ſemblé à la dite Faculté, qu'il n'y a choſe qui puiſſe porter plus grand préjudice à l'honneur du Roy & de ladite Dame, bien & utilité du Royaume, que endurer ou diſſimuler telles pernicieuſes doctrines entrer, croître & ſe multiplier en ce dit Royaume, & pourroit ſembler à pluſieurs qu'on en ait trop enduré. Car comme liſons en l'Ecriture, toute & quante fois que le peuple d'Iſraël, qui eſtoit eſleu de Dieu, delaisſoit la pureté & integrité de la Foy, qu'il luy avoit en la Loy baillée, eſtoit puni par peſtes, famines, guerres, & autres verges de Dieu.

Item, ſemble à icelle Faculté que ce n'eſt aſſez pour ſatisfaire à Dieu & l'appaiſer, de extirper les Doctrines multipliées en ce Roy-

Royaume au nom dudit Luther, qui eſt voirement le Chef ou Autheur principal, qui a reſtauré & mis en avant erreurs innumerables & hereſies ja pieça damnées, mais il faut enſemble damner & detruire tous les Livres & Doctrines particulieres, qui comme Membres du Corps de l'erreur univerſel, dont eſt Chef le dit Luther, ſoutiennent, deffendent, louent, ou favoriſent au dit Luther; à quoy faire a ladite Faculté dès il y a long temps, toujours labouré & travaillé pour l'honneur du Roy & bien du Royaume, comme encore travaille chacun jour & entend faire, s'il plaiſt à Dieu.

Item, & peut ladite Dame maintenant connoiſtre de certain, ſi les perſonnages de quelque eſtat qu'ils ſoient, qui par cydevant ont loué & porté faveurs à la ditte Doctrine blaſmée, & detractent tous ceux qui l'ont impugnée, reprouvée & damnée, ont en ce faiſant procuré l'honneur du Roy & d'elle, bien & utilité de la Foy & du Royaume.

Item, & à ce que SECONDEMENT a demandé icelle Dame par le dit venerable Pere, c'eſt à ſçavoir, par quels moyens ſe pourroient juſtifier aucunes perſonnes, qui ſe diſent à tort & ſans cauſe eſtre notées & diffamées d'avoir porté & donné faveur à ladite Doctrine.

Semble à la ditte Faculté que la premiere occaſion qui a pu faire courir ce bruit, non ſeulement parmi ce Royaume, mais comme on dit és autres Pays, eſt venu de ce que pluſieurs & grands perſonnages avant que les choſes fuſſent par eux bien entenduës, ont loué en Cour, comme on diſoit, icelle Doctrine, & diſoient mal de tous ceux qui la blaſmoient & reprouvoient.

Item, & de ce, combien que de long temps, eut le Roy, comme il a ſouvent dit même à pluſieurs des Maiſtres de ladite Faculté, commandé qu'on brulât les Livres de Luther, comme ils avoient eſté par pluſieurs autres Royaumes & Pays Chretiens, toutefois le Commandement n'a ſorti effet, qu'à grand peine & bien tard, & partie par la pourſuite qu'en a faite à la Cour de Parlement à Paris icelle Faculté.

Item: mais eſt cruë merveilleuſement non ſeulement audit Paris l'opinion de chacun, qui a ouy parler des empeſchemens,

qui ſous l'authoritè du Roy, & contre ſon intention, comme croit ladite Faculté, ou pour avoir mal informé ledit Seigneur, ont eſté donnez depuis Pâques à aucuns Eveſques, ou à leurs Officiers, qui vouloient, comme ils eſtoient tenus, proceder à l'extirpation d'erreurs ou ſcandales touchant telles Doctrines, comme à Monſeigneur de *Séez*, & puis naguéres à Monſeigneur de *Paris*, quant au fait de *Louis de Berquin.*

Item, & a la Cour de Parlement par pluſieurs évocations des cauſes concernans la Foy, comme d'un Livre compoſé par Maitre *Jacques Fabri*, & de ceux dudit *de Berquin*, qui ſont choſes au jugement de tous gens ſavans, & non mal effectés, tres pernicieuſes & perilleuſes pour ceux qui en ſont cauſe. Car c'eſt par inventions ſubtiles deffendre les Delinquants, & nourrir les erreurs & hereſies. Ce qui eſt par l'Egliſe univerſelle prohibé ſur peine de Cenſures fort à craindre.

Item, & qui eſt choſe tres ſuſpecte, ont eſté pratiqués tous moyens pour empeſcher ladite Faculté, qu'elle ne donnaſt pour le bien de la Foy, extirpation de ladite Doctrine de Luther, pour l'honneur du Roy tres Chretien & utilité du Royaume, ſon Jugement des Livres dudit *Berquin*, qui ſont faits ſeulement pour deffendre, porter & ſoutenir les erreurs & hereſies dudit Luther.

Item, & auſſi a eſté fait ce qui a eſté poſſible pour empeſcher que ladite Faculté n'examinaſt le dit Livre de Maiſtre *Jacques Fabri*, qui eſt manifeſtement nourrir, pour ceux qui en ſont cauſe, erreur contre la Foy en ce Royaume trés Chretien.

Item, ce qui eſt moulte ſcandaleux, puis neguéres ont eſté ſous le nom & authorité du Roy prins & emporté certaine quantité de Volumes, deux Traitez compoſés par Meſſire *Hierosme d'Angeſt* contre les erreurs de Luther, & de ceux qui les voudroient ſoutenir, qui ſont toutes choſes contraires à la tres noble Couronne du trés Chretien Royaume de France.

Item, & ſemble à ladite Faculté ſous humble correction, que quiconque informera le Roy & ladite Dame, autrement que contiennent ces Articles, n'aimera ſaigement l'honneur & ſalut d'iceux, la pureté de notre Foy & le bien du Royaume.

Item,

Item, & pour conclure, semble à ladite Faculté qu'il n'y a autre moyen par lequel se puissent purger & justifier lesdites personnes qui ont esté ou sont cause de ces choses, ou qui en sont chargées, si ce n'est qu'icelles suivent l'exemple de Saint Paul, qui un temps par ignorance, vitieuse toutefois, persecutoit les Chretiens & reprouvoit la saine & salutaire doctrine de Jesus-Christ: mais si tost qn'il entendit qu'il étoit abusé, il forma son propos & commença à deffendre ce qu'il impugnoit par avant, & damner & reprouver ce qu'il avoit par erreur loué & deffendu.

Aussi est-il necessaire pour le salut desdites personnes qu'ils se gouvernent ainsi ès choses dont est question, en procurant que lesdits Prélats franchement & sans empêchement, usent de leur pouvoir & procedent en toute liberté aux choses dessus dites. Autrement est à craindre qu'en voulant sauver l'honneur & bien temporel d'aucuns hommes en ce monde transitoire, on condamne sans fin & soi & eux, & que par ces moyens cedit Royaume très-Chrétien en ait mult à souffrit. Ce que ne veuille la divine Providence par sa sainte misericorde permettre. Donné en ladite Faculté le septiéme jour d'Octobre 1523.

Extant hæc tria monumenta Lib. 1. *Conclus. sacræ Facult. fol.* 218. *&* 219.

Num. IV.

LAMBERTI AVENIONENSIS rationes propter quas deseruit Papismum,

ex SCHELHORN. Amœnit. Literar. T. IV. p. 312. seq.

FRANCISCUS LAMBERTUS, *Avenionensis*, Inutilis Jesu Christi servus, pio Lectori, Christi Gratiam ac Pacem. Quoniam in Minoritarum (quos Observantes, titulo prorsus non Christiano, appellant) olim fui conversationem receptus, atque in eorum habitu, annis plurimis verbum domini in diversis regionibus, & provinciis declamavi : novissime autem conpulsus, eorum & con-

convictum & habitum dereliqui: necessum fuit, ut cunctis palàm facerem, quæ fuerit causa mei egressus, factique mei apertam redderem rationem. Alioqui pusilli & simplices scandalizarentur, nisi intelligant me, id quod feci, secundum Christum facere potuisse. Hujus rei gratia libellos duos ædidi. Primum habes, quo nonnullas & vere ex compluribus paucas dicti mei egressus causas posui. Reliquus propédiem emittetur, quo quid de Minoritarum regula sentiendum sit, aperte cognosces. Hos dum legeris, si Christianus es, non tantum non scandalizaberis, sed & mecum senties me ab illis necessario fuisse egressum. Vale, Gratia Christi tecum.

APud Avenionam inclytam Galliarum urbem, me tenello adhuc puero existente, patre defuncto, & Christi spiritu animum pueri ad meliora solicitante, occurrit externus ille Minoritarum (quos observantes vocant) splendor, multam sanctitatis speciem habens, quos tales fore interne puerili æstimatione sentiebam. Admirabar in illis tegumentorum decentiam, vultus demissos, oculorum inclinationem, suavissima fictæ pietatis eloquia, pedes nudos, sandaliis calepodiisve utentes. Laudabam in eis gestuum gravitatem, incessum maturum, brachia complicata, exquisitos & eosdem expolitos prædicandi gestus: & similia quæque. At ignorabam lupinum illud, vulpinumque pectus, sub vestimentis ovium latens.

Sanè, ad id me quammaxime provocabant, qui in publicis concionibus hæc Christo acceptissima prædicabant, & mihi ad partem evocato plurima de claustri fructu, ac cellæ quiete, deque studiorum opportunitate, & similibus plurima egregie mentiebantur. Quæ autem revelare oportuerat, diligentissime occultabant. His me autem stimulis agitato, anno ætatis meæ 15. Avenionæ fui ad eorum habitum convictumque receptus, deceptus profecto vehementissime. Verum Deus alto suo consilio voluit me ab humano decipi, ut probarem quid rei esset quod tam sublime propria sententia videbatur. Nihil quoque dubitaverim, me inter eos fuisse, Deo providente receptum, quodque ab me externis illorum faciebus seduci volverit, donec veritate

tate cognita egrederer, cunctisque palàm facerem quæ sub sepulchris istis dealbatis spurcitiæ latitarent.

Probationis igitur anno, ne à sumpto proposito dimoverer: quæ apud eos impia erant, mihi diligentissime abscondebautur. Hanc quippe habent consuetudinem, quod secreta sua, id est impietates, noviciis occultant. Quandoquidem certi sunt, quod nullus unquam vellet apud eos ad professionem recipi, si quæ apud eos latent, noviciis fierent manifesta. Dicuntque impii homines, quod si quispiam vel minimum quiddam admiserit, unde illud ansam suscipiant, ab eorum congregatione abeundi, crimen inexpiabile sit. Verum si semel professionem emiserint, nihil est quod amplius eorum scandala timeant. Hinc palàm fit, quod Christum potius, quàm sectam suam deseri volunt. Dum enim timent magis scandalizare novicios, ne ab ipsis discedant, quàm professos, ne à Christo separentur: quid aliud faciunt, quàm quod seipsos magis timent deseri, quàm Christum?

Completo dehinc probationis tempore, tantum annos sedecim, & menses aliquot natus, professionem emisi, penitus quid facerem nesciens. Mox internis eorum mihi patefactis, animadverti multum inter interna externáque referre: quo magis me confusum ab omni mea expectatione conspiciebam, eo magis tristis, adflictus, languidusque vivebam. Non poteram tamdiu concupitam mentis nancisci quietem. Contristabar ideo in exercitatione mea, & conturbabar ab impiorum tribulatione. Vocatus demum ad salutare verbi ministerium, quantum me non pro illorum voto prædicantem discruciarint, satis referre non possem. Audiebant populi verbum Dei, illudque avidissime suscipiebant: soli autem illi, sicut aspides surdæ & obturantes aures suas, non exaudiebant vocem altissimi. Aiebant omnifarie, ut & adulator & verbi sancti adulter essem, quibus non dissentire non poteram.

Post multos denique annos, electus ad universaliter nunciandum Chisti evangelium, factus'que apostolicus (ut vocant) prædicator. Præter crucem illius laboriosissimi ministerii, erant mihi illi continua & eadem intolerabilis crux: apostolicis autem prædicatoribus impositum est, ut apostolorum more per orbem

pro-

proficiſcantur, ſemperque oblata ſibi opportunitate evangelizent. Hæc dum immenſis cum laboribus pro mea virili implerem, quæcunque dominus per me operari dignabatur, calumniis fucatiſſimis impugnare moliebantur. Quos dum viderem nimio livore torqueri, nolui uti multis facultatibus, mihi pro miniſterii mei neceſſitate conceſſis. At nec ſic à Chriſti pauperis divexatione ceſſabant.

Fatigatus ſæpe aliquot menſium prædicatione continua, dum in cœnobia regrediebar, confeſtim ab impiis veritatis hoſtibus, mihi pro bonis mala retribuebantur. Maledicentiæ, injuriæ, convicia, ordinaria ciborum meorum condimenta erant. Corporeæ déinde imbecillitatis cauſa, dum ad Chriſti Evangelium nunciandum pedeſter nequirem proficiſci; vel hoc mediò à miniſterio ſanɛto me impedire nitebantur. Quandoque vero ingenti & dolo & rapacitate aſinos mei gratia ab amicis meis comparari permiſerunt: quos poſt dies aliquot vendebant, aut cæteris pro ſua voluntate tradebant.

Cum ante annos 4. apud quandam Galliæ civitatem Evangelizaſſem, & populi reſipiſcentes, larvas, taxillos, chartulas, & ſimilia pleraque ad præparatum incendium pariter ferrent: quidam ex veritatis hoſtibus prædiɛtis, ex eis nonnulla furtive ſuſtulerunt, larvam præcipue ſimilem puellæ laſcivienti. Quos dum pro hac re furti arguerem, adverſum me pariter conjurarunt, traɛtantes quibus mediis id fieri poſſet, ut à ſanɛto miniſterio efficerer alienus. Nihil pro hac re neglexerunt, mendacia, falſaque teſtimonia excogitarunt: quæ veruntamen mihi nota facere auſi ſunt nunquàm. Verum diſſipavit dominus conſilium Achitophel, ut hac de re nec concionem quidem unam unquàm dimiſerim.

Inſurrexit aliquando adverſum me quidam bullarum Antichriſtianarum improbus aſſertor: in quem ſic Chriſti ſpiritu dirigente proceſſi, ut à præſidibus urbis in qua hæc agebantur, damnaretur, quod faɛtum impii illi homines condemnarunt.

Perveniens aliquando in domos eorum qui Minoritas hoſpitantur: ubi mihi notum fuit eos eſſe publicos ſcortatores, aut uſu-
ıt raptores, ſecretò illis ſalutis conſilia dedi. Quod illi,
ut

ut rem summe illicitam condemnabant. Dicebant enim (ut animalia ventris sunt) forsitan amodo non hospitabitur & reficiet nos: magis (ut vides) timentes cœnam unam perdere, quàm animarum hospitum damnationem. Tametsi nullum viderim, qui fuerit minus ad hospitalitatem proclivior.

Cardinalis quidam, Rhomani episcopi à latere (ut vocant) legatus, voluit ut die quodam Christi verbum enuntiarem. Mox æmulorum meorum surrexit invidia, duorum præcipue seniorum, à quibus iniquitas est egressa. Horum unus Guardianus erat: qui die statuto adveniente, imò proxima evangelizandi hora insaniens, ad Cardinalis cucurrit palatium, factusque impius mendax, me ægrotum fore confinxit. Expavescebant hi Babylonici senes, ne forsan non satis Cardinali & magistratibus adularer. Dumque prædictum Guardianum admonerem, carceres & tormenta comminabatur. Is postmodum minister provinciæ factus, pristinæ malignitatis non immemor, adversum meas, velit nolit, pias & veras conciones quædam scripsit. Unde timens aliquando in eorum quandoque manus incidere, & per omnia inutilis fieri, eorum conversationem proposui derelinquere, & fieri Carthusianus. Timebam enim, ad communem hominum redire conversationem, ne universis regionibus, quibus Christi verbum prædicaveram, scandalo forem. Dicebam quoque: si non possum Dei eloquia populis in pace nunciare, saltem libellis quos potero edocebo. Sed vere Satanæ illusio fuit, quandoquidem nec isti scripta mea sustinuissent.

Minoritis demum me perturbantibus non potui ad Carthusianorum habitum recipi, quamvis me susceperint ad osculum pacis, ut loquuntur. Perturbatus ergo à Carthusianis, Minoritis tunc mihi adulantibus, redii ad ministerium meum. At mox redeunte verbo, gravis quoque rediit persecutio.

Hi libros vere Evangelicos, theologi Christianissimi Martini Lutheri, quos habebam, abstulerunt, sigillaruntque: quos in provinciæ capitulo non inspectos, & vix à limine salutatos, condemnarunt, & combusserunt: saltem illos legere oportuerat. Clamabant tantum, hæretici sunt, hæretici sunt. Sic judicant & condemnant, quod penitus ignorant. Ego confidenter lo-

quar, credens in domino quod verum fit, quod plus fyncerioris theologiæ in libris prædictis continetur, quam in omnibus fcriptis omnium monachorum, qui à principio fuerunt. Da veniam lector optime, quod te horum pharifæorum infaniis tamdiu occuparim: qui ut brevi concludam, mihi pro Dei veritate zelanti, tam gravia intulerunt, inferuntque adhuc omnibus, qui paris fententiæ funt, quod nec plurimis libris poffent univerfa confcribi.

Hi funt qui fe Obfervantes effe fuperciliofo titulo jactitant. Chriftus Luc. 17. dicit: Cum feceritis omnia quæ præcepta funt vobis, dicite, fervi inutiles fumus. Illi vero, ut vel ipfo etiam nomine, eos fancti verbi contemptores effe fcias, dicunt: Obfervantes fumus. Univerfos dehinc monachorum ftatus in fuam ifti traxerunt fententiam, ut ex omnibus jam inveniantur qui obfervantes velint appellari. Nullus profecto ecclefiæ Chrifti magis nocuit unquam, hominibus iftis, obfervantiæ titulo gloriofis.

Verum, quid fyneeræ obfervationis in eis effe poteft, qui nec regulam quidem fuam intelligunt, neque intelligere volunt? Scio enim quantum me afflixerint, de eadem varia fæpenumero aut declarantem, aut colloquentem: quandoquidem illius zelotes plus æquo aliquando fui acerque nimium ejusdem transgreffiones: fed nondum referatum erat fepulchrum domini gloriofum, nec ablatus humanorum operum ac carnis fapientiæ lapis à præclaro evangelii monumento, quo amabilis dei eloquiorum veritas contegebatur.

Heu quantum fui feductus. At, quem non feduxerunt ifti obfervationis facri evangelii acerrimi hoftes? Non fuftinebant dei eloquia pronunciantem, perfequebantur pro regulæ obfervatione zelantem. Quid ergo feciffem cum impiis iftis?

Acceptis igitur commiffionis (ut vocant) literis ad ordinis Generalem, aut Vicegeneralem, à Galliis veni in Germaniam, ubi opportunitate accepta, pharifaicum illud tegumentum rejeci, fciens quod nihil faciat ad Chriftianismum, fic vel fic, hoc vel illo colore veftiri. Teftificor autem coram domino, quod nunquam eos reliquiffem, fi falva veritatis evangelicæ libertate,

apud

apud eos manere potuissem: sed cum eandem neutiquàm sustinent, me ab illis egredi necessarium fuit. Feceram primum contra illud Pauli, 1 Corinth. 7. Precio empti estis, nolite fieri servi hominum. Hi fiunt servi hominum, qui eorum stultis constitutionibus alligantur. Qui ergo deceptus me servum feceram hominum, quid agere debui, nisi ut observarem ejusdem consilium, quod ubi supra scripsit: Si potes fieri liber, magis utere. Segregatus igitur à malignantium conventiculis, veni ad illam vere supremam orbis Academiam Witenbergensem in qua nihil quod ad sacras bonasque literas pertineat, desyderatur. Cuncta enim illic traduntur abunde. Doleo me factum esse quasi mutum, quod non possim vivo vocis actu verbum domini populis nunciare: verum expectabo quid mihi imperet dominus, & sustinebo manum ejus: interim vero, quantum potero nitar, ut vel saltem scriptis, tam latinis quàm vulgaribus cunctos ad evangelii synceritatem admoneam.

Habes lector ex compluribus admodum pauca, quæ animum meum admoverunt, ut à Minoritis sejungerer: sed mihi sufficiat nunc vel breviter mei egressus rationem ostendisse. Hoc totius negocii tantum præludium erat. Habebis post dies aliquot, nostros in eorum regulam commentarios, in quibus paulò manifestius rem omnem intelliges. Tandem ut sciant omnes, quid propositi mei atque sententiæ sit, hæc tria paucis accipiant.

PRIMUM, Quia olim seductus, & quid agerem penitus ignorans, votum emisi, à professione Christiana plurimum dissentiens: omnibus Minoritarum inventis abrenuntio. Sanctum Evangelium, & meam & omnium Christianorum regulam necessariam esse cognoscens.

Secundum, Revoco, quicquid aliquando ubilibet terrarum prædicavi, sacri Evangelii simplicitati non per omnia consentiens. Obsecro autem omnes qui me aliquando prædicantem audierunt, aut scripta mea legerunt, ut omnia rejiciant, quæ veritati nunc revelatæ minime conveniunt. Verum confido in eum qui me à captivitate plusquam Ægyptiaca eduxit, quod illius auxilio tractatibus & libellis universa errata mea reparabo abunde.

Tertium, Quia nullus potest ad veritatis cognitionem pertingere, nisi à papa Antichristo dissenserit: ideo illi & omnibus decretis illius abrenuntio, nolens sui regni apostatici particeps esse: sed volens ab illo perpetuo esse excommunicatus, cum sciam, idem regnum esse à Deo excommunicatum & maledictum. At de his paulò pluscula alio libro tractabimus ad gloriam domini nostri Jesu Christi: cui sit honor & gloria in secula seculorum, Amen.

Num. V.

Huldrici ZWINGLII Epistola ad Petrum Sebevillam Ecclesiasten Gratiopolitanum

ex Zwingl. & Oecol. Epp. Lib. IV. fol. 190. b

GRatia & pax à Deo & Domino nostro Jesu Christo. Si bonis ad bonorum convivia licebat etiam non vocatis accedere, doctiss. juxtâ ac piissime Petre, ut est in proverbio: quanto magis Christianum etiam longissime dissitum Christiano convenire licebit? Quorum una fides est, baptismus unus, spiritus idem, idem ejusdem pietatis studium. Hinc factum est ut ignotus ignotum, itidem quod ego nunc facio, bene habere precatus sis, atque id literis ad Annemundum Coctum missis, virum ut genere doctrinaque clarum, ita pietate humanitateque longe clariorem. Qui ut nihil antiquius amicitia pietateque inter humana ducit, sic vicissim suopte quodam jure (nam tanti viri imperio lubentes volentesque cessimus) compulit incultas istas ad te dare literas: quibus futurum sperat, ut amicitia secundis avibus cœpta, eodem auspicio in diem magis ac magis crescat. Sed in eum modo usum, ut pura illa veraque Christi religio amplictur: quam, quis non videt hypocritarum versutia longo jam tempore ita esse fœdatam, obscuratam, laceratam, ut parum abfuerit ne in universum excinderetur? Sed Dominus

Saba-

Sabaoth pauxillum ſeminis reliquit, quo ſegetem uberrimam redituram ſperamus. Eadem enim eſt cœleſtis grani vis, quæ ſynapis, quod omnium ſeminum eſt longe minimum: huc tamen venit, ut arboreſcat, & avibus cœli variis ventorum ſeditionibus jactatis ſedem firmam hoſpiciumque tutum exhibeat. Semen hoc, ut Chriſti verbis utar, eſt verbum Dei. Quod tametſi dum aliàs aliò cadit, parvum: ubi tamen in terram bonam ceciderit, fructum abundantiſſimum refert: quamvis & hunc numero potius quàm ingenio diſparem. In hoc inquam verbo requiem vitamque inveniunt miſeræ mortalium mentes, quæ non modo hujus immundi mundi tumultibus, verum inſidiis etiam ſpiritualium nequitiarum divexantur: hocque adeo, ut juxta Prophetæ verbum, conſolationem non recipiant, niſi poſtquam Dei memores factæ fuerint. Renuit, inquit, conſolationem accipere anima mea: recordatus autem Dei, lætificatus ſum. Quæ enim per immortalem Deum, firmitas aut conſolatio in verbo hominis eſt? cum omnis homo ſit mendax. manifeſtum igitur fit, humanam mentem non alia ratione tranquillam reddi poſſe, quàm uno ſoloque Dei verbo. Hoc tu recte facis, quum nitide, pure, ſanćteque predicare in animum ducis, quemadmodum literæ ad Annemundum datæ indicant. Idque non ſine Theſeo, ut dicitur. Nam caro & ſanguis hoc tibi non revelarunt (hæc enim jubent, ut ſe audiamus) ſed pater cœleſtis animum ſic tuum ad ſe traxit, ut ejus jam verbo fidens, alios quoque ad hanc ſecuritatem cupias pertrahere. Verum heus tu, ædificandi conſilium ne capias, ni prius ſedens impenſam omnem ſupputaveris: alioqui à filiis hujus ſeculi, dum in medio fervore opus fuerit, ipſeque rerum inopia ab eo revocatus eris, ad hunc rideberis modum: Hic homo cœpit ædificare, & abſolvere nequivit. Quæ te contumelia, niſi vehementer incalueris, manum ab aratro retrahere, inque ſalis lapidem converti faciet: ut ſal deinde fias, qui ingenium amittens, plusquam fatuum eſt? Sunt autem adverſus hos hoſtes opes, arma, comeatusque parandi. Primo contra Antichriſtum, qui ut ſe extulit ſupra omnem cultum, ita Deus dici amat, & verbum ſuum Numinis loco vereri præcipit, tametſi plusquam δὶς διὰ πασῶν à verbo Dei diſſideat. Si nunc fi-

 delis

delis Domino tuo minister esse cupias, huc adigère, ut istum odio habeas: nisi duobus dominis servire alicubi didiceris, aut amicitiam aliquam inter Christum esse & Belial. Istum si odio habeas, cogeris ante omnia male audire, hæreticus dici, ignes, mortes & dira supplicia intentari videre: ac paulo post, nisi ad ejus partes concesseris, experiri. His enim armis probe instructus est: gestitque non velitarem, sed statam cum Christi ministris pugnam conserere. Satis enim jam exasperatus est, tantum enim rei & copiis ejus, dum aliquandiu prædicatum est Evangelium, decessit, ut in desperationem rerum omnium adactus, ultima experiri cogatur. Hic animum explora tuum, & humeros examina, quid queant, quid ferre recusent, senties mox te tam gravi adversario imparem. Ad hæc adde alios innumerabiles qui contra te dimicaturi sunt hostes, inveteratæ, sed pessimæ consuetudinis: Patres, sed qui vitrici ferè sunt; nam verbum Dei crebro juxta libidinem affectuum suorum detorserunt. Principes, qui bis insaniunt, dum secundum hoc quod veram pietatem ignorant, nihil aliud quam tumultuantur. Unde in gregem Christi facile extimulari poterunt, Mundus totus, κακοδαίμων, & malorum examina simul omnium. Hæc inquam omnia tibi, antequam telam ordiare, expendenda erunt: ne in media pugna remittas brachia, & fugæ præsidium quæras, nam sic fieret, ut postrema deteriora primis redderentur. Jam te, si bonus orator essem, & tu carnalis esses, ad desperationem nimirum adegissem, ut jam latebras potius meditareris quàm concionem. Sed non patitur hoc qui te extimulat Christi spiritus, qui ejusmodi malis animum acuit potius quâm retundat. Age igitur optime vir, & tu in Galliis vestris Christiana armatura munitus in publicum prodeas, sublataque instar tubæ voce Evangelium Christi invitis omnibus puppis & Papis prædices. Christus classicum cecinit, impressionem in Pharisæos, Scribas & hypocritas facturus. Quis dexteram ad prælium non armabit? Leo rugiet, inquit Propheta, quis non metuet? Christo per ministros suos detonante, quis ex hostibus non pavebit? imò dispeream, si non in totis castris illorum trepidatur: adeo vertuntur, rotantur, ambigunt, ut quid consilii secuturi sint, nondum exploratum habeant.

beant. Nam si Christi gregem mactare per seductos Principes cœperint, verentur ne sic aperiatur fenestra, ut in se quoque paulo post irruatur. Si vero scripturæ obsistere tentent, conscii sibi violentiæ quam ei faciunt, toti frigent ac concidunt. Quid igitur in ignavos non irruimus, uno illoque satis forti verbi Dei præsidio fulti? Is enim Antichristum interficiet spiritu oris sui. Stat â nobis Christus, quis contra nos? simus licet Samia vasa, nemo tamen confringere nos poterit, quandiu nobis Dominus adest: aderit autem ex verbi sui certa promissione, qua pollicitus est, se nobiscum mansurum usque ad mundi consummationem, jussitque securos esse quum ad Reges & Præsides illius causa trahamur: daturum enim esse & sapientiam & eloquentiam, cui omnes adversarii non poterint resistere. Quid igitur adhuc cunctamur? victoria in manibus est, an eam decerpere piget? Cœlum & terra transibunt citius quâm Dei verbum. At is victoriam promisit: recipi igitur non potest, ut non vincamus, quin hoc potius dixero, nos alia ratione vinci nos posse, quàm si conatus non pigeat. Tenera, non ignoro, ut nos caro dehortetur: sed cogitandum iterum atque iterum nobis est, quod versutus ille κακοδαίμων semper nos illius occasione suadelaque seduxit: ac dum illa labores ærumnasque refugit, nobis ocyus ab ejus blanditiis fugiendum est, auresque Ulyssis in morem obserandæ, ne forte ei cedamus. Quæ etiam major infelicitas nobis accidere poterit, quàm si proditrix caro partium suarum fecerit, ubi toti nihil aliud quâm caro futuri essemus, ac subinde quoque nihil aliud quâm beluæ? Partium autem ejus sumus, si spiritum illius gratia prodimus, tum autem spiritum prodimus, quum non omnibus nervis Deo, illiusque verbo fidimus: in eo enim solo spiritus vivit. Quod enim tam juratum est creaturæ verbum, quod non fallat? Hæc igitur & his longe tum robustiora, tum diviniora tecum reputans, doctissime Petre, animaberis non modo cum Antichristo ac pacis principibus, sed cum universo simul orbe certamen subire, siquidem cœlestia ambis: ea enim solis eis eveniunt, qui terrena negligunt. Ante omnia igitur opus est ut te ipsum abneges, ac quotidie moriaris. Id autem tuopte Marte non poteris: ad unam igitur Dei misericordiam confugiendum,

dum, & illic flagitandum, ut vias tuas dirigat, mentem illustret, cor excitet, ut illius gratia nihil non tum audeas, tum quo pacto fieri oporteat ſcias. Proderit & illud Evangelium Chriſti prædicare molienti, ut rejectis omnibus præſumptis opinionibus & doctrinis, hoc conſilio ad literas vere ſacras accedat, ut eas præceptorem habiturus ſit, non diſcipulum. Nam qui ſic accedunt ad eas, ut hoc ſolum quærant, quod opinionibus ſuis adſtipulent, vim eis facturi ſunt, & conſtupraturi. Qui vero contrà, ſic ad eas adeunt, ut illinc cœleſtis conſilii mentem auferant: ut doceantur, non ut doceant, hi denique cum multa fruge recedent. Vides in Chriſto, Frater, quantum brevi pietas Chriſti in Germania profecerit? Ea non minus promotura eſt & apud veſtros, ſi id à Domino petieritis. Peti vero gaudet: eſt enim animarum amans, ac zelotypus. Hæc, ut tandem finiam, huc tendunt, ut Evangelium intrepide velis apud tuos profiteri: quod precor faxit Deus Opt. Max. Nam frigida iſta, & plusquam temporaria epiſtola, plane ſcio quàm nihil poſſit: tametſi eam Annemundus noſter tum amicitiæ jure, tum candore iſto ſuo, quo nobis plusquàm par ſit tribuit, extorſerit. Proinde nobis jam ut amico utere, ac ſi id nimis eſt, ut diſcipulo. Et perſuade tibi, Zuinglium tuum futurum, dummodo te Chriſti eſſe audimus. Vale, & confortare in Domino, & in vi potentiæ illius, qui te ſervet incolumem. Ex Tiguro. 13. die Decembris. Anno 1523.

Num. VI.

Petri VIRETI Epiſtola ad Eccleſiam Monpelienſem

A. 1562. d. 12. Januarii.

QUantumvis non deſint, qui veterem nobis quotidie occinunt cantilenam, ſeditioſa fuiſſe Reformatorum noſtrorum molimina, ipſamque quam dicimus Reformationem, plurimam partem, cumprimis in Gallia, tumultuoſè fuiſſe inchoatam, promotam, perfectam, & tandem aliquando confectam; Tamen,

Tamen, quam penitior Historiæ Ecclesiasticæ inspectio probet contrarium, à nostris non ostensum est solummodo sed & evictum. Inter reliqua superioris ævi monumenta, & hæc *Petri* VIRETI Reformatoris, eximii, cujus imaginem in hoc opere §. XIII. seq. p. 37—40. repræsentavimus, Epistola ad Ministros *Ecclesiæ Reformatæ Monpeliensis* data d. 12. Januarii anni 1562. (sive juxta eorum temporum supputationem 1561,) commonstrat, quam ab omni plane seditione civili, & tentaminibus in Regem vel Rempublicam infestis, alienissimi fuerint sancti illi nostri Reformatores, licet vel maximè præcipiti sæpe consilio in transversum fuerint acti tot miseriis & irritati & fracti confessorum animi.

Quidquid sit, hanc Epistolam scriptam fuisse patet, quando *Edictum* illud, quod ordinariò à mense quo editum est, *Januarium* dici consuevit, A. 1562. publicatum, & quo ante omnia injungebatur. „ Ut Protestantes Ecclesiasticis, quæ ex eorum templis, ædi-
„ bus &c. occupaverant ceperantve, quam primum restituant.
„ Ceterum, ut nihil gravius in eos statuatur, qui conciones, dum-
„ modo eæ extra urbes habeantur, adierint aut frequentarint, quin
„ potius, ut magistratus eos protegant, & ab omni injuria defen-
„ dant, in seditiosos utriusve religionis sint, severissimè animadvertant„ &c. v. THUAN. Histor. Lib. XXIX. C. VII. fol. 158. *Tum enim Ministri* (uti fol. 159. infit Thuanus, non obscurè alludendo ad hanc Epistolam) ... *ad suos scribebant*, *& ut beneficium illud ab optimo principe profectum actis Deo gratiis amplectantur*, *& ante alia in templorum ceterorumque bonorum*, *quæ ecclesiasticis ademta erant*, *restitutione se morigeros præbeant*, *hortabantur*, *neque enim id ipsos tam gravate facere debere*, *quam temeritatem suam ingenuè agnoscere*, *qui privata auctoritate in alienam possessionem invaserint*, *neque expectandum duxerint*, *dum Deus*, *qui religionis causam regit*, *ipsis præiret*.

Conservavit autem hanc nobis Epistolam Theod. BEZA in Histor. Eccles. des Eglises Reformées de France Tom. I. pag. 886. seq. Ea ita se habet:

* * *
* *
*

A mes bons Seigneurs & honorés freres des Eglises du Languedoc assemblés au colloque de Montpelier, grace & paix par Jesus Christ nostre Seigneur: Mes chers & honores freres, messieurs les conmis qui ont esté enuoyés à monsieur de Crussol par le colloque de Montpelier, m'ont exposé en allant à leur charge & à leur retour, la response que leur esté faite, qui est telle que ie l'attendois.

Or, puis que cela est arresté pour le present qu'il faut rendre les temples & les armes, nous n'y pouvons contrevenir sans premierement desobeïr à Dieu & estre tenus pour mutins, seditieux & rebelles, sans irriter grandement le Roy & son conseil, & inviter monsieur de Crussol lieutenant du Roy en ce faict a user de force & de rigueur contre nous, au lieu qu'ils ont bonne volonté de nous accomoder, & nous tenir en leur sauvegarde & protection contre nos adversaires: car il n'est pas question du faict principal, mais seulement de l'accessoir, veu qu'il ne nous est pas defendu de nous assembler, & de faire tout ce qui appartient au vray seruice divin en nos assemblees, mais seulement d'occuper les temples, voire à telle conditionque nous avons promesse que lieux commodes nous seront ottroyés pour nous assembler & cecy par authorité du Roy: lequel poinct est bien à noter: car jusques à present nos assemblees n'ont point esté authorisees par l'authorité du Roy, comme elles le seront à present, puisque nous auons de sa part declaration manifeste de sa volonté, ce que nous n'auons eu par cy devant sinon comme par une permission, ou à parler plus clairement, comme par une connivence & dissimulation de ce qui se faisoit par nous & par tous ceux de nostre religion.

Nous avons donc bien à louer Dieu de la grace qu'il nous fait, & notamment de ce qu'on dissimule beaucoup de choses qui ont esté faites temerairement par les nostres, lesquels ne pouvoient eschapper que pour la vie si les Edicts du Roy estoient executés à la rigueur. Et le pourroient estre à la verité, si par l'obeissance maintenant requise de nous ne reparons aucunement les fautes commises par trop grande temerité & licence de ceux qui les ont commises: car quand tout sera bien

bien advisé, ce seroit une chose fort dangereuse, s'il estoit permis aux peuples de s'esleuer de leur authorité pour entreprendre choses si grandes, & usurper à eux la puissance, l'authorité, & execution, qui n'appartient qu' au Roy & aux magistrats deputés par iceluy, suivant la voye ordinaire qui nous est monstree és sanctes Escritures.

Car il y a autre raison és vocations extraordinaires sous l'ombre desquelles il est fort dangereux de rien entreprendre sans estré bien asseuré de la volonté de Dieu, voire par special tesmoignage d'iceluy, veu que nous n'en avons point de bien evident és sainctes Escritures quant à nostre particulier, si non des vocations ordinaires.

Nous avons donc dequoy louer Dieu de ce qu'il luy plaist nous faire ainsi supporter & espargner, a fin que le plus gros de la tempeste tumbe sur nos adversaires. Parquoy nous devons estre tant plus promts à obeïr, veuque nostre obeissance, non seulement nous servira pour couvrir les fautes passées, & nous acquerir plus de faveur envers les grands personnages qui desia nous favorisoient, mais aussi leur donnera plus grande occasion pour bien venger nos adversaires, & chastier ceux qui entre eux le meritent. „ Pour ceste cause, comme i'ay tousiours par
„ cy devant exhorté nos auditeurs à obeïr aux Edicts du Roy
„ en ce qu'ils le peuvent faire en obeissant à Dieu, & sans
„ contrevenir à leur devoir & office, ainsi ie les ay exhortés
„ à faire le semblable en ce qui est maintenant requis de nous,
„ veuque nous ne le pouvons refuser sans contrevenir à nostre
„ devoir & sans scandale, & sans mettre l'eglise & tous les fide-
„ les en grand danger, & faire grandement esiouir nos adver-
„ saires, qui desirent plus nostre rebellion par laquelle nous leur
„ pouvons ouvrir la bouche contre nous, que nostre obeissance
„ par laquelle nous la leur pouvons clorre. „

Je vous ay escrit ces choses un peu plus au long, pource que ie ne doute point que plusieurs ne trouvent ceste restitution fort dure & fascheuse, & pour un grand reculement du cours de l' Euangile, mais nous devons plustost avoir esperance que Dieu nous veut exalter en nous humiliant, & rabatre plus fort puis

apres les cornes de nos ennemis. Parquoy il ne nous faut point esmovoir à cause de leurs insolences, mais attendre patiemment la bonne volonté du Seigneur en nous gardant d'abuser de ses dons & graces, & en le servant & honorant comme il appartient, auquel ie vous recommande le priant qu'il vous gouverne par son sainct Esprit en toures choses, & qu'il vous ay tousiours en sa saincte garde & protection. De Nismes ce quinziesme de Januier M. D. LXII. Vostre frere & serviteurPierre Viret.

Num. VII.

Jacobi PAVANIS & *Math.* SAUNIER Theses à Sorbonistis condemnatæ.

Anno MDXXV.

DE *Jacobo* PAVANE, Veritatis Evangelicæ Confessore, & Jac. Fabri Stapulensis discipulo, in ipso Opere §. XVII. pag. 42. 43. diximus: Acta de his Propositionibus ejus habita in Collegio Sorbonæ, sunt inserta à Dom. d'ARGENTRÉ, ejus Collectioni *Judiciorum de novis Erroribus* Tom. II. p. 30-35. atque ita se habent:

* *
*

COdicem, qui deffensio dicitur, seu *Apologia* propositionum Jacobi Pouent, per Matthæum Saunier, ut fertur, compositum & ad nos Decanum & Facultatem sacræ Theologiæ in universitate Parisiensi transmissum per vos, Judices optimi, per Deputatos nostros diligenter visitari fecimus & inde extrahere minus rectas propositiones, quibus Juste consideratis & examinatis pro cujusque earum natura *Censuram*, modo qui sequitur, adjecimus.

Prima

Prima Propositio Jacobi Pouent.

Asseruit non esse Purgatorium.

CENSURA.

Asserere hanc propositionem, *non est Purgatorium*, est hæreticum.

Propositiones defensoris.

PROPOSITIO I.

La sainte Ecriture ne dit point qu'il y a purgatoire de nos pechés, que celui qui a esté fait par la mort & effusion du précieux Sang de notre Redempteur Jesus.

CENSURA.

Hæc propositio hæretica est, ut præcedens.

PROPOSITIO II.

Le second livre des Machabées n'est point du Canon, & des Livres approuvés par l'Eglise.

CENSURA.

Falsa est hæc propositio & temeraria, autoribus Hieronymo & Augustino.

PROPOSITIO III.

L'Eglise des Grecs n'est point rejettée ne reputée heretique, & toutefois elle ne reçoit point de Purgatoire.

CENSURA.

Quamvis quorumdam Græcorum error fuerit, nullum esse Purgatorium, certum est tamen, Catholicos Doctores Græcos Purgatorium conformiter ad scripturas posuisse.

PROPOSITIO IV.

Il est vrai-semblable que l'avarice des Prestres, qui a gâté l'Eglise, a introduit iceluy Purgatoire.

CENSURA.

Hæc propositio perperam & falso, Ecclesiastico statui detrahit, & quod prætendit fictitium esse Purgatorium, hæretica est.

PROPOSITIO V.

Judas Machabeus n'étoit point si saint homme, qu'il ne pust faillir: Mittendo Hierosolymam duodecim millia drachmas argenti, &c.

CENSURA.

Hæc propositio in virum sanctum contumeliosa, officio per Ecclesiam probato, & sacræ Scripturæ adversatur.

Secunda propositio principalis Pouent.

Deus nullum habet Vicarium.

CENSURA.

Hæc schismatica est & hæretica.

Defensor Matthæus Saunier.

Pour ce que Dieu est tout par tout, il n'a que faire de Vicaire, ou Lieutenant.

CENSURA.

Hæc ratio, qua defensor nititur salvare propositionem præcedentem, frivola est & ridicula, & ex ignorantia sacræ Scripturæ procedens.

Tertia Propositio Pouent.

Damnavit præcepta Ecclesiæ ob cujus rei signum ea evulsit e pariete.

CENSULA.

Hæc propositio, supposita ejus veritate, eum qui ita fecit, manifeste temerarium, arrogantem & schismaticum demonstrat.

Defensoris prima.

Jacques n'a point arraché iceux Commandemens du lieu là ou ils estoient attachez, pour déchirer, ou dépriser iceux, mais pour les déclarer au peuple, &c. iceux n'a point damné, ni vituperés: mais la mauvaise interpretation d'iceux, & la vaine & fole fiance en iceux, laquelle le temps passé ont preschée & annoncée au peuple les Prestres & les faux Prescheurs.

CENSURA.

Hæc propositio innuens populum Christianorum super intelligentia præceptorum Ecclesiæ hactenus male fuisse instructum, & va-

& vanam, ac stultam confidentiam habuisse in eorum observatione, seditiosa est, Prælatis Ecclesiæ, divini verbi prædicatoribus injuria; & ab obedientia eisdem Prælatis debita ipsum populum perniciose retrahit.

PROPOSITIO II.

Ce n'est point bien commandé de confesser tous ses pechez une fois l'an; car il est impossible à l'homme de confesser tous ses pechez, &c.

CENSURA.

Hæc propositio præceptum Ecclesiæ de confessione omnium peccatorum semel in anno impie damnans, falsa est, & a debita confessione fideles inique avertit; nec ratio quæ subditur proposito conducit; nec enim Ecclesia per hoc quemquam ad impossibile obligat.

Quarta propositio Pouent.

Non est nimium credendum Doctoribus Ecclesiasticis.

CENSURA.

Hæc propositio perperam & scandalose populo prædicata est.

Quinta Propositio Pouent.

Sprevit hanc Mariæ salutationem, Salve Regina mater misericordiæ, &c.

CENSURA.

Præclara illa antiphona, cum piissima sit & universalis Ecclesiæ ritu comprobata, quicumque eam spernit, se Virginis gloriosæ hostem, & ab Ecclesia Catholica alienum manifeste indicat.

Defensoris prima Propositio.

La dite Salutation ne fut jamais faite par l'Esprit de Dieu, pourtant que en icelle sont contenus d'aucuns blaspemes, qui sont directement contre Dieu & son honneur. Comme quand nous l'appellons *Reine de misericorde, nostre vie & nostre esperance*. Iceluy donc Jacques ayant un bon zele à Dieu son pere, tres-singuliere charité & amour, il n'a pû souffrir, que ce qui se doit à Dieu seul Createur de tout le monde, on l'attribuast

buast à une de ses creatures, comme en l'attribuant à la Vierge Marie. *Et post aliquanta.* Il se faut garder que l'honneur de toute chose, lequel se doit à un seul Dieu, on ne l'attribue à un Creature d'iceluy, comme font ceux qui appellent la Vierge Marie, *Reine & Fontaine de Misericorde, la Vie & Esperance des Chrétiens*; & en ce ils offensent, 1. Dieu, 2. la Vierge Marie, laquelle en son Cantique ne se repute aucune chose que une humble Chambriere, disant, &c. Tiercement, ils répugnent aux saintes Ecritures, lesquelles disent, que la seule misericorde & charité de Dieu a esté cause de nostre redemption & salvation par son Fils éternel. Quartement, ceux qui disent la Vierge Marie estre *notre Reine de misericorde, notre vie & notre esperance*, ce, ils donnent au peuple une fole foy. Pourtant Jacques a bon zele de Dieu, quand il assure estre blasphême, de appeller la Vierge Marie notre vie & notre esperance. Donc ne nous glorifions point en la Vierge Marie, mais en Dieu seul; & ne disons plus que icelle Vierge soit notre esperance & notre vie. Et en ce est vraye ladite Proposition de Jacques.

CENSURA.

Hæ Propositiones maligno spiritu, non Dei zelo excogitatæ, temerarie, falso & impie assertæ sunt: non enim Deo debitus honor subtrahitur per ea, quæ in eadem salutatione secundum sensum, in quo ipsam Dei matrem Ecclesia reginam misericordiæ, vitam & spem nostram appellat, Christiferæ Virgini attribuuntur; & in eo quod dicit blasphemias in eadem salutatione contineri, erronea est; & in eo quod prætendit non esse ita de beata Virgine, falsa est & blasphema.

Sexta Propositio Pouent.

Non sunt offerendæ candelæ cuidam sancto, aut sanctæ.

CENSURA.

Hæc propositio error est damnatus Vigilantii.

Defensoris prima Propositio.

Cette presente Proposition a esté approuvée, non point tant seulement par aucuns Docteurs, comme par saint Augustin, ainsi qu'il est écrit en son Livre, qui est intitulé, *de Civitate Dei*, mais

mais aussi par deux Synodes & Conciles, ausquels fut conclu, que les Images des Saints n'etoient autre chose que le papier des Idiots, &c.

CENSURA.

Mendaciter B. Augustino & sacris duabus Synodis impingit quod falsum est: Beatus nempe Augustinus sicut & sacræ Synodi imaginum adorationem debitam, aut sanctis impensas oblationes nunquam damnaverunt.

PROPOSITIO II.

Aus dits Conciles il fut conclu & expressément commandé aux Evêques, Prêtres, & Curez, que se gardassent que le simple peuple ne adorast, ne se mist à deux genoux devant celles Images, qui n'ont ni raison, ni entendement, mais sont choses inanimées, qui à cause de la poudre & de la fumée des chandelles (qui sont éteintes au Temple où elles sont) sont toutes noires & enfumées.

CENSURA.

Hæc propositio falsa est quantum ad primam partem, & sacrorum dictorum conciliorum intentioni manifeste derogat. Quantum vero ad secundam partem, impiissimi hominis & a ritu Ecclesiastico omnino alieni indicativa est.

PROPOSITIO. III.

Doncques Jacques non point ignorant de ces choses, voyant l'idolâtrie qui se faisoit au Temple de Touchain, il deffendit à une femme de ne porter de chandelles à une Image.

CENSURA.

Hæc propositio quantum ad hoc, quod defensor laudat prohibitionem factam per dictum Jacobum mulieri super oblatione candelarum, ac si idolatraret, prædictæ hæresi Vigilantii favet, & defensorem temerarium & sacrilegum comprobat.

PROPOSITIO IV.

Les Images des Saints & Saintes n'ont point d'yeux, & pourtant n'ont que faire de lumiere ne de chandelles, & qu'ils aiment autant qu'on leur portast des fetus, que des chandelles.

CENSURA.

Hæc propositio quantum ad ultimam partem, in qua dicitur: Que les Images n'ont que faire de lumiere, qu'il vaudroit autant porter un fetus, &c. in contumeliam sanctorum prolata, a sanctorum veneratione & populi devotione retrahens, Jacobum cum suo defensore impium demonstrat & schismaticum.

PROPOSITIO V.

Il vaut mieux abbattre les Images des Saints, que le simple peuple se abusist à icelles.

CENSURA.

Hæc propositio, innuens simplicem populum errare adorando imagines pro pio Ecclesiæ ritu, falsa est & sacris Conciliis adversa.

PROPOSITIO VI.

En portant des chandelles aux Images, vous démontrez que leur portez hommage, & qu'en icelles mettez votre esperance, qu'est un blaspheme contre Dieu, qui a dit par Isaye: Gloriam meam alteri non dabo.

CENSURA.

Hæc propositio quantum ad illam partem, in qua dicitur: Porter les chandelles aux Saints, est leur faire hommage, ex ignorantia damnabili & impio in Sanctos affectu procedit.

PROPOSITIO VII.

L'Ecriture Sainte ne vous commande point de prier les Saints pour interceder devant Dieu pour nous, mais qu'allez tout droit diriger vos Oraisons à Dieu, comme vous a promis le Fils éternel, en disant: Dicite Pater noster.

CENSURA.

Hæc propositio falsa est & impia, & in quantum prætendit orationes nostras non esse dirigendas ad Sanctos, est hæretica.

PROPOSITIO VIII.

Vous ne trouvez point aux Legendes des Saints, qu'un Saint se fust fié en un autre Saint; & que pour la priere d'un autre Saint, il se fust confié estre sauvê.

CEN-

CENSURA.

Hæc propositio, loquendo de confidentia sub Deo, manifeste erronea est, & ex ignorantia historiarum Ecclesiasticarum asserta.

PROPOSITIO IX.

S'il faut d'avant diriger ses Oraisons aux Saints que à Dieu, J. C. a failli, quand il a enseigné diriger ses Oraisons à son pere, & non point aux Saints.

CENSURA.

Hæc propositio ex falsa imaginatione procedit, quasi, orando Sanctos, Deus non rogetur.

PROPOSITIO X.

Jesus-Christ nous a commandé que nous allions à lui, non point à aucun, quand il a dit: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.

CENSURA.

Hæc propositio hæretica est: accedendo enim ad sanctos ad Dominum venitur.

PROPOSITIO XI.

Nous ne sçavons si les Saints oyent nos Oraisons, pourtant qu'ils ne sont point par tout comme Dieu; & jaçoit ce que notre bon Ange leur annonçast, toutefois nous ne trouvons point qu'ils fassent Oraisons particulieres plus à un, mais universelle, desirant la redemption de leurs corps, c'est-à-dire, que le nombre des Elûs soit accompli.

CENSURA.

Hæc propositio quantum ad primam partem, loquendo de cognitione fidei, hæretica est, nec ratio adjecta suffragatur proposito. Quantum est ad ultimam partem, qua dicitur Sanctos particulares, &c. hæretica est, ut præcedens.

Septima prepofito Pouent.

Missæ nihil juvant in remissionem peccatorem.

CENSURA.

Hæc propositio efficaciæ Sacramenti Eucharistiæ impie derogans, Scripturæ sacræ contraria est.

Defensoris prima Propositio.

Notre Seigneur a ordonné ce noble Sacrement pour les vivans qui le reçoivent, non pas pour les trépassez.

CENSURA.

Hæc propositio traditioni Apostolicæ repugnans, sanæ Scripturæ intelligentiæ adversatur.

Octava propositio Pouent.

Sufficit audire verbum Dei & parum est audire Missam.

CENSURA.

Hæc propositio, universaliter intellecta, falsa est & ab auditione Missæ fideles scandalose retrahit.

Defensoris prima Propositio.

Il vaut mieux ouir un bon Sermon, que ouir cent Messes.

CENSURA.

Hæc propositio sic indistincte posita, in contemptum & vilipensionem sacrificii Missæ seditiose asseritur.

PROPOSITIO II.

A la Messe, le simple peuple ne roçoit point de édification: car il n'entend point ce que les Prestres disent en chantant.

CENSURA.

Hæc propositio, innuens nullum provenire emolumentum audientibus Missam nisi verba Missæ intelligant, simplices ab audienda Missa irreligiose & schismatice revocat, & sapit hæresim.

PROPOSITIO. III.

Ce seroit grand chose, si on chantoit les Messes en François, & au langage du peuple, tellement qu'ils pussent entendre, comme l'on fait en Allemagne.

CENSURA.

Hæc propositio, celebrandæ Missæ usum ab Ecclesia Spiritu sancto inspirante institutum schismatice enervare contendit; nec verisimile est inclytam Germanorum Nationem tanti schismatis labe passim commaculari.

Nona propositio Pouent.

Bullæ & Indulgentiæ Papæ sunt imposturæ diaboli.

CEN-

CENSURA.

Hæc propoſitio falſa eſt, Eccleſiaſticæ poteſtati & Sedi Apoſtolicæ contumelioſa.

Defenſoris prima Propotio.

Il eſt vray qu'il n'y a autre qui remette les pechez que Dieu; car Notre Seigneur par cette propoſition: Quodcumque ligaveris, &c. ne donne point telle autorité & puiſſance à ſaint Pierre, mais d'excommunier & de jetter hors de l'Egliſe tous Fornicateurs, &c. & de délier iceux, s'ils retournent à faire vraye penitence.

CENSURA.

Hæc propoſitio quantum ad duas primas partes, quamvis loquendo de primaria poteſtate remittendi peccata vera ſit, loquendo tamen de poteſtate miniſteriali a Chriſto hominibus commiſſa (quam videtur negare defenſor) aperte falſa eſt. Quantum vero ad ultimam partem, qua prætendit defenſor nullam eſſe poteſtatem conceſſam Sacerdotibus remittendi peccata niſi abſolvendo ab excommunicatione, hæretica eſt.

Alia Propoſitio.

Icelle puiſſance à tous vrais Miniſtres d'Egliſe, & à tous vrais Predicateurs d'Evangile a été donnée.

CENSURA.

Hæc propoſitio ordinem Hierarchicum confundens hæretica eſt.

Alia Propoſitio.

Le Pape n'auroit nulle puiſſance de pardonner les pechez, s'il n'a le Saint Eſprit avec luy.

CENSURA.

Hæc propoſitio error eſt Valdenſium & Vvicleſiſtarum.

Alia Propoſitio.

Les trois Vœux ſont faits par une dévotion de la chair & du diable.

CENSURA.

Hæc propositio sanctorum patrum institutis & sacris Scripturis repugnat & ideo hæretica.

Decima Propositio Ponent.

Baptismus parum est, nempe signum quoddam; aqua quoque benedicta nihil est.

CENSURA.

Hæc propositio januam Sacramentorum baptismum vilipendens & similiter aquam benedictam prorsus nihil faciens, falsa est & impia, & ab aquæ benedictæ aspersione, necessarii quoque Sacramenti susceptione perperam revocat.

Defensoris Propositio.

L'ablution d'eau en Baptême n'est grand chose, laquelle seroit vaine, si la chose par elle signifiée n'étoit point en l'homme; c'est assez la foy, & ne seroit point necessaire, si la chose signifiée par elle y étoit bien enracinée dans l'homme.

CENSURA.

Hæc propositio quantum ad primam partem, impie baptismum contemnit. Quantum ad secundam falsa est. Quantum ad tertiam hæretica.

Alia Propositio.

Ledit Jacques tient encore, que ce n'est grand chose de l'Eau benîte; & qu'elle n'a point de vertu de faire fuir les diables, comme aucuns faux Prédicateurs ont inculqué aux oreilles du Peuple.

CENSURA.

Per hanc propositionem, defensor perverse & schismatice errorem Jacobi laudat & tuetur. Et quantum ad hoc quod dicit, ad expellendos dæmones nullam habere potestatem, impia est & hæresin sapiens, prædicatoribus quoque injuria.

Alia Propositio.

Après que par l'avarice des Prestres & Ministres d'Eglise, ladite Eglise a été gâtée, les Papes & Evesques ont institué qu'au lieu

lieu du Sacrement du Corps de Notre Seigneur on baillist au peuple le Pain benist; & au lieu du Sacrement du Sang de l'Eau benîte; & par ainsi l'on a privé les Fideles de ce noble Sacrement.

CENSURA.

Hujus propositionis prima pars contumeliose statui Cleri derogat; secunda vero, quantum ad hoc quod de aqua benedicta asserit, erronea est & diabolica inventio; ultima pars, qua asseritur fideles Laicos privatos esse injuste communione sanguinis, error est Wiclefi & Boëmorum.

Codex itaque ejusmodi propositiones complectens e Valdensium, Wiclefistarum, Boëmorum & Lutheranorum perniciosis erroribus extractus & confectus, tanquam impius, scandalosus, schismaticus & a doctrina Christiana omnino alienus, publice exurendus venit in Diœcesi Meldensi unde prodiit, & ipse *Jacobus Pouent*, & prædictus *Matthæus Saunier*, ad publicam prædictarum propositionum abjurationem viis omnibus juridicis debent locis opportunis compelli.

Acta fuerunt hæc in nostra Congregatione super hoc specialiter convocata in Collegio Sorbonæ anno Domini millesimo quingentesimo vicesimo quinto, die vero nona mensis Decembris.

Num. VIII.

Wolfgangi SCHUCH, Martyris, Epistola ad *Antonium*, Lotharingiæ Ducem A. 1525. data.

QUæ ad hujus Epistolæ illustrationem adtinent, in ipso Opere §. XIX. pag. 49. à nobis sunt enarrata: Conservavit eam *Henr.* PANTALEON in Parte II. Martyrologii ab Joh. Foxo adornati, fol. 55. & 56.

Illu-

Illustrissimo Principi D. Domino Antonio Lothariugiæ Duci. &c. Domino suo Clementissimo, Vuolgangus Scuch minister Christi felicitatem per Jesum Christum optat.

POsteaquam ad hanc tuam S. Hippoliti civitatem, clementissime Princeps, Deo disponente, perveni, reperi turbam, velut oves errantes absque pastore, vagabundam, multis errorum superstitionumque abominationibus miserabiliter perditam: cœpi mox juxta ministerium à Domino mihi commissum in viam revocare errantes, hortari prioris vitæ pœnitentiam, nam esse in propinquo regnum Dei, comminari securim ad arboris radicem positam, haud longè abesse ut præscindatur, qua sterili inventa in ignem conjici: tempus esse quo Dominus angelis suis, id est verbi sui nunciis missis, colligat omnia scandala è Regno suo, Matthei 13. Cœpi, inquam, mox ut boni agricolæ est, evellere quidquid spinarum atque errorum contra Dominum, ejusque verbum succreverat, demoliri, dissipare ac destruere omnem altitudinem, machinam ac munitionem adversus scientiam Dei erectam: plantare arbores, fructum suum in tempore suo reddere non tardantes: ædificare domicilium non transitorium & terrestre, sed æternum in cœlis, superædificatum fundamento Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu, in quo omnis structura coagmentata, crescit in templum sanctum Domino, in quo nos omnes coædificari oportet in tabernaculum Dei in Spiritu sancto, & ut apertius loquar, Missus sum ad tuæ Clementiæ populum, prædicare Evangelium Dei, quod ante promiserat per Prophetas suos in scripturis sanctis de filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem, virtus enim Dei est ad salutem omni credenti, in quo Dei justitia revelatur ex fide in fidem, sicut scriptum est, Justus autem ex fide vivit. Justitia Dei (qua coram Deo justi reputamur) per fidem est Jesu Christi in omnes & super omnes qui credunt in eum. Gratis nanque per gratiam ipsius justificamur per fidem, in sanguine ipsius, sine operibus Legis. Justifi-

cati

cati per fidem, pacem habemus apud Deum per Dominum nostrum Jesum Christum. Ipse enim factus nobis à Deo, sapientia, justitia, sanctificatio & redemptio, ut non glorietur sapiens in sapientia sua, fortis in fortitudine sua, dives in divitiis suis, sed qui gloriatur, in Domino glorietur. Hæc fides in Jesum Christum pro nobis mortuum, filios Dei nos facit, hæredes Dei, cohæredes Christi. Ob hanc in nobis instaurandam, unigenitus Dei filius, è sinu Patris ad nos emissus, sic enim Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Non enim misit Deus filium suum in mundum ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per eum. Qui credit in eum non judicatur, qui autem non credit, jam judicatus est. Porrò, quid aliud uspiam docuit Christus, quàm ut in eum credentes salvi fiant? quærentibus enim turbis quid facientes operarentur opera Dei. Respondit. Hoc est opus Dei ut credatis in eum quem misit ille. Hic clamat dicens, Si quis sitit veniat ad me & bibat, qui credit in me (sicut dicit Scriptura) flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Ad hanc fidem nemo venit nisi cœlestis Patris tractu: ut ne quis se fallat, quasi propriis hanc viribus paraturus: gratia (ait Paulus) estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est, non ex operibus, ut ne quis glorietur. Nec alia aut minor virtus est hanc in nobis creare, quàm qua Christus ex mortuis suscitatus & ad patris dextram in cœlestibus est collocatus. Hæc non otiosa quædam ac stertens in anima hominis qualitas est, ut finxerunt quidam, sed spiritu Dei in cordibus nostris effuso, efficax & operosa quædam virtus, plena operibus bonis, & iis non à nobis aut nostra prudentia excogitatis, sed à Deo electis & mandatis, hæc sunt charitatis non fictæ opera: Sic ait Apostolus. In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet neque præputium, sed fides quæ per charitatem operatur: Hæc sola veros à falsis Christianis discernunt; Ait enim Salvator. In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem; Et quid aliud mandat tot dulcissimis verbis toto sermone ultima Cœna facto? De his solis in die novissimo exiget rationem dicens, Esurivi & dedistis mihi quo vescerer

&c. ſplendentem verò operum quæ ipſi facimus larvam rejicit Dominus, cùm ait: Quis hæc petiit à vobis?

Proſequitur deinceps Schuchus eadem epiſtola (a) ad Principem Antonium pluribus hunc de vera fide, quam boni fructus ſequuntur, ſermonem: commendat & verbi Dei authoritatem, quod à Chriſto ejusque Apoſtolis acceptum, ſe quoque ſine fuco concionatum fatetur. Principi ante oculos ponit, idque eleganti ſervorum Dei, ac mercenariorum Papæ antitheſi facta, ſe adverſariorum impudentiſſimis imposturis inductum fuiſſe ut contra eos loqueretur, atque in eos inveheretur, qui nihil præter traditiones humanas prædicarent, & ventris cauſa, non quæ Chriſti, ſed ſua quærerent. Deinde refellit calumnias adverſariorum qui eum cum toto populo S. Hippolyti jugum obedientiæ, quæ magiſtratui debetur, excutere velle objectabant: idque validis argumentis è Scriptura petitis facit, non eſſe cur tale quid de ſe aut ſuis Princeps cogitet, cùm illa moneat paſſim, omni poteſtati à Deo conſtitutæ parendum: Cæſari dandum quod ſit Cæſaris. Poſtremò ſupplicat Duci, eumque per Deum obteſtatur, ut ipſum audiat, admonens eum (zelo, quo vir erat, ardenti atque prophetico ſpiritu) ſui officii, quia in cauſa ſalutis, inquit, ἀπροσωπολήπτως cum quibusvis ſit agendum. à Deo enim omnem principatum ſtabiliri: proinde illius, utpote ſupremi Regis, habendam præcipuè rationem, ne quid temere aut credat aut judicet. Atque ita humilem ſuam conditionem agnoſcens, excuſat ſe, quòd hanc epiſtolam humili quoque ſtylo ſcriptam, de materia quæ per ſe ſatis eſt ornata, ipſius Majeſtati obtulerit. Tandem ſummam & perpetuam optans Principi felicitatem finem epiſtolæ imponit. Actum in oppido S. Hippoliti Martyris 2 Januarii, Anno 1525.

Num.

(a) Ita breviter Epiſtolæ illius excerptum nobis ſuppeditat FOXUS l. c. quam integram lingua Germanica *Martyrologio ſuo* inſeruit *Ludovicus* RABUS Tom. V. fol. 144—152. & lingua Gallica, *Martyrologium Gall. Magn.* fol. 89—91.

Num. IX.

Desid. ERASMI Epistola ad Carolum Utenhovium (a) de Martyrio *Lud. Berquini* Anno 1529.

MAgnam nobis sollicitudinem exemit, mi *Carole*, qui te nunciavit incolumem pervenisse *Patavium*. Nam ex quo nos reliquisti, nemo literam abs te reddidit, nihilo plus à *Zebridovio*. Expectamus te posthac & pulchrè *Ciceronianum*, & bene *Græcum*. Jam quo minus te pœniteat istius profectionis, nos ad Idus Apriles toti commigravimus *Friburgum*. Ea res cessit opinione felicius. Mihi cogitanti quorsum essent evasura illa rerum indies novatarum prooemia, nihil læti præsagiebat animus; & hic offendi cœlum mirè amicum meæ valetudini. Postremò, si nihil aliud, effugimus, opinor, *Carcinos* & *Planodorpios*.

Lodovicus Berquinus proximis ipsius ad me literis promiserat, alias ad te scripturum. Eas literas nè frustra expectes: nam decimo Calend. Majas vitam morte commutavit, exustus *Lutetiæ* in *Gravia*. De causa nihil certi hactenus potui cognoscere. Tantum audivi Judicibus duodecim delegatam pronunciandi autoritatem. Quum instaret dies, hominem fuisse traditum carceri. Hoc parum felix augurium. Pronunciatum est, ut exustis libellis & abjuratis articulis, lingua illi ferro perfoderetur, mox perpetuo carceri dederetur. Is auditâ præter expectationem atroci sententiâ. Regem appellavit & Pontificem. Judices indignè ferentes appellandi verbum: Si non recipis, inquiunt, hanc sententiam, efficiemus, nè posthac quóquam appelles; & postridie pronunciârunt illum flammis tradendum. Ajunt, primum articulum fuisse, quòd scripsisset,

(a) Legitur hæc in Volumine Epistolarum ERASMI. Vol. II. p. 1206. seqq. Num. MLX. edit. noviss. atque in Editione Londinensi pag. 1277. —1282. Lib. XXIV. Ep. 4.

fiſſet, in rem eſſe pietatis ut ſacri libri in linguam vulgarem translati legerentur à populo, id quod ſenatus fieri vetuerat. Adhibiti ſunt ſatellites armati ſexcenti qui cohiberent ſi quid oriretur tumultûs.

Hæc qui retulit, præterea nihil certi potuit adferre, niſi quòd ajebat *Guilhelmum Budæum*, unum opinor è Judicum numero, triduo priusquam damnaretur, privatim egiſſe cum *Berquino*, ut ab inſanis, ut ajebat, erroribus reſipiſceret. Verùm hæc audivi tantùm, & quidem ab eo qui multa narrabat audita. *Montius* noſter, cujus religioſam nôſti fidem, nihil aliud auſus eſt ſcribere, niſi quod oculis ſuis cominus vidit. Aderat enim valde vicinus, quum curru veheretur ad ſupplicii locum. Nec vultu nec ullo corporis geſtu dedit ullum animi perturbati ſpecimen. Dixiſſes illum in muſæo de ſtudiis, aut in templo de rebus cœleſtibus cogitare. Nè tum quidem quum carnifex truculentâ voce crimen ac ſupplicium pronunciaret, quicquam de vultûs conſtantia mutare viſus eſt. Juſſus de curru deſcendere, nihil contatus deſcendit alacriter: Nec erat tale quicquam in eo vel audaciæ, vel ferociæ, quale in maleficis nonnunquam gignit immanitas. Relucebat in eo mentis ſibi bene conſciæ tranquillitas. Ante mortem verba fecit ad populum, ſed unde nemo quisquam potuit aliquid percipere. Tantus erat ſatellitum fremitus, quem datâ operâ putant excitatum fuiſſe. Quum ad palum præfocaretur, nullus è turba acclamavit nomen *Jeſu*, quod parricidis etiam ac ſacrilegis acclamari ſolet. Sic omnium animos in illum excitârant, qui nusquam non adſunt, & nihil non poſſunt apud ſimplices & imperitos. Eat nunc qui volet, & *Phormiones* iſtos laceſſito.

Aderat illi *Franciſcanus* quidam, quem adiit *Montius*, rem expiſcaturus num vel moriens agnoviſſet errorem. Is ajebat agnoviſſe, aſſeverans ſe nihil omninò dubitare quin anima illius tranſierit in quietem. At ego *Franciſcani* dictis nihil habeo fidei, præſertim quum hoc ſit iſtis ſolenne, poſt extinctum hominem ſpargere rumores, quòd in incendio cecinerit palinodiam, quo ſimul & vindicatæ religionis laudem auferant, & multitudinis invidiam calumniæque ſuſpicionem effugiant. Nam quum

Bruxel-

Bruxellæ primitias immolâssent exustis duobus monachis *Augustinensibus*, tertiò in carcerem reducto, & clàm interfecto, quum mira constantia mortem oppetiissent, quæ res Judicibus gravem movebat invidiam, sparserunt ridiculam fabulam, unum ex illis apparuisse cuidam *Augustinensi*, qui nunciaret animas illorum esse incolumes, quòd in extremis resipuissent, videlicet jam in ipso incendio. Idque factum precibus Virginis matris. Nam & pridie Visitationis exusti sunt, & *Nicolaus Carmelita* magno studio sacrificium hoc procurârat. Rogatus carnifex, ecquam pœnitentiæ vocem edidissent in rogo, negavit, sed quum ducerentur ad palum, clarâ voce testati sunt se mori *Christianos*, & alligati palo admoto igni canere cœperunt *Symbolum fidei*, mox *doxologiam*, *Te Deum laudamus*, donec flamma vocem intercluderet.

Habes *Berquini* conterranei tui fatum, cui mihi natus fuisse videtur. De causa, quoniam mihi prorsus ignota est, non habeo quod pronunciem. Si non commeruit supplicium, doleo, si commeruit, bis doleo. Satius est enim innocentem mori quàm nocentem. Illud non dubito quin sibi persuaserit esse pia quæ defendebat. Hinc illa vultûs tranquillitas. Verùm, ut scis, hominem de facie nunquam novi. Ex his qui propiorem cum illo habuerunt consuetudinem diligenter sciscitatus sum de singulis. Erant autem alioquï quod ád causam attinet *Berquino* parum æqui, qui ajebant illum annos natum plus minus quadraginta, *Berquinii* regionis dominum, censu modico, fermè sexcentorum quotannis coronatorum, laicum ac cœlibem, sed vitæ adeò puræ, ut nè rumusculus quidem impudicitiæ sit unquam in illum exortus; mirè benignus in amicos & egenos, constitutionum ac rituum Ecclesiasticorum observantissimus, putà præscriptorum jejuniorum, dierum sacrorum, ciborum, missarum, concionum, & si qua sunt alia quæ cum pietatis fructu recepta sunt. Alienissimus ab omni fuco, ingenio libero ac recto, quòd injuriam nec cuiquam facere vellet, neque à quoquam perpeti posset, duntaxat insignem. Ab instituto *Lutheri* plurimùm adhorrebat. Quid multis? Negabant quicquam esse in vita, quod non deceret *Christianam* pietatem.

Hoc ajebant in eo crimen esse gravissimum, quòd ingenuè præ se ferebat odium in morosos quosdam Theologos, ac monachos non minùs feroces quàm stolidos. In hos palàm debacchabatur, nec stomachum suum dissimulare poterat. Fuerat illi pridem nescio quid conflictatiunculæ cum *Guilhelmo Querno* Theologo. Hinc ἀρχὴ τοῦ πολέμου. Mox ex libello, quem opinor ediderat, decerptæ sunt aliquot sententiæ, quæ viderentur ad fidei negotium, ac perinde ad Theologorum cognitionem pertinere. Erant quantum memini hujus ferè generis. „ In concioni- „ bus incongruè beatam Virginem invocari pro Spiritu Sancto, „ nec aptè vocari fontem omnis gratiæ; & in cantico vespertino, „ præter Scripturarum consuetudinem, appellari spem & vitam „ nostram, quum hæc magis quadrent in Filium.„ Ob hujusmodi nænias ductus est in carcerem, reus hæreseos periclitatus est. At Judices, ubi viderunt causam esse nullius momenti, absolverunt hominem. Qui detulerant, jactabant eum elapsum favore Regis, ipse prædicabat se jure victorem, & apparabat libellum triumphalem. In hoc articulo rerum mihi primùm cœpit innotescere. Scripsit ad me de causa sua, déque judicio parum æquo, quod *Quercus* & *Bedda* tulissent de quibusdam scripsit meis. Ex epistola visus est mihi vir bonus. Admonui tamen amanter ac liberè, si saperet, premeret suum encomium, sineret crabrones, & suis se studiis oblectaret. Deinde, nè me involveret suæ causæ, quod utrique nostrorum foret incommodum. Ille ut habebat quiddam cum palma commune, adversùs deterrentem tollebat animos. Eam cantionem semel atque iterum occinui, sed surdo, vaticinans illi futurum quicquid evenit postea. Tametsi tam atrocem exitum non expectabam, magnum tamen omnino malum expectabam. Prorepserunt interim libelli clam excusi, quibus ex meis versis interjecerat sua quædam. Id ubi sensi, acriùs expostulavi cum homine: quòd nec prudenter ageret, sibi pariter ac mihi versiunculis ejusmodi conflans gravem invidiam, nullo fructu pietatis; nec satis amicè faceret, qui me plus satis gravatum, pergeret magis etiam aggravare. Si juvaret ipsum ejusmodi conflictatiunculis exerceri, mihi nihil minus esse cordi. Proinde suam causam sic ageret, nè mè admisceret. Ille sui similis respondit

me

me totâ errare viâ, quum diceret, non aliâ ratione magis conflatam invidiam posse opprimi, quàm si vulgus mea legeret. Tum enim deprehensum iri monachorum quorundam improbissimam vanitatem, qui suis sycophantiis, fucis, susurris, & malis artibus, plurimorum animos in me concitâssent. Addebat exemplum episcopi cujusdam viri non mali quidem sed illiterati, quem isti sic inflammârant in me, ut nè nomen quidem *Erasmi* ferre possit. Huic tradidisse se pacis querimoniam, *Gallicè* loquentem. Eâ delectatum Episcopum cœpisse in nos amico esse animo, & illos delatores vehementer detestari.

Interim *Beddaici* quidam collectis pluribus articulis, curârunt hominem rursus pertrahendum in carcerem. Horum aliquot ad me misit, simul cum censuris Judicum. Erant, ni fallor, monachi tres; Prior *Cartusianorum*, Prior *Celestinorum*, tertius nescio quis. Responsionem ad illum remisi, declarans quàm illic nihil videretur impium. Quum subinde mitteret nova capita, ad quædam respondi, quæ decerpserat è meis libellis, ad ea quæ ex se proposuerat, nunquam respondi. Quid multis? Monachi pronunciârunt in carcere sententiam definitivam, jámque nihil supererat, nisi ut exustis libellis, ac peractâ palinodiâ, reciperet præscriptam satisfactionem, quæ nunquam non immitis est à monachis, aut, si id recusaret, iret ad ignem. Ille vir fortis nè in uno quidem illis cessit, ac perierat, nisi quidam è senatu cordatiores, perspicientes rem calidis monachorum ac *Beddaicorum* odiis geri, respondissent, se totam causam à capite usque ad calcem denuò velle cognoscere, idque non sine fremitu eorum qui pronunciârant. Hoc enim nihil aliud videbatur, quàm illorum sententiam rescindere. Id favore regiæ matris procuratum autumant.

Dum hæc aguntur, Rex commodùm reversus est ex *Hispania*. Is admonitus *Berquinum* suum inter monachos ac *Beddaicos* periclitari, primùm per caduceatorem, mox per literas denunciavit senatui, nè quid temerè paterentur fieri in suum consiliarium, se brevi adfuturum, ac diligentiùs de toto negotio velle cognoscere. Aliquanto post exemptus è carcere, servatus est in aula satis commoda, nihilominus sub custodia.

Tan-

Tandem suæ libertati redditus est, quo posset faciliùs suæ causæ consulere. Ibi dictu mirum, quantum fiduciæ conceperit animo. Non enim solùm promittebat sibi absolutionem, verum etiam victoriam, & quidem speciosam. Ajebat victoriam esse in manibus, sed malle seriùs aliquanto finiri causam, quo magnificentiùs triumpharet. Jámque mutatis vicibus, ipsam Facultatem sacratissimam, monachos & *Beddaicos* reos peragebat impietatis. Nam quædam arcana deprehenderat in illorum actis. Quo magis sibi placebat, eo magis timebam homini. Proinde crebris epistolis hortatus sum, ut vel arte quapiam semet extricaret à causa, putà curarent amici, ut prætextu regiæ legationis longiùs proficisceretur: fortassis Theologos passuros ut causa tempore evanesceret, nunquam passuros ut impietatis crimen, quod illis objiciebat, agnoscerent. Etiam atque etiam cogitaret qualis excetra esset *Bedda*, quótque capitibus efflaret venenum: Tum expenderet, sibi cum immortali adversario rem esse; Facultas enim non moritur: simul illud cogitaret, qui cum tribus monachis belligeratur, eum cum multis phalangibus habere rem, non solùm opulentis ac potentibus, verumetiam improbissimis, & in omni malarum artium genere instructis. Illos non conquieturos, donec ei procurâssent exitium, etiamsi causam haberet meliorem quàm habuit *Christus*, neque plus satis fideret Regis præsidio. Principum enim favores esse temporarios, ac delatorum artibus facilè in diversum trahi illorum affectus. Postremò, ut nihil horum accidat, magnos etiam Principes vel delassari talium improbitate, vel metu nonnunquam cogi, ut cedant, præsertim cùm *Franciscus* Rex, ipse quidem humanissimus, parùm secundis fortunæ flatibus uteretur: Non esse tutum, quamvis imbecillem hostem contemnere, nedum tam multos ac tam potentes. Obtestatus sum, ut si suam incolumitatem pro nihilo duceret, vir doctus ac bonus, certè se servaret studiis & amicis, quibus intolerabilem excitaret invidiam, si quid secus quàm vellemus accidisset. Quòd si nihil horum moveret illius animum, certè suam causam ageret seorsum; me neque cum monachorum agminibus, neque cum Theologica facultate velle habere dissidium, si modò liceat. Quæris, quid profecerim? Tot
modis

modis deterrens, addidi animum. Interim veteris comœdiæ licentia ferebatur in monachos ac Theologos, præsertim in *Syndicum Beddam*, ac propemodum πρὸ τῆς νίκης ἐγκώμιον peragebat. Mox impetratum est à Rege, ut *Beddæ* libros in *Fabrum* ac me scriptos distrahi vetaret.

Ad hæc impetratæ sunt Regis ad Theologicam facultatem literæ, ut duodecim articulos qui in *Beddæ* libris viderentur habere manifestam impietatem, atque adeò blasphemiam, aut damnarent omnium suffragiis, aut sacrarum Scripturarum testimoniis comprobarent. Hæc quum illi pollicerentur certam victoriam, ego respondi nihil aliud esse quàm irritamenta hostium, qui suâ sponte plus satis insanirent. Nam frigidum Regis edictum obfuit etiam *Fabri* meæque causæ: Eo siquidem factum est, ut liber clàm distractus non nisi in hostium manibus versaretur; ac, nè quid haberet detrimenti typographus, in *Germaniam* & *Angliam* deportaretur. Ipsum autem vehementer errare, si crederet talibus nugis adversarios opprimi posse. Nihil profeci monitor, nisi quòd illi magis ac magis accrevit fiducia.

Interea prodiit edictum gymnasiarchæ, nè magistri collegiorum discipulis prælegerent mea Colloquia. Hic sibi pollicebatur futurum, ut tantâ contumeliâ provocatus, causam operâ communi capesserem; ac subornavit quendam, qui me vehementibus literis eodem provocaret, victoriam esse in manibus, nec defutura magnatum auxilia. Nunc esse tempus ut Theologis in posterum omnis detraheretur autoritas. Ambobus respondi, me demirari illorum animos, qui crederent, me, relictis omnibus negotiis, per omnem vitam velle cum Theologica facultate contendere: imò sic potiùs animatum esse, ut citiùs passurus sim meos libros præter æquum ab illis damnari, quàm hâc ætate, quæ flagitaret quietem, sine fine belligerari. Et, si meæ potestatis esset, malle efficere ut omnes plurimum tribuerent Theologorum autoritati, quàm ut nemo quicquam illis crederet.

Omnibus epistolis inculcavi, meum animum mihi nihil lætum præsagire, utcunque ille sibi plauderet, animadvertere spes illi adesse mirè pertinaces, sed miserè timere, nè fallacissimas: fiduciam adesse strenuam, sed mendacissimam. Obtestabar ut sibi con-

 suleret,

soleret, si sibi charus esset, profugeret potiùs aliquò, vel in *Germaniam*, ubi nulli facessitur negotium ob hujusmodi articulos, nè apud orthodoxos quidem, nisi si quis palam profiteatur populúmque commoveat. Addebam, me jamdudum pigere nostræ amicitiæ, quæ mihi plus mali conciliâsset, quam multorum capitales inimicitiæ. Hæc toties occinens nihil profeci. Post hæc tamen rarius ac frigidiùs ad me scripsit, præsentiens, opinor, non omnia præclaris illis spebus responsura. Equidem dolebam hominis fatum, quem arbitror, si quid erravit (causam enim, ut dixi, non novi) persuasione errâsse, non malitiâ. Sed quid facias homini ultro morti devoto, & suo jumento, quod ajunt, sibi exitium accersenti? Imposuit illi sua fiducia, nocuit ingenuitas, neque minùs nocuerunt quorundam inepti tumultus, qui ad quamvis occasionem gestiunt ac triumphant. Ut igitur his coërcendis profuerit mors *Berquini*, ita periculum est, nè *Beddis* suâ sponte plus satis insanientibus nimium accedat animorum.

Inter errores & hæreses varia sunt discrimina: neque parum interest inter eum qui persuasione seductus est, & eum qui malitiosâ pertinaciâ tuetur impium dogma. Rursus, refert simplicitérne quis erret, an colligendâ factione turbet publicam tranquillitatem. Ob quemlibet errorem exuri hominem novum exemplum est, ac miror unde petitum. *Gallorum* tamen religiosam mentem vehementer approbarem, si quantum nunc propendet ad superstitionem, tantum valeret judicio spirituali. Certè hactenus se præstiterunt *Romano* Pontifici frugi mancipia. Digni Principibus optimis, qui qualescunque contigerunt, bonâ fide serviunt. Et tamen fortassis in hanc partem peccare præstat, quàm effrenem licentiam moliri, quam in aliquot *Germaniæ* civitatibus exoriri videmus, in quibus Pontifex est *Antichristus*, Cardinales creaturæ *Antichristi*, Episcopi larvæ, Sacerdotes porci, Monasteria conventicula Satanæ, Principes tyranni. Summa rerum est penes plebem Evangelicam, sed armatam, & ad pugnandum quàm ad disputandum instructiorem.

Tantum habui, quod de *Berquino* scriberem, qui si decessit cum bona conscientia, quod admodum spero, quid eo felicius? Damnari, dissecari, suspendi, exuri, decollari, piis cum impiis sunt

ſunt communia. Damnare, diſſecare, in crucem agere, exurere, decollare, bonis Judicibus cum piratis ac tyrannis communia ſunt. Varia ſunt hominum judicia. Ille felix, qui Judice Deo abſolvitur. Bene vale. Datum apud *Friburgum Brisgoæ* Calend. Juliis. Anno milleſimo quingenteſimo vigeſimo nono.

Num. XI.

Articles veritables ſur les horribles grands & importables abus de la Meſſe papale:

A. 1534.

ANni MDXXXIV. tempus cum ad varios rerum & ancipites eventus plerisque in locis, tum Lutetiæ maximè inſigne & fatale fuit. Nam cum *Gerardus Rufus* Margaritæ, Franciſci (a) Galliæ Regis Sororis, Reginæ Navarræ auſpicio, & *Couraldus* & *Berthaudus*, aliique clariſſimi viri quidem ita demum Evangelii veritatem enunciarent, ut tum primum illuxiſſe Lutetiæ verbum domini videretur: Evangelii perduelles Sorboniſtæ, quum horum hominum in dicendo virtutem & concurrentis illo populi celebritatem & frequentiam animadverterent, expugnaverunt ut illis ſuggeſtus interdiceretur, graviſſimo dolore eorum, qui ex hujusmodi concionibus plurimum ſe conſecutos eſſe arbitrabantur. Illi tanta injuria Reip. Chriſtianæ commoti, concionem in privatam & domeſticam docendi rationem æquali ferè ſucceſſu profectuque converterunt, quod ipſum quoque pertæſi hoſtes jurati veritatis, rurſum obtinuerunt, ut de concionibus interdictum etiam ad domeſticam Evangelii profitendi & in præcepta dirigendi conſuetudinem indicta gravi mulcta pertinere

(a) Ita in *Actis Martyrum* CRISPINI in 4. editis 1560. fol. 64. b cauſa refertur, quæ his Articulis propalandis ſubminiſtravit occaſionem. conf. *Operis noſtri* §. XXXIV. pag. 100. & ſeqq. pag. 95. & BEZA in *Hiſtoire Eccleſ. des Egliſes Reformées* Tom. I. p. 15. 16.

re putaretur. Quo nomine *Gerardus* ipse comprehensus, *Coraldus* in custodiam pontificiam traditus fuit. Porrò fideles destituti concionibus, defecti Doctoribus, in luctu & squalore versabantur: Unde impetu quodam animi præcipiti commoti magis quam ut seriò rem ad animum revocarent, eò sunt prolapsi nonnulli, ut se reciperent *Genevam* atque *Neocomum* (Neufchatel) ibique Programmata quædam in Missæ deliria & rituum papisticorum ludibria typis excuderent, atque satyrico salve consperfos *articulos* quosdam ederent, eosque deinceps Lutetiam deportarent, & invitis licet Evangelii ministris, compitatim eas affigerent, successu sane quod ex Historia à nobis l. c. enarrata liquet infelici: Hos Articulos interea informam Protestationis solemnioris conscriptos cum nobis ab interitu servaverit *Martyrologium magnum Gallicum* editionis Genev. 1597. fol. inde eos depromere propter rei memoriam visum fuit. Leguntur autem ibi fol. 105. & seq. hunc in modum.

* * *

* *

*

J'Invoque le ciel & la terre en tesmoignage de verité, contre ceste pompeuse & orgueilleuse Messe Papale, par laquelle le monde (si Dieu bien tost n'y remedie) est & sera totalement desolé, ruiné, perdu & abysmé: quand en icelle nostre Seigneur est si outrageusement blaspemé, & le peuple seduit & aveuglé ce que plus on ne doit souffrir ni endurer. Mais afin que plus aisement le cas soit d'un chacun entendu, il convient proceder par articles.

¶ Premierement, à tout fidele Chrestien est & doit estre tres-certain, que nostre Seigneur & seul Sauveur Jesus Christ, comme grand Evesque & Pasteur eternellement ordonné de Dieu, a baillé son corps, son ame, sa vie & son sang pour nostre sanctification, en sacrifice tres-parfait: lequel sacrifice ne peut & ne doit jamais estre reiteré par aucun sacrifice visible, qui ne veut entie-

entierement renoncer à icelui, comme s'il eſtoit ſans efficace, inſuffiſant, & imparfait, & que Jeſus Chriſt n'euſt point ſatisfait à la juſtice de Dieu ſon Pere pour nous, & qu'il ne fuſt le vrai Chriſt, Sauveur, Preſtre, Eveſque, & Mediateur, laquelle choſe non ſeulement dire, mais auſſi penſer, eſt un horrible & execrable blaſpheme. Et toutes fois la terre a eſté & eſt encore de preſent en pluſieurs lieux chargee & remplie de miſerables ſacrificateurs: lesquels, comme s'ils eſtoyent nos redemteurs, ſe mettent au lieu de Jeſus Chriſt, ou ſe font compagnons d'icelui, diſans qu'ils offrent à Dieu ſacrifice plaiſant & agreable comme celui d'Abraham, d'Iſaac & de Jacob, pour le ſalut tant des vivans que des treſpaſſez: ce qu'ils font apertement contre toute la verité de la S. Eſcriture, faiſans menteurs touts les Apoſtres & Evangeliſtes: & ſe deſmentent eux-meſmes, veu qu' avec David ils chantent & confeſſent tous les Dimanches en leurs Veſpres, que Jeſus Chriſt eſt eternel Sacrificateur ſelon l' ordre de Melchiſedec.

Or ne peuvent-ils faire entendre à nul de ſain entendement, que Jeſus Chriſt & ſes Prophetes & Apoſtres (qui rendent teſmoignage de lui) ſoyent menteurs: mais faut maugré leurs dents que le Pape & toute ſa vermine de Cardinaux, d'Eueſques & de preſtres, de Moines & autres caphards diſeurs de meſſes, & tous ceux qui y conſentent, ſoyent tels: aſſavoir, faux-prophetes, damnables trompeuts, apoſtats, loups, faux-paſteurs, idolatres, ſeducteurs, menteurs & blaſphemateurs execrables, meurtriers des ames, renonceurs de Jeſus Chriſt, de ſa mort & paſſion, faux-teſmoins, traiſtres, larrons & raviſſeurs de l'honneur de Dieu, & plus deteſtables que les diables. Car par le grand & admirable ſacrifice de Jeſus Chriſt, tout ſacrifice exterieur & viſible eſt aboli & evacué: & jamais autre n'eſt demeuré. Ce que ie di eſt treſamplement monſtré en l'Epiſtre aux Hebrieux, es chap. 7. 9. & 10. lesquels je ſupplie à tout le monde de diligemment conſiderer. Toutesfois pour un peu le toucher, & aider l'eſprit des plus petis, au 7. il eſt ainſi eſcrit, Il eſtoit convenable que nous euſſions un Eueſques ſainct, innocent & ſans macule: lequel n'a point neceſſité d'offrir tous les jours ſacrifices,

premierement pour ses pechez, puis apres pour ceux du peuple: car il a fait cela en s'offrant une fois. Notamment il dit, *En s'offrant une fois:* car jamais ceste oblation ne fut, ni ne sera reiteree, n'aucune pareille. Item, au 9. cha. Christ Euesque des biens auenir, par son propre sang est entré une fois es sanctuaires. Voici où derechef il dit que par s'estre presenté une fois, la redemtion eternelle est faite. Parquoi il est evident que en nostre redemtion nous n'auons besoin de tels sacrificateurs, si nous ne voulons renoncer à la mort de Jesus Christ. Item, au 10. chap. Voici je vien, afin, ô Dieu, que je face ta volonté, par laquelle volonté nous sommes sanctifiez, par l'oblation une fois faite du corps de Christ. Et aussi le S. Esprit le testifie, disant, Je n'auray plus souvenance de leurs iniquitez: & là où est remission d'icelles, il n'y a plus d'oblation pour le peché. Ce que par argument inevitable de l'Apostre je monstre ainsi: au chap. 5. 7. 8. & 10. des Hebrieux, le sainct Apostre dit que pour l'imperfection des sacrifices de l'ancienne Loy, il faloit tous les jours recommencer, jusqu' à ce qu'il en eust esté offert un du tout parfait, ce qui a esté fait une fois par Jesus Christ. Dont je demande à tous sacrificateurs, si leur sacrifice est parfait, ou omparfait. S'il est imparfait, pourquoi abusent-ils ainsi le poure monde? S'il est parfait, pour quoi le fautil reiterer? Mettez-vous en avant, sacrificateurs: & si vous auez puissance de respondre, respondez.

¶ Secondement, en ceste malheureuse Messe, on a non seulement provoqué, mais aussi plongé & du tout abysmé quasi l' universel monde en idolatrie publique, quand faussement on a donné à entendre, que sous les especes de pain & de vin, Jesus Christ est contenu & caché corporellement, reellement & personnellement, en chair & en os, aussi gros, grand & parfait, comme de present il est vivant. Ce que la saincte Escriture & nostre foy ne nous enseigne pas: mais est du tout contraire, car Jesus Christ apres sa resurrection est monté au ciel, & est assis à la dextre de Dieu le Pere tout-puissant, & de là viendra juger les vifs & les morts. Aussi S. Paul aux Coloss. 3. escrit ainsi. Si vous estes resuscitez avec Christ, cerchez les choses qui sont en haut, où Christ est seant à la dextre de Dieu. Il ne dit point,
Cher-

Cerches Christ qui est en la Messe, ou au sacraire, ou en la boite, ou en l'armoire: mais au ciel. Parquoi il s'ensuit bien, que si le corps est au ciel, pour ce mesme temps il n'est point en la terre: & s'il est en la terre, il n'est point au ciel. Car pour certain jamais un veritable corps n'est qu'en un seul lieu pour une fois, occupant certain lieu & place en qualité & grandeur certaine. Parquoi il ne se peut faire qu'un homme de 20. ou 30. ans soit caché en un morceau de paste, tel que leur oublie. De repliquer, que comme il est tout-puissant, il est aussi invisible, infini & par tout: cela ne peut avoir lieu, considerant, que comme il est tout-puissant, il est aussi veritable & la verité mesme, nous ayant certifié de la verité de son corps, parce qu'il a respondu à ses disciples que c'estoit lui (parlant de sa presence corporelle) leur faisant entendre qu'il n'estoit point fantosme ni invisible: & que l'esprit n'a ne chair ni os comme lui. Et en ce qui est recité en l'Euangile de S. Jean 20. chap. qu'il vint & fut au milieu de ses disciples, les portes fermees, n'est pas à dire (comme ces abuseurs faussement font entendre) qu'elles n'ayent esté ouvertes par la vertu divine de Jesus Christ, pour le passage de son vrai corps. Car s'il a bien eu la puissance de les faire ouvrir par son Ange, pour deliurer S. Pierre de la prison, il lui a bien esté autant facile de se faire ouverture pour entrer à ses disciples: par les moyens miraculeux qu'il lui a pleu sans changer la nature de son corps en esprit, ou en un autre qui ne fust point vrai corps. Aussi l'Euangelist ne dit pas que Jesus entra par les portes fermees: mais qu'il vint à ses disciples, & qu'il fut là au milieu d'eux, les portes estans fermees. En quoi il a voulu donner à entendre en quelle crainte estoyent assemblez ses disciples, & qu'il a en cela voulu monstrer une preuve manifeste de la puissance divine du Seigneur Jesus, par laquelle les portes s'ouvrirent devant lui: sans ce que ils se soyent apperceus, ne comment elles ont esté ouvertes, ne comment elles ont esté closes à la venue d'icelui, entrant miraculeusement, pour rendre ses disciples plus attentifs à sa nature divine. Conclusion, le corps de Jesus Christ n'est point semblable à un esprit. Aussi, qu'il soit infini & par tout, cela ne peut estre: ou autrement il ne seroit ni vrai

corps

corps ni vrai homme, s'il estoit aussi bien infini pour raison de sa nature humaine, comme il l'est pour raison de sa nature divine. Il est donc contenu en certain lieu: & y estant, il n'est pas en un autre. Ce que sainct Augustin a bien connu, quand en parlant du Seigneur Jesus Christ, il a ainsi escrit, *Donec finiatur seculum, sursum Dominus est, sed tamen hic nobiscum est veritas Domini. Corpus enim in quo resurrexit in uno loco esse oportet: veritas autem ejus ubique diffusa est.* c. Jusques à ce que le monde prene fin, le Seigneur est en haut: neantmoins la verité du Seigneur est ici avec nous. Car il faut que le corps auquel il est resuscité soit en un lieu: mais sa verité (c'est à dire sa nature divine) est espandue par tout. Item, Fulgence escrit ainsi, *Absens erat cœlo secundum humanam substantiam, quum esset in terra: & derelinquens terram, quum ascendisset in cœlum, secundum verò divinam & immensam substantiam, nec cœlum dimittens quum de cœlo descendit, nec terram deserens quum ad cœlum ascendit.* c. Il estoit absent du ciel selon sa nature humaine, lors qu'il estoit en terre: & il delaissa la terre, lors qu'il monta au ciel. Mais quant à sa nature immense & divine, il ne delaissa point le ciel quand il descendit du ciel, ni ne delaissa la terre quand il monta au ciel.

Outre, nous avons infallible certification par la sancte Escriture, que l'advenement du Fils de l'homme, quand il lui plaira partir du ciel, sera visible & manifeste. Et si aucun vous dit, Ici est Christ, ou là, ne le croyez point. Jesus Christ dit, Ne le croyez point: & les sacrificateurs disent, Il le faut croire. Ils chantent bien, *sursum corda*, exhortans le peuple à cercher Jesus Christ au ciel: mais ils font le contraire, en ce qu'ils l'arrestent pour le faire cercher en leurs mains, & en leurs boites & armoires.

¶ Tiercement, ces sacrificateurs aveugles, pour adjouster erreur sur erreur, ont en leur frenesie encore dit & enseigné, qu'apres avoir soufflé ou parlé sur ce pain, lequel ils prenent entre leurs doigts, & sur le vin, lequel ils mettent au calice, il n'y demeure ne pain ne vin: mais (comme ils parlent de grans & prodigieux mots) par transsubstantiation Jesus Christ est sous les accidens du pain & du vin, caché & envelopé: qui est doctrine
des

des diables, contre toute verité, & apertement contre toute l'Escriture. Et pourtant je demande à ces gros enchaperonnez, Où ont-ils inventé ce gros mot Transsubstantiation? sainct Matthieu, sainct Marc, sainct Luc, sainct Jean, sanct Paul, & les anciens Peres n'ont point ainsi parlé: mais quand ils ont fait mention de la saincte Cene de Jesus Christ, ils ont overtement & simplement nommé le pain & le vin, *Pain* & *Vin*. Voyez sanct Paul comment il escrit, L'homme s'esprouve soy-mesme, puis s'ensuit, Et ainsi mange de ce pain. Il ne dit point, Mange le corps de Jesus Christ qui est enclos, ou qui est sous la semblance, ou sous l'espece ou apparence de pain: mais il dit apertement & purement, *Mange de ce pain*. Or est-il certain que l'Escriture n'use point de deception, & qu'en icelle il n'y a point de feintise: dont il s'ensuit bien que c'est pain. Item, en un autre lieu il est ainsi escrit, Et un jour de Sabbath les disciples estans assemblez pour rompre le pain, &c. Ausquels tant evidens passages, la saincte Escriture dit & prononce expressement estre pain, non point espece, apparence ou semblance de pain. Qui pourra donc plus soustenir, porter & endurer tels moqueurs, telles pestes, & pervers Antechrists? lesquels comme presumptueux & arrogans, selon leur ordinaire coustume, ont esté si temeraires & hardis, de conclurre & determiner au contraire. Parquoy comme ennemis de Dieu & de sa saincte parole, à bon droict on les doit reietter & merueilleusement detester. Car n'ayans eu nulle honte de vouloir enclorre le corps de Jesus en leur oublie: aussi (comme effrontez heretiques qu'ils sont) ils n'ont eu aucune honte & vergongne de dire qu'il se laisse manger aux rats, araignes, & vermine, comme il est escrit de lettre rouge en leurs Messels en la XXII. Cau telle, qui se commence ainsi, *Si le corps du Seigneur estant consumé par les souris & les araignes, est devenu à rien, ou soit fort rongé, si le ver est trouvé tout entier dedans, qu'il soit bruslé & mis au Reliquaire*. O terre, comment ne t'ouvres-tu pour engloutir ces horribles blasphemateurs? O vilains & detestables, ce corps est-il du Seigneur Jesus vray Fils Dieu? se laisse-il manger aux souris & aux araignes? lui qui est le pain des Anges & de tous les enfans de Dieu, nous est il donné pour en

faire viande aux beſtes? Lui qui eſt incorruptible à la dextre de Dieu, le ferez-vous ſuiet aux vers & à pourriture, contre ce que David en a eſcrit, prophetiſant de la reſurrection d'icelui? O miſerables quand il n'y auroit autre mal en toute voſtre theologie infernale, ſinon en ce que vous parlez tant irreueremment du precieux corps de Jeſus, combien meritez vous de fagots & de feu, blaſphemateurs & heretiques, voire les plus grands & enormes qui jamais ayent eſte au monde? Allumez donc vos fagots pour vous bruſler & roſtir vous meſmes, non pas nous, pource que nous ne voulons croire à vos idoles, à vos dieux nouveaux & nouveaux chriſts, qui ſe laiſſent manger aux beſtes & à vous pareillement, qui eſtes pires que beſtes, en vos badinages leſquels vous faites à l'entour de voſtre dieu de paſte, duquel vous-vous jouez comme un chat d'une ſouris: faiſans des marmiteux, & frappans contre voſtre poictrine, apres l'auoir mis en trois quartiers, comme eſtans bien marris, l'appelans Agneau de Dieu, & lui demandans la paix. S. Jean monſtroit Jeſus Chriſt preſent, vivant & tout entier (qui eſtoit la verité des agneaux qui ont eſté figure de lui en l'ancien Teſtament) & vous monſtrez voſtre oublie partie en pieces: puis la mangez, vous faiſans donner à boire. S. Jean a-il mangé Jeſus Chriſt en ce poinct? Que pourroit dire un perſonnage qui n'auroit jamais veu telle ſingerie? ne pourroit-il pas bien dire, Ce poure agneau n'a garde de devenir mouton: car le loup l'a mangé, par l'agneau le Seigneur a ordonné le ſacrement de l'agneau paſchal: & S. Jean & S. Paul qui ont expoſé la vraye ſignification d'icelui, purroyent-ils reconoiſtre tels baſteleurs pour ſerviteurs de Dieu?

¶ Quartement, le fruict & l'uſage de la Meſſe eſt bien contraire au fruict & à l'uſage de la ſaincte Cene de Jeſus Chriſt, & n'eſt pas de merveilles: car entre Chriſt & Belial il n'y a rien commun. Le fruict & le vray uſage de la ſaincte Cene de Jeſus Chriſt eſt pour *le premier*, de conſiderer comment le Seigneur nous preſente de ſa part le corps & le ſang de ſon Fils Jeſus Chriſt, à ce que nous communiquions vrayement au ſacrifice de la mort & paſſion d'icelui, & que Jeſus nous ſoit pour nourriture ſpiri- ; eternelle, & que nous-nous en tenions pour aſſeurez:

com-

comme il le nous de clare & nous en asseure par ce sainct Sacrement. *L'autre poinct* est, de publiquement faire protestation de sa foy: & en confiance certaine de salut, avoir actuellement memoire de la mort & passion de Jesus Christ, par laquelle nous sommes rachetez de damnation & perdition, avoir aussi souvenance de la grande charité & dilection de quoi il nous a tant aimez, qu'il a baillé sa vie pour nous, & nous a purgez par son sang. *Aussi* en prenant tous d'un pain & d'un breuvage, nous sommes admonnestez de la charité & grande union en laquelle tous d'un mesme esprit nous devons vivre & mourir en Jesus Christ. Et ceci bien entendu, resiouit l'ame fidele, la remplissant de divine consolation en toute humilité, croissant en foy de jour, s'exerçant en toute bonté tresdouce & amiable charité. Mais le fruict de la Messe est bien autre, comme l'experience le nous demonstre. Car par icelle toute conoissance de Jesus Christ est effacee, la predication de l'Euangile est rejettee & empeschee, le temps est occupé en sonneries, hurlemens, chanteries, vaines ceremonies, luminaires, encensemens, desguisemens, & telles manieres de sorceleries, par lesquelles le poure monde est (comme brebis ou moutons) miserablement trompé, entretenu & pourmené, & par ces loups ravissans mangé, rongé & devoré. Et qui pourroit dire ne penser les larrecins de ces paillards? Par ceste Messe ils ont tout empoigné, tout destruit, tout englouti. Ils ont desherité Princes & Rois, seigneurs, marchans & tout ce qu'on peut dire, soit mort ou vif. En somme, verité leur defaut, verité les menace, verité les pourchasse, verité les espouvante: par laquelle en bref leur regne sera destruit à jamais.

Num. XII.

Georgii SPALATINI, Relatio de Colloquio inter Gul. *Bellajum* Galliæ Legatum & *Ministros Protestantium* habito d. 20. Decemb. 1535.

* *
*

QUæ in hoc Opere §. XXXVIII. pag. 113. seq. de Legatione Gallica ad conventum imperii Smalcaldensem A. 1535. retulimus, itemque, de tentaminibus Galliarum Regis, arctiori fœdere sibi devinciendi Protestantium Principes, quin imò, de Ejus benevolenti in Reformationem & in Evangelicorum sententiam de rebus divinis, animo, ea omnia ex SLEIDANO, Historico gravissimo atque fide dignissimo, hausimus, qui & simul de actis inter *Bellajum Langæum*, Regis Legatum, & *Fœderatorum* Principum Consiliarios & *Theologos* optima fide Lib. IX. retulit.

Interea tamen MAIMBURGIUS Jesuita, qua erat animi impudentia, Sleidanum malæ fidei accusare, atque imposturæ reum facere est ausus, quasi is ex proprio suo ingenio, non toleranda mentiendi libidine, confinxerit ea, quæ vel Oratione Solenni Langæus protulisse, vel cumprimis in privato Colloquio egisse referebatur, quippe cum ea non satis consentirent, cum iis quæ Franciscus Rex adversus Hæreticos ita dictos, eodem anno solennem instituendo processionem, atque permultos igni addicendo, perpetraverat:

Huic igitur Homini, ut os obturaret, operam navare videmus Ill. SECKENDORFIUM in Histor. Lutheran. Lib. III. fol. 105. 106. atque id agere, ut ex præclaro, quod adhuc superest in Archivo Saxiconico-Vinariensi, Documento, evincat, Sleidanum nil quicquam de eo colloquio à Langæo cum Principum Theo-

Theologis habito retulisse, nisi quod nuda atque ipsissima esset veritas, à Georgio Spalatino, Theologo Electoris Saxonici & Historico, qui ob singularem fidem & linguarum notitiam gravissimis negociis adhibitus erat, scripto consignata, atque Electori tradita & solerter in Archivo publico conservata:

Hanc Relationem ex Seckendorfio depromendam dignissimam judicavimus, ut Documentis nostris insereremus, prouti ea l. c. fol. 105. 106. legitur, sub hac rubrica:

Relatiò Spalatini MSS. Reg. H. fol. 99. n. 42.

Quid Regis Gallorum Orator Gulielmus Bellajus Langæi Dominus *cum* D. Pontano Cancellario Elect. Saxoniæ *& reliquis* (a), *feria secunda post Domin. IV. Advent. (id est, d. 20. Decembr.) anno* 1535. *Smalcaldiæ sub diluculum egerit.*

Primum, de primatu Romani Pontificis sive Papæ sentire Regem Gallorum nobiscum, jure tantum humano, non divino eum habere, Regem vero Anglorum ne humano quidem illum ipsi tribuere. Hactenus enim hoc Romanum Pontificem conatum perpetuo, ut poneret & ejiceret, quos vellet, Reges regnis: sicut etiam nunc contra Regem Anglorum moliatur, quamlibet deprecante Rege Gallorum, deprecantibus etiam & dissuadentibus Cardinalibus ipsis: quamvis neque Romanum Pontificem, neque suos omnes metuentem.

Secundo, sententiam nostram de Sacramento Eucharistiæ Regi placere, ipsius autem Theologis non item, ut qui transsubstantiationem velint modis omnibus servatam. Regem igitur quærere certa, ut habeat quod sequatur, esse enim solum qui in regno suo imperet.

Tertio, de Missis (additur in margine: *In hunc articulum Orator Regis etiam traxit orationem, invocationem, & intercessionem Sanctorum*) magnam esse altercationem. Hic igitur Regem sic sentire: condonandum esse a nostris aliquid, immo nostris suam Mis-

(a) Reliqui illi erant Phil. Melanchthon, Landgravici, & Jac. Sturmius, Argentoratensis.

Miſſam eſſe permittendam, deinde modum adhibendum: neque plures quotidie in parochialibus templis, quam tres, habendas; unam, eamque primam horis antelucanis, pro operariis & miniſteriis; reliquas vero duas pro aliis. Regem etiam eſſe in eo, ut putet, orationes & legendas multas, ut ineptas & impias, abrogandas, aut ſaltem emendandas: multa enim eſſe in his abſurda, multa ridicula, ut de Carolo Magno. Ordinanda igitur & redigenda in priorem formam. Regem enim dixiſſe: ſe habere orarium, ante multos annos ſcriptum, in quibus de interceſſione Sanctorum nulla prorſus ſit mentio: ſic audiviſſe, Beſſarionem aliquando dixiſſe, *ſibi multo plus facere negotii novos, quam veteres divos*. Regem igitur de invocatione & oratione nobiscum ſentire. Et tamen arbitrari, poſſe ſic in oratione Sanctorum mentionem fieri, ut, ſi memoria fiat Petri, Pauli &c. naufragantium, oremus & credamus, nos quoque periculo & diſcrimine liberandos: pro memoria, non pro interceſſione.

Quarto, Regem quoque probare noſtram de imaginibus Divorum ſententiam, ita ut plebs doceatur, non adorandas eſſe, ſed ut pro memoria habere poſſit.

Quinto, de meritis Sanctorum Theologos Gallicos ſententiam ſuam mordicus retinere: dicere enim, ſic mereri, ut pro nobis exaudiantur, tantum hoc annitendum, ut Rex veritatem intelligat.

Sexto, Regi etiam noſtram de libero arbitrio ſententiam placere. Nam, quamvis primo Theologis diſplicuiſſet, inſpectis tamen *Locis* Philippi *communibus*, & eos quoque in hanc noſtram iniiſſe ſententiam.

Septimo, de purgatorio ſententiam ſuam Theologos pertinaciſſime tueri, ut ex quo pendeant Miſſæ, indulgentiæ, legata ad pias cauſas, nundinationes miſſarum, & breviter omnia. Videre enim eos, alioqui ſibi tolli omnes occaſiones acquirendi opes, honores & omnia. Eos igitur, quanquam datis & acceptis aliquot menſibus, Regi reſponſum nullum dediſſe, quamvis pollicitos, ex Scripturis ſe purgatorium probaturos. Tandem, urgente Rege, dixiſſe, hoſti non conferenda arma. Ad

hæc

hæc si quicquam scripto responderent, nostros ea confutaturos. Itaque Oratori commodum videri, ut aliquis nostrûm de purgatorio scribat Regi offerendum.

Octavo, de bonis operibus Theologos vehementer tenere suam sententiam, nempe bona opera esse necessaria; Oratorem vero respondisse: nos quoque dicere necessario, non tamen ita, ut per ea vel justificemur vel salvemur. Subjecit hic Orator: fidei & hæreticæ pravitatis Inquisitorem melius sentire, quam Theologos; fateri enim, se ex lectione *Locorum communium* hoc assecutum, ut Augustinum & Ambrosium melius quam antea intelligat. De fide quoque Inquisitorum fidei recte sentire, credere igitur, hac in parte concordiam fieri posse.

Nono, de votis monasticis, dixit, sperare Regem, hoc se impetraturum a Pontifice Romano, ut pueri initientur docendi; sed ne ante annum trigesimum vel quadragesimum ad vota monastica cogantur; sed ut liberum sit ipsis deserere, si necessitas tulerit, monasteria, & uxores ducere. Id enim Regi videri esse ex re non solum Ecclesiæ, sed etiam politiæ, ut sint viri idonei, qui ministeriis & functionibus admoveantur. Probare igitur Regem, non monasteria destrui, sed ne ad vota adigantur: nam paulatim esse ad concordiam veniendum: si ut etiam cauda equina non statim & commode tota evelli possit. Ergo monasteria sic instituenda, ut sedes postea sint studiorum, ut sint illic eruditi, qui juventutem doceant, & qui ab ipsis discant. Cæterum utile & necessarium esse, ut modus adhibeatur. Sperare autem Regem, hoc se a Pontifice Romano impetraturum, ut etiam Romanus Pontifex sic sentiat.

Decimo, dixit Orator, a Theologis Gallicis conjugium sacerdotale non probari; sed Regi hoc medium placere, ut nostris conjugibus sacerdotibus conjugium eorum relinquatur, reliqui autem & futuri in cœlibatu maneant: qui autem duxerint uxores, ut abstineant ministerio sacro & pastorali cura. Quod enim nostri de Abbatis Paphnutii sententia producant, huc non pertinere, Theologorum judicio: eos enim affirmare, hoc dicere concilium de his, qui ante sacerdotium duxerint uxores, nullos enim unquam inventos, qui duxerint conjuges in sacerdotio. *Un-*

Undecimo, de utraque specie, ait Orator, hoc Regem apud Clementem Romanum Pontificem diligenter egisse, & spem ipsi esse, fore, ut hoc a Romano Pontifice impetret, ut sanciat & statuat, utrumque cuique, secundum conscientiæ suæ modum, esse liberum, sive alteram tantum, sive utramque speciem accipiendi. Porro, Regem quoque affirmare, se ex valde senibus & grandævis audivisse, ante annos centum & viginti Gallos etiam Laicos utraque specie Eucharistiæ usos, sed per fistulam (a), & in sacello seu privato, non in æde publica; sic etiam hodieque Reges Gallorum communicare sub utraque specie. Regem itaque Gallorum, aliquid objicientem Theologis, coactum audire, ipsis Regibus hoc licere, sed non etiam Laicis. De Regibus enim & ad Reges dictum esse: *Vos estis gens sancta, regale sacerdotium.*

Præterea, expeditis prioribus articulis, adjecit etiam Orator sequentes, nobis jam abituris.

Clementem Pontificem Romanum dedisse provinciam Cardinali Hispano S. Crucis emendandi orarium, sic & de hymnis, id quoque præstitisse, ut pro impiis & ineptis hymnis posuerit Psalmos. Verum Cardinalem Hispanum eo nomine damnatum a Gallicis Theologis. Adeo enim summum sibi vendicare magistratum Sorbonicos Theologos, ut non solum nos pro hæreticis, ut vocant, sed etiam Cardinales, Papam quoque ipsum, condemnare non dubitent.

Dixit etiam Orator Gallicus, locum de justificatione, ut a nostris tractetur, probare Regem.

Porro,

(a) De illo more sumendi Vinum Eucharisticum per fistulam, quondam disseruit Thom. REINESIUS Libro VI. variarum Lectionum, teste ejus epistola ad Christ. Daumium p. 142. sed quoniam sextus ille liber editus non est, eundem in se suscepit laborem Vener. Joh. VOGT, Ecclesiastes cœtus Evangelico-Lutherani Bremensis edito tractatu erudito sub tit. *Historia fistulæ Eucharisticæ* &c. Brem. 1740. 4.

Porro, quum hæc res ampla ſit & ſancta, Regem hoc conari, ut fiat concordia Eccleſiæ. Itaque Oratorem aliquando egiſſe hoc nomine cum *Ducibus Bavariæ*, verum eos multo moroſiores Sorbonicis etiam Theologis inventos; quamvis nuper ſic fractos, ut *Bonaccurſius* meliorem reſponſionem daturos polliceatur: meliora etiam promittere *Pflugium* de ſuo Principe Duce *Georgio*, & de *Archiepiſcopo Moguntino*.

Præterea gratiſſimum Regi futurum, ſi duo vel tres ex noſtris eruditis in Galliam mitterentur ad ipſum, coram eo his de rebus collocuturi. Regem enim adhibiturum colloquio eruditorum, & Sorbonicos moroſiſſimos, & qui nobiscum ſentiant, ad eruendam veritatem Evangelicam.

Cæterum de loco, pro habendo concilio, Regem ſic ſentire, non conſentiendum a noſtris Principibus & ordinibus, niſi conſultis ipſis Regibus Gallorum & Anglorum. Idem viciſſim ipſos quoque Reges facturos.

Adhæc non eſſe conſultum, etiamſi omnino opus ſit Concilio, ut nunc habeatur: ſi enim nunc fiat, futurum, ut melior & ſanior pars a majore vincatur & opprimatur.

Olim quoque a Pontifice Romano Regem Gallorum & Regem Navarræ regnis privatos, quod ſenſiſſent, non ſolum a Romano Pontifice, ſed etiam ab Imperatore & regibus, concilium eſſe indicendum. Hodieque tantum hoc nomine occupari a Cæſare regnum Navarræ, quod olim ſic privatum, Rex Ferdinandus Hiſpaniarum, Regem Navarræ eo regno excuſſiſſet.

In ſumma, Regem optimè animatum eſſe ad hanc cauſam, atque placere ſibi locum concilii ſecurum & tutum, ubi tuto cuivis liceret ſententiam dicere.

Adhæc Regem arbitrari, valde profuturum, ſi Principes & Ordines literis orent ex hoc conventu Regem Gallorum pro exulibus nomine religionis, ut eos reſtituat, ne quid fraudi ſit, quod quisque ſenſerit, dixerit, egerit. *Hucusque Spalatinus.*

Num. XIII.

Facultatis Theologicæ Parisiensis (a) Responsum ad Regem Franciscum de articulis Melanchthonianis.

Anno 1535.

JE Guillaume du Bellay, Seigneur de Langey, l'un des Gentils hommes de la Chambre du Roy, certifie que les Articles cy-dessus escrits sont extraits de plusieurs cahiers & lettres, qui m'ont esté à diverses fois envoyés d'Allemagne par ceux ausquels je m'estois par ordonnance du dict Seigneur adressé, pour attirer les Eglises d'Allemagne à moderer leurs opinions & doctrines, ès quelles elles s'estoient alienées de l'Eglise Romaine, & pour icelles Eglises revoquer & reduire à union. Et les quels Articles j'ay par le commandement du dict Seigneur baillé à Messieurs les Deputés de la sacrée Faculté de Theologie, pour en avoir leur advis, & prendre d'eux instruction de ce que j'auray à dire aux dicts personnages au pays d'Allemagne, pour les attirer & induire à suffisante moderation de leurs dictes opinions & doctrines, & à vraye union & submission à la dicte Eglise Romaine. Pour laquelle fin le dict Seigneur me renvoye presentement au dict pays d'Allemagne en tesmoin de ceste verité j'ay signé la presente, ce 7. jour d'Aoust, 1535.

GUILLAUME DU BELLAY.

Et pour ce que mon dict Seigneur de Langey sollicitoit fort diligemment la Faculté, pour avoir les instructions sur les dicts Articles, la Faculté advisa escrire au Roy lettres dont la teneur s'ensuit; pendant que les dictes instructions se feroient. Pour les quelles porter au Roy fut élu nostre Maistre Balue pour aller en Cour, & luy fut baillé pour l'associer Maistre Jacques Petit Bedeau.

S'

(a) *Responsum* hoc cum nobis sit conservatum in Dni d'ARGENTRÈ *Collectione Judiciorum de novis Erroribus* Tom. I. Part. II. pag. 395. 96. inde illud depromere atque his Documentis inserere voluimus.

S'ensuit la teneur des lettres.

SIRE,

Nous avons receu la lettre, qu'il a plû à vostre Majesté nous escrire: & outre cela entendu vostre bon & saint propos, que avez declare à nos Orateurs, dont tous avons remericé & remercions Dieu, en luï suppliant vous donner la grace d'y perseverer.

Sire, en obeissant à vostre commandement, le Seigneur de Langey a mis entre nos mains le VII. de ce present mois les Articles contenants la confession des Germains. Et pour les voir selon vostre ordonnance, avons deputé aucuns d'entre nous, gens entendus, sçavans, & en telles affaires exercitez: les quels ne cessent & ne cesseront de besoigner aux dicts Articles jusques à l'accomplissement d'iceux, pour toutes fois qu'il vous plaira commander, en informer amplement vostre Majesté. Et cependant ont esté d'advis pour le bien & salut de vostre Royaume vous avertir de ce qui s'ensuit.

Premierement comme il apert par le commencement des dicts Articles, les desdicts Germains ne demandent seulement le contenu d'iceux leur estre condonné, mais aussi veulent contre vostre sainte & Catholique intention, que en ce leur cedions, en nous retranchants, comme S. Augustin, d'aucunes cerimonies & ordonnances, que l'Eglise a jusqu'icy observées. Qui est, Sire, demander de nous retirer à eux, plus qu'eux se convertir à l'Eglise.

Sire, aussi aux dicts Articles sont contenues plusieurs choses contre l'Escriture sainte ou determination de l'Eglise, que n'entendez estre mises en avant. Comme on peut voir en l'Article du jeusne & election de viandes, où il afferme, jeusne ne devoir estre commandé ne discretion de viandes gardée, qui est repugnant ès Escritures & saints Conciles.

Sire, en l'Article de l'honneur des Saints, de leurs images & statues, ils demeurent en cette opinion, qu'il n'est bon adresser son oraison aux Saints, ne leur attribuer aucunes prerogati-

ves de chaſſer maladies & autres incommoditez, qui eſt contre l'Eſcriture, la louable, & devote accoutumance de l'Egliſe, dicts des ſaints Docteurs, & experience du don que voſtre Majeſté a de Dieu de garir des ecrouelles.

Sire, en l'Article de la Meſſe, ils otent les Meſſes privées contre la reception & uſage de l'Egliſe, au grand prejudice & detriment des vivants & des morts, pour le ſalut des quelles elles ont eſté inſtitués.

Sire, en l'Article du Sacrement de l'Autel & Euchariſtie ils veulent que nulle queſtion ſoit propoſée de ce ſaint Sacrement, qui ne ſe puiſſe former des termes pris de la ſainte Eſcriture & non d'autre lieu. Qui eſt injurieux aux Conciles & ſaints Docteurs, les quels veritablement en eſcrivent en autres termes, uſant ſpecialement de ce mot, transſubſtantiation, pour declarer en ce ſaint Sacrement le pain & le vin par les paroles Sacramentelles, eſtre convertis & transſubſtantiez au vray Corps de noſtre Seigneur. Ce que ne recoivent. Qui eſt l'erreur de Luther en ceſte matiere.

Sire, en l'Article des Monaſteres, vœux & continence des Moines, ils demandent le Pape diſpenſer generalement avec les Religieux, qu'ils puiſſent toutes fois qu'ils voudront ſortir de leurs Monaſteres, abſous de leurs vœux, aux quels toutes fois de droit Divin ſont tenus & obligez. Et par ce nous demontrent ſuffiſamment, qu'ils ne querent fors l'everſion de toute Religion. Veu que telle doctrine eſt de long temps damnée par les ſaints Conciles. Et n'eſt moins perilleux ce qu'ls diſent en l'Article ſubſequent, qu'ils ne voyent point de cauſe pour la quelle on ne puiſſe diſpenſer, que les Preſtres ne ſe marient. Qui eſt contre la determination de toute ancienne couſtume d'Egliſe.

Sire, en d'aucuns des Articles, ils diſent une partie de verité. Mais ils ne diſent pas aſsès comme nous. Au premier, ils confeſſent la Police Eccleſiaſtique eſtre ſainte & utile, mais ils obmettent, qu'elle ſoit neceſſaire & inſtituée de Jeſus Chriſt, & en cette ſorte parlent, ès autres Articles, de choſes, qu'ils appellent indiſcrettes, de la Communion ſous les deux eſpeces, de la confeſſion, juſtification, de la foy, & des œuvres, du Purgatoire

toire & libre Arbitre. Es quels Articles sont contenuës plusieurs choses suspectes & dangereuses.

Sire, ces choses considerées, nous semble en tout honneur & reverence, qu'il est à craindre que les Aucteurs des dicts Articles sous ombre de se reduire, ne machinent seduire vostre Peuple. Et de ce ne pourrions vous donner meilleur argument que des Assemblées plusieurs fois faictes en Allemagne sous ombre d' union & concorde, des quelles n'est issu que division, discordes, & perdition de infinies ames. Toutefois, Sire, s'il plaisoit à vostre Majesté leur faire envoyer les questions qui s'ensuivent, on pourroit par leur responce connoistre s'il y avoit en eux aucune esperance de reducton.

Premierement leur soit demandé, s'ils veulent confesser l'Eglise militante fondée de droit Divin, estre indeviable en la Foy & bonnes meurs. De la quelle sous nostre Seigneur Jesus Christ a esté le chef saint Pierre & par ordre les successeurs d'iceluy.

Item: s'ils veulent obeïr à la dicte Eglise, & consentir à sa doctrine & determination, comme vrays enfans & sujets d'icelle.

Item: Pour autant qu'ils desirent en l'Eglise estre consentement de doctrine, leur soit demandé, s'ils veulent recevoir tous les livres contenus en la Bible, comme saints & Catholiques.

Item: S'ils veulent recevoir les determinations & Decrets des Conciles generaux de l'Eglise.

Item: S'ils veulent adjouter foy ès Canons & Decrets des Papes, recus & approuvés par l'Eglise.

Item: S'ils veulent admettre les Docteurs de l'Eglise, sainct Jerosme, S. Ambroise, S. Augustin, S. Gregoire, & autres celebres & fameux, tant Grecs, que Latins, à l'exposition de l'Escriture saincte, en ce qui concerne à la Foy & bonnes meurs.

Item: S'ils veulent recevoir les bonnes & louables coustumes de l'Eglise, de tout temps observées & gardées.

Sire, s'ils ne veulent affirmativement & absolument respondre ès questions precedentes, qui sont les principes de nostre Foy, on ne pourroit esperer d'eux aucune emendation. Et où ils les recevroient, il nous semble chose decente à vostre Majesté de

les induire par la Foy, reverence, & grande devotion que vous portez au sainct Sacrement de l'Autel, que ceux qui par cy-devant ont escrit & publié livres contre la verité du dict Sacrement, escrivent & publient livres au contraire & pour la verité, ainsy qu'ils sont tenus de droit naturel & Divin, afin que ceux qui ont esté seduits par les premiers livres, se puissent par les seconds reduire.

Sire, aprés tous avoir faict nos tres humbles recommandations à vostre bonne grace, nous supplions le Createur vous donner en toute prosperité longue vie, & à la fin, la couronne de Justice. De Paris le penultiesme d'Aoust, 1535.

Et aprés estoit escrit: Vos tres humles Orateurs, & tres obeissants Sujets, les Doyen & Docteurs de la Faculté de Theologie & vostre Université de Paris.

Aprés estoit signé, Tannel.

Num. XIV.

Facultatis Theologicæ Parisiensis Instructio (a) in articulos Melanchthonianos

A. 1535.

I.

De potestate Pontificia.

Firmiter tenendum est hierarchiam Ecclesiasticam, quam politiam Ecclesiasticam nonnulli vocant, non solum sanctam esse & utilem, sed & jure Divino institutam, quæ usque ad consummationem seculi perduratura est. Nec in humana situm est potestate illam instituere, aut destituere. Cujus quidem hierarchiæ

(a) Et hanc *Instructionem* debemus eidem *Collectioni* Dni d'ARGEN- l. c. fol. 397—400.

chiæ Ecclesiasticæ, eodem jure Divino, Monarchica potestas est Papalis, cui quilibet Fidelium subesse dignoscitur, cui adjungitur Episcopalis dignitas & plebana, sive Parochialium Curatorum: Quibus omnibus juxta suos gradus competit oves Christi pascere. Nec tamen si aliqua à Patribus sanctè instituta, in quo lapsu temporis inciderunt abusus, immutantur, ideo jam deperit Fides, aut aliqui Articuli Fidei necessarii veniunt delendi.

II.

De traditionibus humanis rerum indifferentium in genere.

FIRMITER tenendum est, superstitionem non esse, sed veritatem Catholicam Juri Divino innixam, Ecclesiam posse justè obligare Fideles ad aliqua præcepta disciplinæ, ut sunt, jejunium, delectus ciborum & pleraque consimilia, ad quæ aliàs non tenerentur. Talia enim ad virtutes comparandas conducunt & ad faciliorem seu commodiorem Divinorum præceptorum adimpletionem, per quæ sanè Deus placatur & flagella sua amovet, promerentur Christiani, vitia comprimuntur, magna acquiruntur satisfactionis emolumenta.

III.

De jejunio, castigatione carnis, & ciborum delectu.

FIRMITER tenendum est prudenter & religiosè Ecclesiam certa præcepisse jejunia & præscriptum delectum ciborum Fidelibus necessariò observanda. Atque huic sententiæ nullus Catholicorum Doctorum, rectè intellectus, refragatur. Quòd si multi hujusmodi salutaria Ecclesiæ jussa depravato affectu corrupti non observant, nequaquam propterea illa auferri operæ pretium est; Neque rectè jugum Christi per se leve variarum constitutionum Ecclesiasticarum onere aggravatur, quandoquidem pauca sunt Ecclesiæ præcepta universaliter omnes Fideles obligantia, quæ Deo auxiliante, qui nulli suam denegat gratiam, non admodùm reperiuntur difficilia. Asserere præterea, quòd nulla lex jejuniorum ferri valeat in tanta hominum & complexio-

num

num inæqualitate, hominis est leges Ecclesiæ non sanè intelligentis. Nonnulla insuper fuerunt olim Judæorum jejunia ad capitalem noxam illos obligantia, ut legentibus Scripturas patere potest.

IV.

De cultu Sanctorum & eorum imaginibus & statuis.

FIRMITER tenendum est ex sanctis Scripturis, Conciliis & sanctorum Doctorum monumentis, quòd sanctæ & pie Fidelium orationes ad Sanctos, tanquam ad eorum Patronos & Intercessores sub Christo immediatè diriguntur. Hujusmodi autem directio Divino cultui minimè derogat, cùm nulla ad Sanctos oratio dirigatur, quæ non potissimùm & principaliter in Deum feratur. Sed neque per hoc Divinæ Clementiæ quovis modo detrahitur, aut merito passionis Christi. Divina nempe misericordia & Christi passio præcipua est & firmissima anchora fiduciæ Christianorum, cui in mari hujus seculi maximè innituntur, & eâ jam præmuniti, precibus & meritis Sanctorum haud futiliter se confidunt adjuvari, quos magnoperè eniti debent imitari. At verò ubi eos contingeret vitam & mores Sanctorum nequaquam æmulari, & tamen eos orare, non propterea idololatriam committere asserendi sunt. Neque enim Pharao, quamvis Deum non timeret, idololatriæ crimen admisit, rogando Moïsen & Aaron, ut auferrentur tonitrua & grando à se & populo suo. Neque supervacanea fuit aut inutilis ejus deprecatio. Idololatræ item neutiquam censentur, qui statuas & imagines Sanctorum colunt, quas adorandas septima œcumenica Synodus apud Nicæam celebrata decernit, at non utique ea Religione, aut cultu, qui soli Deo competit; id quod aut facilè non admonitum rude vulgus intelligit. Abusibus tamen, si qui in hujusmodi rebus eveniunt, vigilantiâ Superiorum occurrendum est. Verùm propter abusus impium est inficiari diversas diversis Sanctis virtutum & miraculorum Divinitùs conferri prærogativas. Illæ enim Scripturis & Sanctorum dictis nec non & unanimi populorum colentium retrò seculis consensu comprobantur.

V.

De Miſſa.

FIRMITER tenendum eſt, Miſſam Divinum eſſe inſtitutum, non humanum, quæ ſive publicè, ſive privatim & peculiariter dicatur, verum eſt Sacrificium, Vivis plurimum conducens & Defunctis in peccatorum remiſſionem & ſatisfactionem. Excellenti enim innititur merito Paſſionis Chriſti, unde virtus procedit Sacramentorum. Quare non ſolùm ex devotione valet celebrantis, ſed præcipuè ex virtute & merito Chriſti, quod ibi applicatur ex ejus ordinatione & à plerisque opus operatum ſolet appellari: & quia tantus eſt valor Miſſe à quibuscumque Sacerdotibus, ſive bonis, ſive malis, celebretur, non eſt contemnenda. Porro celebrantibus jure tribuuntur temporalia, qui ea accipientes reprehendi non debent, aut vocari nundinatores, quamvis magnus ſit numerus Sacerdotum celebrantium & vitæ ſubſidium celebrando ſuſcipientium. Voluit enim Deus, ut docent Scripturæ, multos in lege veteri ſuo Altari miniſtrare, & miniſtrando honeſtè ſuſtentari, nec pauciores, imò longè plures in lege nova voluit ordinari Altari Miniſtros, qui ut ſcribit Malachias, in omni loco, ſuo ſancto nomini ſacrificent & oblationem mundam offerant. At verò, licèt multitudinem delegerit Dominus Miniſtrorum, optandum tamen & enitendum, ut tales illi habeantur, qui dignè ambulent ſua vocatione, quo ſanctè & purè ſanctam hanc & ſalutarem oblationem crebrò offerre atque ſuſcipere mereantur, ex qua nimirùm uberes fructus & Miſſam celebrantibus & audientibus ſolent provenire, quoties Divinæ majeſtati in Miſſa offertur. Immenſi enim eſt valoris & Fidelibus juſtis atque injuſtis magna affert & vitæ quæ nunc eſt, & futuræ emolumenta. Proinde malè ſuæ ſaluti conſulunt, qui Miſſas privatas auferendas decernunt. Ingentibus namque commodis ſe & alios defraudant. Quod pia mater attendens Eccleſia ſupra annos mille in hunc usque diem ſervandas illas longævâ ſuâ conſuetudine edocuit. Quamobrem iis, qui talia moliuntur & quærunt ſibi concedi, planè reſpondendum eſt, *Neſcitis, quid*

 peta-

petatis. Cæterùm si malitiâ & improbitate Ministrorum in re tam sancta contingant abusus, ut fere fit in omni re bona, non propterea illa tollenda est. Sed ipsi abusus, quibus olim satis superque provisum est per Concilia & summorum Pontificum decreta, modò Episcopi & ii quorum interest, summa diligentia vigilent, & delinquentes pœnâ metuque coërceant, ut in posterum à suis resipiscant erroribus.

V I.

De Sacramento Eucharistiæ.

FIRMITER tenendum est in venerabili & sacrosancto Eucharistiæ Sacramento Corpus & Sanguinem Christi realiter & verè sub speciebus panis & vini contineri, ubi, neque Corpus, panis materialis, neque vinum materiale, Sanguis dici debet. Sed hæc materialia post debitam verborum Sacramentalium prolationem potestate Divina transsubstantiantur in verum Corpus & Sanguinem Christi. Atque hoc est verum illud & juge Sacrificium & Sacramentum, quod non passim ab omnibus confici potest, nempe non à Laïcis aut mulieribus, sed à solis Sacerdotibus, ritè secundùm claves Ecclesiæ ordinatis, quas Christus Apostolis & eorum Successoribus concessit; ab omnibus autem adultis baptizatis, dignis & indignis sumitur, verumtamen sorte inæquali, his quidem ad salutem, illis verò ad judicium. Porro ad Catholicorum instructionem & hæresium extirpationem valde utile & sæpè necessarium est, cùm de hoc Sacramento agitur, aut aliis Divinis mysteriis, certa verborum formâ uti in sacra Scriptura non expressâ, ut his verbis, *Transsubstantiatio*, *consubstantialitas*, *essentia Divina*, *persona*, *Trinitas*, & plerisque aliis, Ecclesiæ exemplo antiquos sanctos Doctores imitando.

V I I.

De Communione sub utraque specie.

FIRMITER tenendum est non esse jure Divino præceptum, quòd Laïci sub utraque specie sumant Eucharistiam; neque hoc

hoc ex Evangeliis, epiſtolis Pauli, & factis Chriſti colligi poteſt. His ſiquidem quos Chriſtus ſub utraque ſpecie communicavit, inſtituens hoc Sacramentum, præcepit ut idem facerent, quod ipſe fecerat, hoc eſt, conficerent, ſeu conſecrarent Euchariſtiam, dicens, *Hoc facite in meam commemorationem*, id quod nullis Laïcis competere poteſt, ſed ſolis Sacerdotibus Proinde juſtis cauſis inducta Eccleſia ſapienter longo uſu ſervavit, ſimul & ſuo Decreto ſancivit, Laïcos ſub unica ſpecie panis communicandos. Quapropter ea in re non opus eſt Eccleſiam ſuum immutare inſtitutum. Verùm æquum eſt omnes Fideles, qui filii ſunt Eccleſiæ, matris obtemperare juſſis.

VIII.

De Confeſſione.

FIRMITER tenendum eſt Confeſſionem Sacramentalem non humanitùs, ſed Divinitùs à Chriſto claves Sacerdotibus conferente inſtitutam, quæ ſic ad ſalutem adultorum poſt baptiſmum requiritur, ut non ſufficiat Deo omnia ſua peccata mortalia confiteri, niſi ea Sacerdoti, quantumvis ſint occulta, detegantur. Nec ſanè ſuperſtitioſa cenſenda eſt enumeratio mortalium peccatorum & circumſtantiarum lethaliter aggravantium, cum ſit neceſſaria integritati Confeſſionis Sacramentalis. Et quia ad exonerandas atque expurgandas conſcientias illa ordinatur, magnopere caveri debet in ea nimia ſeveritas, curioſa interrogatio, indiſcreta pœnitentiarum impoſitio, & quæcumque à tam utili & neceſſario Sacramento Fideles retrahere poſſunt. Porro quemadmodum non valet hanc Sacramentalem confeſſionem ſummus Pontifex inſtituere, ita nec in poteſtate ejus eſt eam & ejus obligationem prorsùs deſtituere, aut tollere.

IX.

De juſtificatione, Fide & operibus, & primò de Fide.

FIRMITER tenendum eſt, Fidem, Spem & Charitatem, tres eſſe virtutes diſtinctas, & Fidem infuſam poſſe eſſe ſine Cha-

ritate, & tunc dicitur mortua, nec eam sufficere ad salutem cum gratiâ etiam gratis data præveniente, quæ dicitur benignitas Dei gratuita ejus bonitas, assistentia Dei illustratio, inspiratio, aut bona motio ejus. Errant itaque illi, qui Fidem & fiduciam confundunt, dicentes Fidem esse fiduciam & non aliud, quàm fiduciam; cùm Fides ad intellectum spectet, fiducia verò ad effectum. Errant insuper qui asserunt certò cognosci certitudine Fidei citra Divinam revelationem specialem, se esse prædestinatos, aut in statu gratiæ, quamvis credere & certò sperare debeat quisque Fidelis se salvandum, si in bonis operibus cum Dei gratia perseverans decesserit.

X.

De libertate voluntatis, impletione legis, & bonis operibus, quomodò sint Dei & nostra, & an fiduciam aliquam habere possimus in illis.

FIRMITER tenendum est, Deum hominem tantâ donasse libertate, etiam post lapsum primi parentis, ut sicut suapte natura voluntas ejus habet, quòd sit ad malum flexibilis, ita etiam voluntas adjuta Dei bonitate & virtute, suapte natura habet non solum præcavere delicta, verùm quoque & bene agere: adjungendum est, adjuncta Dei bonitate & virtute; Nam cùm non simus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sufficientiam nos habere ex Dei misericordia & merito Christi exploratum est; non negato tamen liberi arbitrii usu & potestate, quo fit ut sufficienter cum Dei gratia Legem Dei implere possimus ad vitam æternam consequendam, quantum nobis præcipitur pro statu viæ; cùm neque nobis impossibile præcipiat, & ultrò suum semper offerat auxilium ad bene agendum & præcavenda peccata. Sic quoque nostra merita, Dei dicuntur, ut primarii Auctoris, cui debetur primatus meritorum, & principalis actio: Nostra itidem dicuntur merita; cooperatores enim Dei sumus, qui adjuvat imbecillitatem nostram, & mercedem quisque accipiet secundùm suum laborem, ac reddet unicuique Deus opera sua. Quæ quidem opera non solùm testimonia sunt, exem-

exempla, ſigna & fructus Fidei, ſed & Spei & Charitatis, per quæ tamen ingens nobis accreſcit cumulus meritorum, in quibus ſub Chriſto ſecundario & minus principaliter fiduciam aliquam habere poſſumus propter gratiam & promiſſionem Salvatoris, qui nos fecit dignos in partem ſortis Sanctorum ſuorum in lumine: quamquam tamen principaliter omnem ſpei noſtræ anchoram & fiduciam in Chriſtum fatemur. Et idem exiſtimandum de peccatorum remiſſione, quæ principaliter nobis contingit per Dei miſericordiam & propter Chriſtum, qui factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ: Secundò tamen & minùs principaliter per contritionem noſtram, quæ ſuam habet dignitatem à charitate & bonitate Dei.

X I.

Undè proveniat dignitas bonorum operum? De neceſſitate juſtitiæ bonorum operum & juſtitiæ bonæ conſcientiæ, & quod requiratur Spiritus ſanctus in remiſſione peccatorum: & in quibus ipſe Spiritus ſanctus non maneat.

FIRMITER tenendum eſt dignitatem operum meritoriorum non ex Fide ſolùm, quam in Chriſtum habemus, procedere, ſed etiam ex gratuita Chriſti promiſſione & conventione ejusdem, modò non ſit otioſum liberum Arbitrium; Verùm etiam ejusmodi bona opera efficiat ex charitate. Ea nempe opera ſunt, quibus homines juſti Deo placent eumque promerentur, atque coram Deo dignè ambulent. Unde liquidò conſtat juſtis neceſſariam eſſe juſtitiam bonorum operum nec non & juſtitiam bonæ conſcientiæ, in qua gloriabatur Apoſtolus, quodque in remiſſione peccatorum detur Spiritus ſanctus, & in iis non maneat, qui mortalia peccata committunt, hoc eſt, quæ facta ſint contra conſcientiam, Legem Dei, aut contra Eccleſiæ ſeu Superiorum nonnulla præcepta.

XII.

De Parentalibus, Missis pro Defunctis, & Purgatorio.

CUm in utroque Testamento exempla proponantur, quibus monstratur Deo placere, quòd Fidelium funera officiosa pietate curentur, celebrentur exequiæ, sepulturæ provideatur, per quæ certè Fides astruitur resurrectionis corporum & pietatis officia implentur. Pio sanè & Christiano more hæc in funeribus Christianorum exhibentur, dum, præeunte cruce, mortui cum honore, honesto comitatu, accensis luminaribus, Clero canente & cæteris orantibus, in terra sancta sepeliuntur. Hæc enim pia obsequia corpori resurrecturo & in æternitate mansuro etiam Fidei resurrectionis testimonium perhibent atque sepultum ostendunt in vita crucem Domini portasse, merito passionis Christi innixum esse & tandum hinc cum lumine Fidei migrasse. Et hæc quidem bene fiunt, & vivorum pro bona parte sunt solatia. Sed addenda sunt & alia subsidia mortuorum. Quamvis autem præstaret unumquemque vitâ comite præesse bonis operibus, quàm alium post mortem præficere, sanctum tamen & salubre ac ritui Ecclesiæ conforme est & Catholicorum Doctorum sententiæ, eos qui cum Dei gratia ex hac luce decessere, & nondum pro suis peccatis plenè satisfecerunt, precibus, oblationibus, Missæ Sacrificio, Jejunio, Eleemosynis, aliisque piis operibus juvare, quibus pœna in Purgatorio sustinenda relaxatur. At Purgatorium ponendum esse, & sanctæ Litteræ, & Catholici Doctores ostendunt, de quo in Concionibus ad populum sermonem habere expedit. Hinc enim inducitur populus animas illic existentes suffragiis & cæteris misericordiæ operibus sublevare.

Num.

Num. XV.

Confessio MERINDOLENSIUM ad Jac. SADOLETUM, Cardinalem, & alios, missa

A. 1542.

DE *Merindoliensium* & *Cabrieriensium*, priscorum *Waldensium* propagine, & iis, quæ cum iis gesta sunt A. 1540. 1. 2. vidimus in ipso Opere §. XLII. pag. 130—135. Cum verò non deessent qui Confessionis Doctrinæ ipsorum illustriorem commemorationem desiderarent, ipsique Merindolienses existimarent operæ pretium fore requirentibus omnibus fidei suæ rationem reddere; ac reputarent, quicunque Christi Evangeliique veritatem & amplitudinem abjurarent coram hominibus, eos ab eodem Christo coram Patre cœlesti & Angelis abnegatum iri; denique memoria tenerent, majores eorum in Bohemia, in capitis adductos periculum idem ipsos aliquando fecisse, suæque fidei Confessionem ad Uladislaum Hungariæ & Bohemiæ Regem, à quo premebantur, misisse; Merindolienses uberiorem fidei suæ Declarationem Cardinali Sadoleto, Consulibus Avenionensibus, & Episcopo Cabaglionensi curaverunt, nec non omnibus hominibus, qui publicè privatimve illud ab eis efflagitaverunt: Hanc Confessionem, cum Johannes CRISPINUS, Actis & Monimentis Martyrum à se Genevæ 1560. 4. editis inseruerit; fol. 104—110. inde eam decerpere voluimus atque ut hic legeretur efficere. Ea verò ita se habet.

De sacra Scriptura. CREDIMUS & confitemur universi, sanctam Scripturam inclusam veteri novóque Testamento, divino afflatu planè instinctúque cælitus infusam: neque humana aliqua voluntate demersam in has terras, sed ab ore sanctissimorum hominum Spiritus sancti beneficio impulsúque profectam. Ipsumque Deum ex omni memoria vetustatis Prophetarum suorum ore loquutum: verùm extremis

tremis hiſce temporibus loquutum profectò per unicum Filium ſuum, cui præſtandam modis omnibus attentionem imperaverit: pereundum ei ut ſit, qui docilitatem & attentionem illi minimè præſtiterit. Itaque qui ex Deo eſt, facilè ejus ſermonem audit & auſcultat: qui ſermo, formula quædam ſola, certa, perfectáque eſt ipſius veritatis, vitæque rectè inſtituendæ, utilis ad omnem eruditionem, ad omnem animadverſionem, ad reprehenſionem, ad juſtitiæ informationem, ut qui ex Deo eſt, ad integritatem operum paratus ſit. Hinc conſequitur, Scripturæ ſanctæ volumina ſatis eſſe fuſa ampláque ad reſtituendam ſalutem hominibus: ad verum Dei cultum illuſtrandum: ad depellendum errorem eorum qui oppugnant veritatem: ad hæreſes & vitia, depravatóſque hominum cenſendos atque corrigendos mores. His de cauſis ſanctæ Scripturæ ſcientiam auro & gemmis longè magis expetendam eſſe: ejúſque diſciplina omne hominum genus ad præceptorum omnium obſervationem erudiri, ad ejus lectionem aſſuefieri oportere. Nec verò quicquam eſſe tentandum extra cancellos verbi Dei, cui nec adjungendum aliquid, nec detrahendum omnino ſit: ne qua Dei animadverſio in nos, aut impoſtoria noxa maximo hominum incommodo conſequatur.

De Deo Patre. Ex ejusdem Scripturæ diſciplina confitemur, & credimus in unum Deum, Patrem, Filium & Spiritum ſanctum, tribus diſtinctum perſonis, ſed eadem una, ſpirituali, æquabili, perpetua, nullum neque principium, neque divinitatis exitum habente eſſentia præditum: qui maxima potentia ſua, infinitáque bonitate crearit omnia, eáque vegetet, tueatur, & conſervet. Et quanquam Majeſtas ejus eſt planè tanta, ut eam in hac humanæ vitæ luce, cogitatione nullo modo conſequi poſſimus (quicunque enim eam inveſtigare ſupra ſortem humanæ conditionis, ad ipſámque perrumpere conabitur, gloria ejus opprimetur) tamen inanis præſtantiſſimarum rerum teſtimoniis & inſignibus relicta non eſt. Inviſibiles enim Dei actiones, ejúſque virtus & divinitas immortalis, oculis animi facilè ſubjiciuntur cùm ex orbis univerſi conſtitutione, ex harmonia & quaſi concentu, conſervatione denique omnium rerum, quas admirabili, & incomprehen- ... conſilio ſuo & ſapientia creavit, conſiderantur. Illuſtratur quo-

quoque eadem Dei potentia judiciis suis justis & æquabilibus, suppliciis hominum perniciosorum, præsidio liberationéque eorum omnium, qui ipsum amore venerationéque complectuntur. Quod ipsum ejusdem verbo facilè declaratur, ubi peccantium hominum diluvii tempore supplicium animadversióque, Noach autem ejúsque familiæ totius conservatio describitur. Declaratur item Sodomæ subversione, & ereptione Lothi: postremò, vastitate submersionéque Pharaonis & Ægyptiorum, & contrà liberatione Israëlitarum: aliisque compluribus historiarum monumentis & exemplis, quibus homines instituti Dominum Deum æternum, Regum Regem ac Principem agnoscere confiterique debent. Ac testimonia quidem hæc omnia cum ad præcidendam hominibus excusationis occasionem, si minus Deum cognoverint, nec in gloria qua par est, ipsum quoque posuerint, optima locupletissimaque sunt: tum prolixius adhuc ac familiarius nobiscum agens, exprimere se mortalibus in persona Filii sui voluit: quemadmodum nos in his quæ sequuntur, piè vereque confitemur.

De Jesu Christo filio Dei. Certum habemus, Dei Filium in hunc mundum venisse, & humanæ carnis involucro tegi voluisse: qua in re una Christianæ religionis mysterium est constitutum, eoque nomine spem nostram totam & fidem in Jesu Christo, filio Dei, Domino nostro, Deo admirabili, authori æternæ vitæ, solo salvatore, justificatore, sanctificatore, solo interprete, & patrono generis humani, solo Sacrificatore, cui successore non sit opus: Eumque verè Deum, ac verè hominem existere.

De conceptione. Credimus atque confitemur Dominum nostrum Jesum Christum conceptum esse ex Spiritu sancto, opere virili in totum detracto sublatoque, quemadmodum Angelus ante conceptionem ipse nunciavit, idque eo consilio potissimum, uti Sanctus integerque nasceretur, cujus procreationem ab omni labe deformationeque vacuam esse necessarium esset.

De incarnatione. Credimus & confitemur Jesum Christum omni detracta corruptione ex virgine Maria natum in Bethleem civitate (ex Michæa Propheta) corpusque sumpsisse ad nostri planè similitudinem, excepto peccato, cui obnoxius esse minimè potuit:

tuit: Angelorum autem naturam noluiſſe ſuſcipere, ſed ſeminis Abrahami, quod teſtimonio Prophetarum omnium prædictum fuit, ut in peccatorum humanorum expiationem & ſacrificium offerretur.

De Paſſione. Credimus & confitemur Jeſum Chriſtum ſub Pontio Pilato paſſum, crucifixum, mortuum, ſepultum pro peccatis noſtris. Illum enim unum Agnum vere Paſchalem eſſe, in victimam oblatum, ut nos ex Diaboli faucibus eriperet, quemadmodum adumbratum id fuit per ſerpentem æneum in deſerto erectum: quoniam qui in Chriſtum crucifixum aciem oculorum direxiſſet, omni morbo levaretur, maledictioni, ac morti eriperetur, paſſioneque ſua iis qui in eum crederent ſalutem & vitam reſtitueret.

De deſcenſu ad Inferos. Credimus & confitemur deſcendiſſe illum ad inferos: non tantùm enim corporea morte defunctus eſt Chriſtus, verùm etiam oportuit eum cum inferorum copiis æternæque mortis horrore quaſi conſertis manibus luctari.

De Chriſti reſurrectione. Credimus & confitemur Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum tertio poſtea die ſuſcitatum à mortuis, ad juſtificationem noſtram, veriſſimúmque teſtimonium ſalutis & conſecutionis æternæ vitæ eorum qui libenter in Chriſto fidelitérque moriuntur.

De aſcenſione. Credimus, & confitemur Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum quadraginta poſt reſurrectionem ſuam diebus in cælum aſcendiſſe, corporeámque præſentiam ſuam ex his inferioribus locis ſubmoviſſe, quemadmodum prædixerat diſcipulis ſuis Joan. 16. & ſicut Angeli quoque teſtati ſunt.

De ſeſſione ad dextram Dei Patris. Credimus, & confitemur, ſedere illum ad dexteram Dei Patris omnipotentis: in omnia quæ ſunt in terra & in cælo imperium habentem, conſtitutum Dominum omnibus ditionibus ac dominationibus: hoſtes ſuos noſtroſque duxiſſe captivos in triumphum: eiſque exinanitis omnibus rebus, populum ſuum divitiis omnibus & opibus auxiſſe: ingreſſum etiam in Sanctuarium, humano artificio minimè factum atque conſtitutum, ubi patronus & mediator generis humani perpetuò conſiſtit & apparet.

Cre-

De fecundo Chrifti adventu. Credimus, Jefum Chriftum judicatum venturum fuperftites ac mortuos femel aliquando extremo ipfo judicii die, qui quidem foli Deo perfpectus exploratusque fit: Venturum, inquam, cum in Regia fua majeftate, Angelorum comitatu feptum, ad judicium orbis univerfi conftituendum atque pronunciandum.

De Spiritu fancto. Credimus in Spiritum fanctum, tertiam ejusdem cum Patre & Filio divinæ effentiæ perfonam, ex eodem Patre Filióque manantem, utrique eorum æqualem, depulforem moleftiarum omnium, confolatorem unicum humani generis: cujus inftinctu fancti Patriarchæ, omnes Prophetæ Apoftolique Domini noftri Jefu Chrifti loquuti funt: per quem fancta Ecclefia omni tempore conftituta & gubernata fuit. Hic eft doctor fyncerus, cujus afflatu omnes Chriftiani veritatis cognitionem habent: hic Spiritus in ipfis habitat, regenerans eos in vitam novam, veterem hominem in iis mortificans, eosdemque vivificans ad omne opus bonum, in afflictionibus confolans, confirmans in ærumnis, qui fuis adeft in rebus adverfis, teftificans eos effe filios Dei per adoptionem, cæleftis hæreditatis cum Jefu Chrifto participes.

De fancta Ecclefia. Credimus ac confitemur fanctam Ecclefiam catholicam, quæ eft congregatio & cœtus omnium verè credentium, fidelium, & electorum Dei qui fuerunt à principio mundi, & erunt usque ad finem: cujus quidem Ecclefiæ Jefus Chriftus eft caput, concilians eam fibi per fuum Spiritum, eamque fceptro verbi fui regens, una eademque voluntate ac fpiritu eam conjungens vinculo fidei & charitatis. Omnia itaque Ecclefiæ membra conjuncta, unum Deum, & caput unum ac mediatorem Jefum Chriftum agnofcunt, unam fidem ac legem habent, unus iis eft Baptismus, & eadem menfa fpiritualis, in qua idem cibus ac potus fpiritualis proponitur. Pro hac Ecclefia Chriftus feipfum tradidit ut eam fanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo: ut fifteret eam fibi gloriofam Ecclefiam, non habentem maculam aut rugam, aut quicquam tale: fed ut effet fancta & irreprehenfibilis. Sola corporis, carnis & offium ipfius membra in fancta cenfentur Ecclefia: exulant hinc fuperbi Pharaones;

 per-

pertinaces Pharisæi, & Simones magi, nullum est membrum putridum, corruptum, aut alioqui infectum: nec in ea locum habent Judæ similes, Caino, aut malo Diviti: recipiuntur in eam tantum oves & agni: putidi verò ac fœtidi hœdi removentur & excluduntur. Atque hæc differentia est inter Ecclesiam, quæ aliâs capitur pro congregatione bonorum & malorum, & Ecclesiam quam nos credimus, quæ sancta vocatur, sanguine Agni illius immaculati mundata atque sanctificata, extra quam non est salus. Quare in eam qui sunt verè Christiani convenire debent, nam eadem Ecclesia est communio sanctorum, qui omnes sunt membra capitis sui Jesu Christi: ita coadunati, ut simul coràm visuri sint conspectum Dei. Hæc est egregia fraternitas, in quam cooptati & conscripti sunt quicunque verè sunt fideles, vocati à Deo ad communionem Filii sui Jesu Christi.

Remissio peccatorum.] Credimus & confitemur remissionem peccatorum gratuitam, à misericordia & mera bonitate Domini nostri Christi profectam, qui mortuus est semel pro peccatis nostris, justus ille pro injustis, qui tulit peccata nostra in corpore suo ad crucem: qui est Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Is est Jesus Christus ille justus, qui noster est advocatus apud Deum: ipse est pretium reconciliationis nostræ: fidelis & justus ut nobis omnem iniquitatem condonet, sanguis ejus delet chirographum quo obligati eramus, & mundat conscientias nostras ab operibus mortuis, ut serviamus Deo vivo, qui solus peccata condonat, & abolet iniquitates hominum, ut convertantur à vita mala, & deponant iniquitatem quæ in manibus ipsorum est, ut tristitiam habeant, quæ est secundum Deum, quæ gignit certam pœnitentiam ad salutem, cujus rei exempla habemus, Davidem, S. Petrum, filium prodigum, Peccatricem illam, ac plures alios Judæos. Ut non est inter homines qui macula careat, & se justum præbere possit natus ex muliere: ita nec est quisquam per se innoxius coram Deo. Quum stellæ non sint mundæ in conspectu ejus: quanto minus homo in sua putredine, & filius hominis, qui nihil est quam vermis? Omnes facti sumus velut immundi, & justitiæ nostræ quasi pannus mulieris menstrualis, &c. proinde singuli gratia Dei per Christum oblata opus habent,

qui

qui ſolus pro fidelibus ſatisfecit, quibus peccata non imputantur, quemadmodum incredulis atque reprobis.

Carnis reſurrectio.] Credimus reſurrectionem carnis benedictorum Dei, ad poſſidendum regnum cæleſte in æternum: maledictorum verò Dei, ad ignem & cruciatum perpetuum, ubi erit ploratus, &c. Credimus item animas eſſe immortales: fidelium autem ac filiorum Dei animas quamprimum ex hoc corpore migrarunt, ad gloriam cæleſtem tranſire, in qua Dominus noſter Jeſus Chriſtus reſidet, certi enim ſumus cùm hæc noſtræ commorationis in terra domus deſtructa fuerit, reſtare habitationem divinam, ac domum æternam in cælis, quæ non eſt facta manibus. Infidelium verò ac reproborum animæ, cùm è corporibus diſcedunt, ad inferorum cruciatus ſe conferunt usque ad diem judicii & reſurrectionis carnis, ut ibi corpore & anima in perpetuum torqueantur in gehenna ignis inextincti.

De vita æterna.] Credimus vitam æternam, nobis gratia Dei per Chriſtum oblatam, qui verè vita eſt, ac mortem confecit, ut fideles vitæ æternæ hæredes fiant, nam quotquot in ipſum credunt, & mandata ejus ſervant, nunquam morientur: neque eſt ulla condemnatio iis qui ſunt in Jeſu Chriſto, qui non ex carne, ſed ex Spiritu ambulant: ii non ſubeunt reatum, ſed tranſeunt à morte ad vitam. Qui enim credit in Jeſum Chriſtum non condemnabitur: qui verò non credit jam condemnatus eſt. Hæ ſunt duæ (quas nobis ob oculos Scriptura ponit) viæ, nec ullam novimus tertiam: quarum altera ampla quidem eſt & ſpatioſa, atque ea ducit ad interitum, quam magna multitudo & frequentia hominum celebrat: altera verò arcta, quæ ducit ad vitam, ac pauci admodum per eam ingrediuntur.

De Baptiſmo.] Credimus & confitemur, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtùm abolita Circuncifione inſtituiſſe Baptismum, per quem in populi Dei Eccleſiam recipimur, ut Domino conſecremur, & ſegregemur ab aliis omnibus qui varias & diverſas religiones colunt: quæ nota eſt & ſignum viſibile. Baptismus verò exterior, alium quoque interiorem nobis exhibet, gratiam ſcilicet Dei, quæ cerni his oculis non poteſt, & benevolentiam qua nos proſequitur propter Jeſum Chriſtum, qui nos ſuo Spiritu

baptisat, lavans, purgans ac mundans animas nostras ab omnibus pollutionibus & iniquitatibus, renovans corda nostra: atque eas explet consolatione, fiducia paternæ ipsius bonitatis, ex veteri novam efficiens creaturam, vasa iræ in vasa misericordiæ mutans, idque virtute Dei invisibili sic in nobis operante, nam Christi sanguis lavacrum est animarum nostrarum, non autem elementum. Forma autem baptisandi præscripta est à Jesu Christo, qui dicit: Ite, & docete omnes gentes, baptisantes eas in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Joannes Baptista, Apostoli atque alii ministri Ecclesiæ baptisant, prolato verbo Dei ad sacramentum, ac signum visibile tantùm donant: Dominus verò Jesus Christus ἀρχιποίμην, solus incrementum dat, & facit ut res signatas percipiamus: gratiis & donis quæ sub visum non cadunt, suos ornat. Quæ sacrifici ad Baptismum addiderunt, præter sacræ Scripturæ authoritatem, ut sunt, aquæ conjuratio, chrisma, sal & sputum, mera sunt hominum commenta. Errant etiam graviter qui pueros Christianorum à Baptismo removent.

De sacra Cœna. Credimus & confitemur Dominum nostrum Jesum Christum deinde ordinasse sacramentum Cœnæ, quæ gratiarum est actio, & memoria mortis ac passionis Jesu Christi, in cœtu populi Dei ritè celebrata, in quo quidem panis & vinum distribuuntur & sumuntur, ut visibilia signa & monimenta rerum sacrarum, corporis videlicet & sanguinis Jesu Christi, suspensi atque in cruce oblati pro peccatorum nostrorum remissione, & generis humani cum Deo reconciliatione. Quisquis credit Jesum Christum tradidisse corpus suum, & profudisse sanguinem ad remissionem peccatorum, ille comedit carnem & bibit sanguinem Domini, & utriusque fit particeps: considerans convenientiam earum rerum quæ oculis subjiciuntur, & cibi quo corpus istud sustentatur, cum iis rebus quæ non videntur, atque cibo spirituali. Etenim ut corpus in hac vita pane corroboratur, vinumque cor hominis recreat: ita etiam corpus Jesu Christi morti traditum, ejusque sanguis pro nobis effusus nutrit, confirmat, & reficit animam tristem & afflictam. Cæterùm ne quis existimet signum visibile cum re per id significata, quæ est invisibilis, adeò

eò conjungi aut conglutinari, ut disjungi aut dissolvi nequeant, quin unum sine altero esse possit. Nam Judas signum quidem cœpit, rem verò significatam & fructum non percepit, nec unquam corporis & sanguinis Jesu Christi particeps factus est: sed infidelitate sua partem sibi apud Sathanam est consecutus, & membrum Diaboli factus. Probet itaque seipsum homo, an syncera fide & pœnitentia cum charitate Christiana conjuncta, ad hanc sanctam mensam accedat: nam alioqui reus erit corporis & sanguinis Domini, dum mortem Jesu Christi, & consilium Dei pro nihilo ducit, qui non temerè sacrosanctum istud sacramentum instituit, sed nos hac ratione excitare ac perducere voluit ad ardentem sui & fratrum nostrorum dilectionum, ut verè efficiamur templa Dei, qui in nobis habitare dignatur, quemadmodum apud Joannem testatur Dominus, Siquis me amat, servabit verbum meum, & Pater meus illum amabit, & veniemus ad eum, atque cum eo habitabimus. Atqui istud non eo modo accipiendum quo nonnulli opinati sunt, verum Christi corpus & naturale, carnem & ossa in pane illo Cœnæ esse ac delitescere, aut in eum converti, nam hæc opinio pugnat cum verbo Dei, & fidei nostræ articulis est contraria, in quibus clarè habemus, Christum ascendisse ad cælos, sedere ad dexteram Dei Patris omnipotentis, unde & venturus est ad judicandum vivos & mortuos, sed Dominus Jesus Christus sacramento Cœnæ adest potentia, virtute, atque præsentia Spiritus sui in cordibus electorum suorum & fidelium. Nullus igitur Christianus carnalem quandam inter Christum & ejus electos communitatem atque unitatem imaginetur, quamvis revera coadunati sint corpori ac sanguini illius, utpote carnis & ossium ejus membra, mysterium enim conjunctionis & communionis Jesu Christi magnum esse norunt fideles, atque hæc ratio copulæ cùm sit spiritualis, hominis ingenio nec percipi nec intelligi potest. Christiani autem corporali Domini præsentia non opus habent. Incarnatio ejus & passio, ad salutem mortalium prorsus necessariæ fuerunt: id quod ipse testatur, dicens, Exivi à Patre, & veni in mundum: rursus relinquo mundum & vado ad Patrem: quare certum est, impostores esse, qui docent panem Cœnæ esse proprium & reale (ut loquun-

quuntur) Christi corpus. Errant etiam, qui affirmant, in Cœna Christi corpus comedi corporaliter, caro enim comesta nihil prodest: Spiritus est qui vivificat. Fideles igitur verè Jesu Christi carnem edunt, & sanguinem bibunt spiritualiter in ipsorum cordibus. Quapropter sacrilegi meritò censendi sunt, qui istud Sacramentum contemnunt: pii verò credunt & confitentur uno ore omnes, Cœnam Dominicam publicum esse conventum ad testificandum Jesum Christum panem esse vitæ, qui de cælo descendit. In Cœna complementum est ac veritas Agni illius & solennitatis Paschæ: participatio nempe corporis & sanguinis Christi: memoria mortis & passionis ejus: confessio fidei sub symbolis atque insignibus veri Regis: separatio & segregatio ab omnibus sectis: coadunatio in unum corpus, mutua inter Christianos charitatis obligatio, nervus ac vinculum fraternæ illius conjunctionis: exemplum ac monimentum posteris: arrhabo misericordiæ Dei: figura Cœnæ æternæ.

De cultu Dei.] Credimus & confitemur syncerum Dei cultum consistere in eo, ut voluntati ejus pareamus, atque omnem nostram diligentiam, operam, ac studium conferamus in hoc, ut, quoad in nobis erit, eam sequamur. Regula verò obsequii quod Deo præstandum est, in Præceptis divinæ Legis nobis præscripta est, quibus docemur, quid Deo primùm, deinde quid proximis nostris debeamus. Porrò finis præcepti est, Deo obedire in vera charitate, ex puro & integro corde, & conscientia bona, & fide non simulata. Hæc demùm est ratio suum Deo honorem tribuendi, qui nec ex nostro ingenio aut hominum traditionibus coli, nec quod cuique bonum & æquum videbitur, sed quod ipse præcepit tantùm fieri vult, nam omnia bona opera, quæ præparavit Deus ut in iis ambulemus, in Mandatis ipsius habemus.

De Lege.] Confitemur, agnitionem peccati ab ipsa Legis intelligentia proficisci, quæ nostram nobis quasi digito ostendit imbecillitatem, quum nemo sit mortalium qui eam implere valeat. Omnes enim homines peccatores sunt: Legis neutiquam observantes: naturâ filii iræ: justo Dei judicio obnoxii, & quovis reatu ac morte æterna digni. Unde sequitur, nullum restare aliud remedium quàm ut ad gratiam Dei & misericordiam veniamus,

quæ

quæ nobis in ſolo Chriſto offertur: ſicut ſcriptum eſt, Verbum propè eſt in ore tuó, & in corde tuo: hoc eſt verbum fidei, quod prædicamus. Quod ſi Dominum Jeſum ore tuo confeſſus fueris, & credideris in corde tuo quòd Deus ſuſcitavit illum ex mortuis: ſalvus eris, corde enim creditur in juſtitiam, ore fit confeſſio in ſalutem, omnis qui credit in eum non pudefiet. Nam Dei promiſſiones fide apprehenduntur, quæ certa eſt cognitio amoris Dei erga nos, in gratuita Dei promiſſione, quam in Jeſu Chriſto habemus, fundata: deinde per Spiritum ſanctum in cordibus noſtris confirmata atque obſignata, qua gratis ſalvi ſimus: nec id à nobis, ſed dono Dei, non autem operibus, ne quis gloriari poſſit. Proinde Paulus omnia ſibi detrimento eſſe duxit, nec pluris quàm ſimum æſtimavit, ut ſibi Chriſtum lucrifaceret, utque in Chriſto inveniretur indutus non juſtitia Legis, ſed fidei, quæ quidem juſtitia à Deo eſt. Præterea idem alibi infert: Nos itaque ſcientes hominem non ex operibus, ſed per fidem juſtificari: credimus etiam in Jeſum Chriſtum, ut per fidem in eum, non ex operibus Legis juſtificemur. Eadem eſt doctrina Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui, quærentibus diſcipulis, ecquis igitur ſalvus fieret? reſpondit, apud homines id quidem, eſſe impoſſibile: apud Deum verò, omnia eſſe poſſibilia. Ubi itaque reſtat gloriatio? prorſus excluditur. Qua tandem lege? Operum-ne? Non: ſed per legem fidei, quæ reputatur ad juſtitiam.

De bonis operibus. Confitemur bona opera, quæ Deus præparavit ut in iis ambularemus, quæque in verbo ejus propoſita ſunt, fieri debere atque ſtudiosè adimpleri non quidem ſpe promerendi aliquid apud Deum, aut metu æterni exitii: ſed ex officio atque amore, quo communem omnium noſtrûm Patrem complecti oportet, ut obſequium noſtrum ad ipſius gloriam & proximi ædificationem ſpectet: utque vera ac viva fides, tanquam arbor à bonis fructibus, dignoſcatur. Huc tendunt verba Petri, cum ait. Quamobrem, fratres, date operam ut bonis operibus certior reddatur electio veſtra, converſationem veſtram inter gentes habentes bonam, ut in quo detrahunt de vobis tanquam maleficis, ex bonis operibus vos æſtimantes, glorificent Deum in die viſitationis. Quoniam autem frigidi & pigri ad omne opus bonum

num impii in hoc se excusant, quòd Lex sit impossibilis carni, atque ita ducti falso gaudio, sibi in peccatis placent: certum est, quod qui veram fidem habebunt, fructus illius & opera quoque producent: increduli verò mala opera perpetrabunt, necnon hypocritæ qui tantùm fidem mortuam jactitant, quos Divus Paulus inquit, ore quidem confiteri se Deum nosse, operibus verò negare: quandoquidem abominabiles sunt, infideles & ad omne opus bonum inutiles.

De jejunio. Credimus & confitemur, sobrietatem & continentiam nobis ex præceptis divinis, in omnibus rebus servandam. Jejunium quoque nobis in Scriptura injunctum est, quod corporis afflictione atque humiliatione constat, non id quidem ut tantummodò caro affligatur, sed ut alacriores, magisque ad precandum idonei reddamur. Unde facilè patet verum jejunii usum his temporibus negligi, imò prorsus aboleri, quod quidem Isaias reprehendit in Judæis, atque ostendit quinam jejunio abutantur. Nolite inquit, jejunare quemadmodum ad hunc usque diem fecistis, &c.

De ciborum quorundam abstinentia. Confitemur etiam in veteri quidem Testamento certos cibos fuisse prohibitos, quorum tamen apud Christianos liber mansit usus per Jesum Christum, qui nos planè immunes ac liberos fecit ab istiusmodi ceremonia atque servitute Legis. Qua de re omnia munda mundis, contraque impuris & incredulis nihil purum esse potest, quorum mens & conscientia impura est. Atqui esca nos Deo gratiores non reddit, nam quod per os intrat, nequaquam hominem inquinat: omnis creatura Dei bona est: proinde nec aspernanda, modò cum gratiarum actione utamur, sanctificata enim est verbo Dei & oratione. Sed diligenter nobis videndum est, ne libertatem hanc ad carnis voluptatem traducamus, atque inprimis cautio adhibenda, ne corda ingluvie aut ebrietate, aut solicitudinibus & curis hujus seculi impediantur, ac penitus obruantur.

De Magistratibus. Confitemur Reges, Principes, ac Magistratus personas esse à Deo constitutas, ut gladium gestent ad bonorum defensionem, atque punitionem facinorosorum. Ideóque iis obedientia debetur non modò propter iram, sed etiam propter conscien-

scientiam. Reddendum enim suum cuique, tributum, vectigal, honorem & alia pro suo cuique jure persolvenda censemus. Ad Regem in primis obedientia pertinet, utpote qui cæteris dignitate præstet: ad Duces verò, quòd ab illo missi sint. Omnibus denique proceribus ac magistratibus parendum, quòd Deus in hoc ordinavit, ut præmio bonos, sceleratos verò pœna afficiant.

De pastoribus & ministris.

Confitemur ministros & Ecclesiæ pastores, exemplo gregi, & fidelibus esse oportere, in sermone, consuetudine, charitate, fide & castimonia aliis prælucere, concionando Verbum Dei, & perseverando in syncera doctrina. Contrà verò pastores avari, qui turpis lucri causa sub pretextu nihilominus cultus Dei, falsas doctrinas comminiscuntur, istiusmodi mercatores, propolæ, qui suarum rerum aspectum atque eandem rem plus millies vendunt, qui templum Dei prophanant, ut speluncam latronum efficiant: qui pecunia, se animas è Purgatorio ut vocant, redimere posse confirmant, atque accepto precio veniam & peccatorum remissionem promittunt, qui mala opera venditant: tales inquam, impostores, sacrilegi, atque idololatræ, de gradu demovendi Regum ac Magistratuum authoritate, aliique in ipsorum locum substituendi forent. Quanquam hoc tempore plerique se à Principum obedientia non modò subtraxerint, eorúmque juga planè excusserint: sed etiam ambitione ac tyrannide diabolica totius ferè orbis dominatum sibi attribuerint. Principum potentiam atque authoritatem usurparint, derelicto proprio officio, quod erat gregem Dei pascere, providere ei non invito, sed alacri & prompto propter Deum animo: non autem, occupare imperium in Clericatum, quemadmodum satis declarat triplex illa Antichristi corona, regnum etiam Episcoporum atque Abbatum, qui tandem stipendium iniquitatis suæ recipient. Sed cum ἀρχιποίμην ille venturus est, qui fideles servi inventi fuerint, coronam gloriæ incorruptam accipient.

Num. XVI.

PROTESTANTIUM Ordinum Epiſtola ad *Franciſcum* Reg. Galliæ pro Merindolienſibus

Anno 1541.

FRANCISCO primo, Regi Galliæ, Principes atque Ordines Imperii Ro. Germanici Proteſtantes Salutem & Obſequium noſtrum.

SEreniſſime atque *Chriſtianiſſime* Rex; Quoniam ea benevolentiæ ſigna Regia dignitas veſtra nobis ſemper exhibuit, quæ argumento eſſe poſſint, Regiam Majeſtatem veſtram, optimo eſſe & amiciſſimo erga nos animo, aliquoties etiam experti ſumus apud Regiam Celſitudinem veſtram, noſtras preces non parum habuiſſe momenti: Itaque nunc etiam de quorundam privatorum incolumitate, qui partim in variis regni veſtri locis, præſertim *Gratianopoli*, & aliis Provinciæ Urbibus capti tenentur, partim cum parvis liberis miſeri reliquerunt ſuas domos, & in cavernas fugere coacti ſunt, propterea quòd de Doctrina *Chriſtiana* idem ſentiant quod Eccleſiæ noſtræ profitentur, ad Reg. Celſ. veſtram ſcribendum & pro illis intercedendum duximus.

Magno dolore afficimur, quòd cum negari non poſſit, multos veteres abuſus hærere in Eccleſiis, ita tamen exarſerit iracundia paſſim, ut & ſalutares ſententiæ obruantur, & non ſolùm homines privati, ſed etiam gentes totæ veniant in periculum: Quæ cum ſupplices fiunt Regiæ Celſ. Veſtræ, exiſtimet Regia Celſ. Veſtra non nos tantùm, ſed ipſam Eccleſiam *Chriſti* lugentem jacere ad pedes ſummorum Regem, & opem implorare, nè lux exorientis Euangelii extinguatur, & ut modeſtis hominibus ac *Chriſti* membris parcatur.

Scimus hos, qui propter piam doctrinam ſunt in odio, interdum prægravari aliis criminibus, ac dici ſeditioſos. Vidimus autem confeſſionem ærumnoſorum illorum oblatam curiæ *Gratianopo-*

nopolitanæ (a), & purgationem objectorum criminum. Quare magis deprecandum esse pro eis duximus, quia doctrinæ confessio pia est, & haud dubiè pura sententia Catholicæ Ecclesiæ *Christi*, quam & nos profitemur.

Oramus igitur Regiam Celss. Vestram ut tum captivorum illorum, tum aliorum, si qui propter easdem causas periclitantur, vitæ parcat, eòsque dimittat incolumes.

Audimus quidem, nonnullis ita veniam concedi, ut abjiciant confessionem doctrinæ, quam ipsi piam esse non dubitant: Quod cùm facere ipsâ morte sit acerbius, Oramus ut Regia Celss. Vestra id quoque propter Deum mitiget. Neque enim ignorat Majestas vestra, quam grave sit aliquid, præsertim in Religione, contra conscientiam approbare.

Erit hæc clementia grata Deo, & habebit præmia divinitùs, sicut Psal. inquit. *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Deus.*

Quare ut hac in re erga miseros illos, ubicunque sint, se clementem præstet Regia Majestas vestra, etiam atque etiam oramus. Idque erit tum nobis, tum omnibus istis, qui nobiscum eandem Religionem profitentur, maximi beneficii loco, præsertim, si intelligamus illos nostrâ intercessione fuisse liberatos: & apud bonos omnes non vulgarem clementiæ & moderationis laudem Regia dignitas vestra obtinebit.

Nos etiam, si hæc impetrabimus, quemadmodum bona spes est, studebimus vicissim, quibus poterimus officiis memores & gratos animos testari, optantes ut Deus Opt. Max. Celss. Vestram diu servet incolumem & florentem. (*) Datæ *Ratisbonæ* vicesimo tertio Maji, Anno *Christianæ* salutis, M. D. XLI.

(a) Ea est Confessio, quam No. XV. exhibuimus.

(*) Legitur hæc Epistola in Volumine Epistolarum Philippi MELANCHTHONIS Editionis Londinensis, in folio. Lib. III. Ep. 2. p. 488. 489.

Num. XVII.

Senatus Parisiensis Arrestum (a) de comburenda Jo. *Calvini* Institutione Relig. Christ. A. 1543.

VEU par la Cour la Requête à elle presentée par l'Inquisiteur de la Foi, par laquelle & pour les causes contenues en icelle, il requeroit, que suivant l'Arrêt donné par ladite Cour, intervenu sur l'entherinement des Lettres de Remission obtenues par Estienne Dolet, les Livres intitulés, les Gestes du Roy, Epigrammes de Dolet, Caton, Chrispian, l'Exhortation à la lecture de la Sainte Ecriture, la Fontaine de Vie, les Cinquante-deux Dimanches composés par Fabre Stapulense, les Heures de la Compagnie des Penitens, le Chevalier Chrétien, la Maniere de se confesser d'Erasme, le Sommaire du Vieil & Nouveau Testament imprimé par ledit Dolet en François, les Oeuvres de Melancton, une Bible de Geneve, Calvinus, intitulé *Institution de la Religion Chrestienne* par Calvin, être brûlés, mis & convertis ensemble en cendres, comme contenant damnable & pernicieuse & heretique Doctrine. Le tout à l'édification du peuple & à l'augmentation de la Foi chrétienne & catholique; & aussi défenses être faites à son de trompe & cri public, à tous Libraires & Imprimeurs, d'imprimer ou faire imprimer & exposer en vente tels & semblables livres, & à toutes personnes de quelque état & qualité ou condition qu'elles soient, d'en avoir ou garder en leur possession, ainsi leur être commandé & enjoint incontinent les mettre en Justice, sur peine d'être punis comme heretiques. Et oüi sur ce le Procureur General du Roy, lequel auroit requis ce que dessus. Et tout consideré.

La

(a) Cum Dn. d'ARGENTRE in Collect. de nov. errorib. Tom. II. fol. 133. hoc nobis conservaverit documentum, illud propter rei memoriam, ut hic legeretur, efficere voluimus: Est vero ejus Rubrica l. c. hæc: *Arrest de la Cour de Parlement contre les livres de Calvin, Melanchthon & quelques Oeuvres d'Erasme & autres. du* 14. *Fevrier* 1543.

La Cour a ordonné & ordonne les Livres ci-dessus intitulés & dénommés, être brûlés au Parvis de l'Eglise de Notre-Dame, au son de la grosse cloche de l'Eglise, & inhibitions & defenses être faites à son de trompe & cri public de cette Ville de Paris & autres de ce ressort, à tous Libraires & Imprimeurs, d'imprimer ou faire imprimer & exposer en ventes tels & semblables Livres, & à toutes personnes de tel état ou condition qu'elles puissent être, d'en avoir ou garder en leur possession, ains leur commande & enjoint icelle Cour les apporter & metre en Justice, sur peine d'être punis comme heretiques & fauteurs d'iceux, & autres peines, à la discretion de ladite Cour. Fait en Parlement le 14 jour de Fevrier, l'an 1543.

MATON.

Num. XVIII.

PRINCIPUM Evangelicorum (a) Epistola ad Ducem Lotharingiæ A. 1542.

ILlustrissime Princeps, & consanguinee dilecte; Etsi non ignoramus, apud exteras nationes interdum de nobis judicari durius, propterea quòd iis, qui Ecclesiasticos abusus pio studio & veris rationibus taxârunt, non adversati sumus, tamen cùm sciamus D. T. singulari prudentiâ & gravitate præditam esse, arbitramur eam de nobis quidem judicium suspendere, donec hæ controversiæ aliquando legitimâ ratione audiantur & cognoscantur, præsertim, cum manifestum sit, multos esse veteres morbos Ecclesiæ, de quibus necesse est tandem pios gubernatores populi *Christiani* deliberare. Verè enim hoc affirmare possumus, nos ex animo semper optâsse, ut piè cognitis rebus gloria Dei illustraretur, saluti hominum consuleretur & communi concordiæ, & Eccle-

(a) Est hæc, æque ac ea, quam No. XVI. exhibuimus Epistola scripta stylo *Philippi* MELANCHTHONIS atque inter ejus Epistolas in Editione Londinensi in fol. legitur Lib. I. Ep. 58. pag. 61.

Ecclesiæ pax conservaretur. Nam cum professio nobis ingentia pericula, labores, sumptus adferat, non est existimandum, nos privatâ cupiditate huic negotio favere. Non enim ob alias causas abusus corrigi permisimus, nisi propter gloriam Dei. Quare cum cognitionem Ecclesiæ semper flagitaverimus, nequaquam accusari possumus tanquam sejuncti ab Ecclesia. Et omnes sapientes Principes ubique oramus, nè quid de nobis statuant, sine cognitione, quæ decet Dei Ecclesiam. Hæc petitio cum sit æquissima, impetret à D. T. nè gravatim has nostras literas accipiat, quas de tranquillitate civitatis *Metensis* scribendas esse duximus. Cùm enim nuper eò Legatos nostros misissemus, nullius privatæ utilitatis causâ, sed tantum ut cives ad concordiam hortaremur, & viam ostenderemus piam & salutarem, intelleximus, quosdam inimicos, iis, qui doctrinam puriorem expetunt, moliri, ut ad sua odia adjungant D. T. & auxilio D. T. perterrefaciant aut opprimant honestos homines nobiles & plebeios, qui & sunt tranquilli & fideles in omnibus civilibus officiis præstandis, nec aliud petunt, nisi ut habeant in aliquibus Ecclesiis doctrinam puram, & usum Sacramentorum sincerum. Scimus autem D. T. naturæ bonitate & voluntate ab injusta asperitate abhorrere, sed tamen calumniosis delationibus interdum optimi & mitissimi gubernatores incenduntur, ut non suæ moderationi, sed alienis affectibus morem gerant. Promittunt cives *Metenses*, pro quibus scribimus, se in omnibus civilibus officiis omnia libenter facturos, se nulla in re paci defuturos, tantùm suas Ecclesias rectè constitui volunt. Id si impedietur, primùm gloria Dei læditur, deinde multa animarum & civitatis pericula sequuntur.

Postquam sparsa est aliqua Euangelii lux, multos abusus jam intelligit populus. Hos si cogitur observare contra conscientiam, excutitur eis vera invocatio Dei. Nam cum perturbatio hæret in conscientia, quæ deponi non potest, fugit mens, non invocat Deum. Quid est autem tristius & detestabilius, quàm impedire veram invocationem Dei? Accidit etiam interdum, ut in tali perturbatione animorum concipiantur, vel ab erroribus oriantur falsæ opiniones, ubi desunt boni concionatores, qui publicè doceant.

ceant. Nocent autem privatæ opiniones & animabus & paci publicæ. E contrà verò pia & salutaris doctrina etiam pacem civitatum munit. Constat enim doctrinam de omnibus civilibus officiis, in hac ipsa luce Euangelii magis illustratam esse, quàm antea unquam, Optandum est, omnes vera invocatione & piis moribus Deum colere, tamen hi, qui doctrinam puriorem expetunt, non sunt impedituri ceremonias cæterorum qui secus sentiunt. Vicissim æquum est, non labefactari conscientias horum, qui abusus intelligunt, & vitare cupiunt. Rogamus igitur D. T. & amanter & diligenter, nè se incitari sinat contra partem civitatis, quæ Ecclesias rectè constitui cupit, nec adjuvet iracundiam eorum, qui civilem sanguinem haurire cupiunt. Nam hæc causa qualiscunque videtur, non potest nec debet promiscuis & multis civium cædibus dijudicari. Nec verò dubitamus, quin D. T. pro sua virtute digna Principe bono maximè detestetur civilem crudelitatem, & velit vicinam civitatem tranquillam esse. Sic autem retineri tranquillitas potest, si neutra pars alteram vi impediat. Hæc mutua moderatio, & maximè civilis est, & multis civitatibus in *Germania* salutaris fuit, in quibus paulatim veritate clarius illucente, & dissensio mitigata est, & sanatæ sunt simultates. In his locis si violenta consilia initiò tentata essent, omnia funditùs periissent. Semper enim in civium dissensionibus magis salutaria fuerunt mitia consilia, quàm violenta. Quare D. T. pro sua bonitate ac sapientiâ annitatur, ut tali moderatione consulatur saluti civitatis *Metensis*. Hæc ut scriberemus ad D. T. non privato affectu, sed honestissimis & publicis causis adducti sumus, ut honesti & innocentes homines, quorum multi propter virtutes & facultates patriæ magno præsidio atque ornamento sunt, & vero timore Dei moventur, ad quærendam de *Christo* Salvatore puram doctrinam, sint in tuto. Tales Principum benevolentia tuendi sunt. Ideo rogamus, ut has nostras literas D. T. in optimam partem accipiat, nósque nostra officia D. T. summâ cum benevolentiâ deferimus. Bene & feliciter valeat D. T. Datæ VII. Novemb. Anno millesimo quingentesimo quadragesimo secundo.

Num. XIX.

CAROLI Ducis Aurelianensis Literæ ad Philippum Hassiæ.

& Instructio Ant. Malleto data A. 1543.

DE FRANCISCI I. Regis in Reformationem animo fluctuante, CAROLI autem *Ducis Aurelianensis* filii ejus natu secundi, in eam propensione certa, quædam in Opere nostro §. XLIX. pag. 155. diximus:

Est ea de re, quam nova ea videri posset, ac incredibilis, documentum certissimum à Doct. VASSORIO conservatum, in ejus Epistolis & Observationibus de Concilio Tridentino pag. 15. 16. Edionis Latinæ.

Scilicet, cum de Ducatu Luxemburgico in eundem hunc Principem Galliæ Carolum conferendo, transigeretur, ipse Princeps ut Electoris Saxonici atque Landgravii Hassiæ sibi conciliaret amicitiam, missa ad eos Francofurti cum reliquis Protestantium Principibus congregatos Legatione, operam navavit.

Ad eam Legationem Secretarium suum ac Cubiculi Ministrum Antonium Malletum designabat, eundemque d. VIII. Sept. A. 1543. ad eosdem Principes amandabat, datis ipsi cum Literis tum Instructione, quæ utraque Documenta ex Vassorio ut hic legerentur propter rei memorabilitatem efficere volui:

Facit hujus causæ mentionem Illustris quoque BURNETUS in Histor. Reform. Anglic. Volum. III. fol. 158. 159. editionis Anglicanæ:

Exemplum verò illius Instructionis ex ipsa sua origine descriptum est, teste Vassorio l. c. p. 14.

Verosimile videtur, inter chartas Landgravii Hassiæ fuisse repertum autographum, cum iste à Carolo V. duceretur captivus. Aut forte captus est in Germania Legatus Ducis Aurelianensis, & literæ traditæ Imperatori.

Quic-

Quicquid demum sit, exemplar tenuit Episcopus Atrebatensis ipsius hujus Instructionis:

* * *

* *

*

Literæ Fiduciariæ Caroli Ducis Aurelianensis ad Philippum Hassiæ Landgravium.

MIgrante ad Te, Suavissime Cognate; qui has perfert, Secretario meo Antonio Malletio, illius fidei credidi, ut quædam meo nomine significaret. Fidem babebis ejusdem sermonibus atque huic æquè in iis, quæ pro me dixerit, ac mihi ipsi accedes; Me verò, ut Tibi commendatum habeas rogo, Deumque veneror, carissime Cognate, ut honestis Tuis desideriis ubique satisfaciat. Scripsi Rhemis die VIII. Septembr.

Carolus Cognatus Tuus.

Literæ inscriptæ erant: *Cognato Suavissimo Hassiæ Landgravio.*

Sigillum ceræ subrubeæ erat impressum, & armis Galliæ ac Mediolani quadratim dissectum.

Literæ Summam continentes eorum, quæ à Secretario nostro & Cubiculi Ministro Antonio Malletio proponenda sunt, & significanda Ducibus Saxoniæ, ut & Hassiæ Landgravio, aliisque Protestantibus Francofurti nunc congregandis.

EXponat his primò desiderium, quod divina favente gratiâ ingens nobis est, ut doctrina de Christianorum Evangelio per totam Galliam prædicetur, præsertim verò ubi mox fieri initium optamus. At, cum metus maximè obstet atque obedientia filialis, ac tandem honor etiam fraternus, quæ cum Regi Christianissimo,

Domino noſtro ac Parenti honoratiſſimo debemus, tùm Delphino fratri natu majori, ne liberè per Ducatum noſtrum Aurelianenſem propagetur; quippe qui imperio atque gubernationi ſubeſt dicti modò Domini ac Parentis noſtri: cumque & Papa & Imperator atque item Principes ceteri hâc in re adverſari poterint: aliæque cauſæ adhuc ſuppetant loco magis opportuno à nobis enarrandæ; ſincerè Vos Illuſtriſſimos & Excellentiſſimos Principes ac Dominos Duces Saxoniæ, Landgravium Haſſiæ & qui aliàs Proteſtantium nomine appellari velint, ideò obteſtamur, iisque indicamus nos conſtituiſſe, quodque adeò expreſſè ipſis ſanctèque promittimus, ut commemorata doctrina proponatur in Ducatu *Luxenburgico*, cujus nobis ſperamus liberum à dicto Rege & quietum imperium relictum iri, quemadmodum & aliarum provinciarum, quæ ad nos belli jure ſunt devolutæ. Nos verò viciſſim deſideramus, ut in fœdus iterum, ſive propulſanda omnis injuria ſit, ſive vindicanda â Poteſtantibus, recipiamur; quem in finem etiam, ut juſtæ ejusmodi graviſſimisque cauſis innixæ petitioni aſſurgant obnixè contendimus. Neque illud quidem eò volumus extendi, ut ſuppetiis nos viribusque ſuis aut favore contrà Principem unum alterumve adjuvent; ſed in iis tantùm adſint, quæ negotium de Religione Chriſtiana concernunt, cujus nos vehementer ac præcipuè quærimus incrementa. Etenim tantò ea facilius hac ratione poterit in ceteras noſtras regiones & Regnum ſuprà memoratum inferri, quo prius Rex parens noſter tàm arctè nos viderit cum tantis Principibus conjunctos; quippe qui anſam dederint, ardorem eidem hoc in loco inſignem oſtendendi; imò ſi & contrà eundem hac excuſatione uti licuerit, & contrà hoſtium impetus conſilia noſtra defendere. Hinc ergò illis adverſum non erit, ut ſi primùm vera doctrina cœperit in Ducatu Luxemburgico prædicari; eodem tempore fœdus noſtrum atque pacta invicem inita ſimul incipiant. Nec eſt, quod fortè opinentur, nos deſiderium haud poſſe in hoc præcipuè negotio, viribus noſtris ſatis repentè explicare. Etenim Deo annuente, ipſo à nobis effectu præſtitum iri confidimus; atque adeò nunc omnem noſtram poteſtatem atque Regis parentis noſtri offerimus, quæ nobis ab hoc relicta eſt, eum in

finem,

finem, ut quomodocunque è re fore visum fuerit, eâdem uteremur, & opes ipsorum utilitatem atque libertatem promoveremus, eadem ratione, quâ auxilium ab iisdem simili in casu requirimus, & quemadmodum libertatem ipsorum æquè ut res nostras nobis commendatam habemus.

Responsionem quæ inde nobis feretur, idem à Ministris expectabit, quæque in hac causa accident, quam poterit studiosissimè ad nos curabit perferri. Datum Rhemis die VIII. Septembr. 1543.

Copia hæc collata cum autenthico à me
F. Marchantio.

Num. XX.

Richardi FOXI Ep. Wintoniensis Epistola ad Thom. Volsejum

de Necessitate Reformationis Cleri Anglicani A. 1527.

QUam una fere omnium Nationum, quæ Christianum nomen profitebantur circa principium Seculi XVI. vox esset, Reformatione indigere Ecclesiam, in capite æque ac in membris, in Episcopis & Clero æque ac in Laicis ac populo, luculenter comprobavimus in *Introductione ad Histor. Eccles.* Sec. XVI. §. XX. pag. 38. seq. Prouti verò in superiorum Voluminum Documentis permulta ejus rei extant Monumenta, ita non potuimus non hanc *Richardi* FOXI Episcopi Wintoniensis Epistolam quoque inter eadem recensere, quam nobis conservavit Doctiss. Vir Joh. STRYPE in Memorabil. Eccles. Reform. Anglic. in Docum. Tom. I. fol. 19. conf. *Concilia Magnæ Britann.* Tom. III. fol. 708. 709. ubi eadem hæc Epistola ad annum 1527. refertur.

* *
*

REverendissime Pater & Dne. mihi unicè semper observande, Salte^m^' Plurimam, & optatum votorum omnium successum.

Ingentem atque mirificam, Pater amplissime, ex proximis vestris ad me Literis, cepi consolationem atque voluptatem; quod ex illis intellexi D. V. Reverendissimam universi Cleri Reformationem secum instituisse; & ad eam inchoandam atque aggrediendam diem brevi futuram præfiniisse & præscripsisse. Eum námque profectò diem jam diu non minus, quàm *Symeon* ille Evangelicus expectatum Messiam, votis omnibus videre expetivi, & ex quo illas D. V. Reverendiss^æ^. Literas legi, Reformationem ampliorem & multo exactiorem universæ *Anglorum* Ecclesiasticæ Hierarchiæ, mihi videor tantum non sentire & palpare, quàm ego hac hominum ætate vel faciendam vel ineundam divinare potui, nedum sperare.

Conatus enim facere (quod mearum erat partium) in ditione hac meâ peculiari & exiguâ, quod V. præstantissima Dominatio instituit in utraque amplissima hujus Regni Provincia; Et hoc ferè perpetuum triennium illi uni negotio diligenter incubui; omniáque mea Studia, Labores, Vigilias, Sudores, in ea ferè una collocavi. Ubi, quod prius non putassem, deprehendi & animadverti, omnia, quæ ad antiquam Cleri, & præcipuè Monachiæ, integritatem spectant, adeo vel Licentiis & Corruptelis depravata, vel Temporum malignitate & diuturnitate abolita & corrupta, ut ætate mihi confecto, voluntatem & studium auxerint; spem verò omnem sustulerint, perfectam & absolutam unquam videndi Reformationem, in hac vel mea Diœcesi privata.

Nunc autem ex optatissimis illis V. R^mæ^. D^nis^. Literis veni in certissimam spem, summámque expectationem, brevi videndi universalem & publicam. Exploratissimum nempe habeo, multisque experimentis luculentissimè perspectum, quicquid D. V. R^ma^. moliatur, instituerit & susceperit, id eam omne prudentissimè & constantissimè, citra negotium aut cunctationem, confecturam & felicissimè absoluturam: Tam incomparabilis extat in ea divinarum humanarúmque rerum peritia, tamque singularis apud Serenissimum nostrum Regem, Sanctissimúmque D. Pa-

Papam, gratia & Authoritas. Quibus, quum V. circumspectissima D. hactenus ita perfuncta sit, ut summam inde Laudem, amplissimamque per universum Orbem famam, sit assecuta; ex hac profecto sua clarissima Legatione, quam compositis, & suâ unâ operâ inter Christianiss. Principes, confirmatis Fœderibus, ad Statum & Ordinem Ecclesiasticum reformandum, & componendum decrevit convertere; solidam & immortalem apud Deum & omnem posteritatem gloriam reportabit. Tanto cæteris omnibus, qui nostra memoria quovis gentium à summi Pontificis latere missi sunt, præstantiorem & celebriorem, quanto vel Pax Bello expetibilior, vel Clerus populo Sanctior, & veneratior. Nam si quamplurimis Pontificibus maximis, vel oblivione, vel silentio præteritis, bini illi olim huc Legati omnium ore ubique terrarum hodiè celebrantur, idque tantùm ob nonnullas Sanctiones, quas præmaturo *Romam* reditu infirmiores reliquêre, quæ ætas, aut quæ malignitas V. R^mi^. Nomini laudem & celebritatem vel delere possit unquam, vel obfuscare; cum universum *Angliæ Clerum* & Monachiam suæ integritati & dignitati restituerit; & Legem ad eam tuendam, & inconcusse servandam, condiderit; conditásque moribus & consuetudine comprobari & confirmari fecerit.

Quod D^ni^. V. R^mæ^. non dubito eo multo facilius feliciúsque succedet, quod Rex noster Christianissimus, cujus hortatu & auspiciis (arbitror) hanc Provinciam recepit, omnem suam authoritatem & opem ei ad votum impertiet: Omnésque Prælati, præsertim Episcopi, suos assensus & studia alacres, ni admodum fallor, adhibebunt.

Et ut de meipso saltem pollicear, quod animus meus ferre præstaréque gestit, sic mihi videtur hæc *Reformatio* Cleri & Sacrorum omnium, oblatrantem diu populum placatura, Clerum illustratura, Regem ipsum Sereniss. & Optimates omnes Clero conciliatura; & Deo imprimis Opt. Max. plus omnibus Sacrificiis usque adeo placitura, ut quicquid reliquum sit mihi hujus vitæ curriculi, id in eam lubentissimè impenderem atque consumerem: uti D. V. Rev^mæ^. apertius coram declarabo ad diem in illius Literis præfinitum; si mihi vivo & sano illum videre detur.

Inte-

Interim vero, imo dum vixero, Deum benignissimum cotidiè assiduéque inter Sacrificium precabor, ut D. V. Rev[am]. diutissimè servet, omniáque illius Instituta secundet, & feliciter & faustè. Ex *Marwellis* postridie Calendas *Januarii.*

V. Re[mæ]. D[is]. devinct. Orator.

Ri. Wynton.

Num. XXI.

Tho. VOLSEII Mandatum (a) de extradendis M. Lutheri libris

A. 1521. d. 13. Maji.

Commissio ad monendum omnes Personas, Ecclesiasticas & Saeculares; quòd omnia Scripta & Libellos Martini Luther *Heretici, penes se existen. ad manus Episcopi, vel ejus Commissarii infra tempus assignat. afferant, & tradant sub Excommunicationis & Hæreticorum pœnis.*

THOMAS miseratione divina Tituli Ste *Ceciliæ* Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, *Eboracensis* Archiep. *Angliæ* Primas, & Apostolicæ Sedis Legatus, ipsiúsque Regni *Angliæ* Cancellarius, necnon Sanctissimi in Christo Patris & Dni. LEONIS divina Providentia hujus Nominis Papæ Decimi, & dictæ Sedis etiam de Latere Legatus ad Illustrissimum & Potentiss. Principem & Dom. nostrum HENRICUM Dei gratia *Angl.* & *Franc. Hibern.* Regem Universúmque ejus *Angliæ* regnum, ac omnes & singulas ipsius Regni Provincias, Civitates, Terras, & loca illi subjecta, & alia illi adjacentia.

Venerabili Fri. nostro Dno. CAROLO *Herefordens.* Episcopo, ipsiúsque in Spiritualib. Vicario generali, Salutem in Dno.

Cum

(a) Et hoc ex STRYPII Memoriis loc. cit. fol. 15—18. ut hic legeretur, efficere voluimus.

Cum jampridem præfatus Sanctiſſimus Dus. noſter multos & varios Articulos ſive Errores cujusdam *Martini Lutheri* peſtiferos & perniciofos, ac *Græcorum* Hæreſim & *Bohemicam* expreſsè continentes; olim etiam per Concilia Generalia & ſummorum Pontificum Conſtitutiones, damnatos, & per ipſum *Martinum* nuper ſuſcitatos, habita primitus ſuper eisdem, & eorum ſingulas diligenti diſcuſſione, atque matura Deliberatione, tanquam peſtiferos, pernitioſos & hæreticos, ac ſimplicium mentium ſeductivos, Veritatique Catholicæ obviantes; ejusdem quoque *Martini* Libellos, ſcripta ac ſcedulas in Latino, vel quocúnque alio Idiomate reperta, damnaverit, reprobaverit, atque omnino rejecerit, próque damnatis, reprobatis & rejectis ab omnibus Chriſti Fidelibus haberi debere, decreverit, & declaraverit. Inhibueritque idem Sanctiſſimus Dus. noſter, in virtute ſanctæ Obedientiæ, & ſub majoris Excommunicationis ſententia, atque etiam hæreticorum & Fautorum eorundem, aliisque multiplicibus gravibus & formidabilibus pœnis, eo ipſo, absque ulteriori declaratione, incurrend. omnibus & ſingulis, tam Eccleſiaſticis quàm ſecularibus Perſonis, cujuscúnque gradus ac conditionis aut præeminentiæ forent; Ne præfatos errores, aut eorum aliquos, aſſerere, affirmare, defendere, aut quomodo libet favere; vel hujusmodi Libellos, Scedulas, Scripta, vel in iis contenta Capitula, legere, aſſerere, imprimere, publicare, defendere, vel in ſermonibus ſuis, ſive locis aliis, privatè vel occultè, quoquomodo tenere, præſumant. Prout in Literis præfatis ſanctiſſ. Dni. noſtri ſub plumbo cum filis ſericiis rubei & glauci coloris pendentibus, more *Romanæ* Curiæ bullatis. Dat. *Romæ*, apud Sanctum *Petrum*, Anno Incarnat. Dominicæ, Millimo. quingenteſſo. Viceſſimo, XIII. Kalend. *Julii:* Pontificat. ſui anno octavo, plenius continetur.

NOS igitur THOMAS Cardinalis *Eboracenſ.* ac Legatus de Latere antedict. pro divina, & ipſius Sanctiſſ. Dni. noſtri Reverentia, éque Officii noſtri debito, hujusmodi Peſti, priusquam in hoc inclyto *Angliæ* Regno radices agat, providere, ac, ne tanquam Vepris nocua latiùs ſerpat, viam præcludere cupientes, de Conſenſu, Voluntate & Mandato expreſſis, prefati Po-

P tentiſſ.

tentiss. & Illustriss. Principis, Dni. nostri Regis, quem dictus Sanctiss. Dnus. noster, tanquam præcipuum Fidei Catholicæ Propugnatorem & Defensorem, per suum Breve, ad hujusmodi hæresim hoc inclyto suo Regno explodendum, extirpand. summopere rogavit & hortatus est; habitóque super hac re diligenti Tractatu, & exacta deliberatione cum Reverendiss. in Christo Patre & Dno. D. *Williamo Cantuariensi* Archiepiscopo, totius *Angliæ* Primate, & Apostolicæ Sedis Legato, ac cum nonnullis aliis venerabilibus Fratribus nostris, hujus Regni Prælatis; déque eorum consilio & expresso consensu; VOBIS Auctoritate nostrâ Legatinâ, qua fungimur in hac parte, firmiter injungendo, Mandamus, quatenus omnes & singulos, Abbates, Priores, Gardianos & Præsidentes, Monasteriorum, Prioratuum, & locorum Religiosorum quorumcúnque, cujusvis Ordinis, tam exemptorum, quam non exemptorum, necnon Collegiatarum Decanos, Præpositos, & Custodes, Parochialiúmque quoque Ecclesiarum Rectores, Vicarios, & Curatos quoscúnque, tam vestræ quam cujusvis peculiaris, sive exemptæ jurisdictonis intra vestram Diœcesin consistentes, distinctè moneatis, & eis injungatis, seu sic moneri & injungi faciatis; quod proximo die Dominico, sive solenni post hujusmodi vestram Monitionem sive Injunctionem eis factam in Ecclesiis suis intra Missarum, sive Divinorum Officiorum solemnia, cum major inibi convenerit multitudo, publicè moneant, vel moneri faciant omnes & singulos Bibliopolas, Stationarios, sive Librorum Venditores, ac omnes alias & singulas Personas, Ecclesiasticas & Sæculares intra Præcinctum Monasteriorum, Prioratuum, Collegiorum sive locorum aut Parochiarum suarum respectivè existentes, seu commorantes, cujuscúnque generis, status aut conditionis existant; Ut omnia scripta, vel impressa, *vitz.* Scedulas & Libellos dicti *Martini Lutheri*, vel ejus nomine composita, edita, sive divulgata in Latino, vel quovis alio Idiomate, penes se existentia ad Vos seu vestrum in hac parte Commissarium citra quintum decimum diem hujusmodi monitionem seu injunctionem ei fact. proximè & immediatè sequent. afferant & ad manus vestras vel vestri hujusmodi Commissarii, realiter tradant & liberent, seu sic afferri,

ferri, & tradi faciant. Recusantes vero, aut ultra dict. quintum decimum diem hujusmodi Scripta inferri, ut premissum est, & realiter tradere, temerè & contumaciter differentes, omnes & singulos, cujuscunque gradus, status & conditionis existunt, majoris Excommunicationis Sententiam eo ipso incursuros, ac tanquam hæreticæ pravitatis, & hæreticorum celatores & fautores esse reputandos, habend. & judicand. hæreticorúmque pœnis percellendos, & puniendos, denuntient, & declarent.

Prædictos etiam, Abbates, Priores, Gardianos, Præsidentes, Decanos, Præpositos, Custodes, Rectores, Vicarios & Curatos supradict. ut supra moneatis, & eis injungatis, quod & ipsi omnia Scripta impressa, Libellos, seu Scedulas à dict. *Martino* composita & edita, aut sub ejus nomine divulgata, penes se existentia, pari modo citra prædict. xv. diem, ad vos, vel vestrum hujusmodi Commissarium afferant, & realiter tradant. Quod si qui ex ipsis non curaverint, aut prædict. vestras Monitiones debitè executi non fuerint & Personis infra sua Monasteria, Prioratus, Collegia, Parochia & loca commorantibus (prout eos respectivè concernunt) modo quo præmittitur, minimè publicaverint, eos denuntietis simili modo majoris Excommunicationis Sententia innodatos, & tanquam hæreticorum fautores habendos, ac eorum pœnis afficiendos. Moneatis insuper omnes & singulos Abbates, Priores, Gardianos, *&c.* & eis Auctoritate nostra injungatis, quod ipsi omnes & singulas Personas, Ecclesiasticas & Sæculares, infra limites Monasteriorum, Prioratuum, Collegiorum, *&c.* respectivè existentes sive degentes, loco tempore & modo præmissis, discretè moneatis, quod siquis hujusmodi libellos vel scedulas, scriptáve, sive impressa dict. *Martini Luther.* opera, penes aliquem cujuscunque Status aut Conditionis fuerit, occultè servari aut supprimi; ac Vobis, vel dicto vestro Commissario, citra præmissum diem quintum decimum tradi ac liberari cognoverit; quod sic servantem, tenentem, & supprimentem, mox ipso quinto decimo, sub pœnis, superius expressis, vobis vestrove hujusmodi Commissario, denuntiet, detegat, & revelet. Quod si fortassis non ante præmemoret quintum deci-

P 2 mum,

mum, sed postea ad alicujus notitiam pervenerit hujusmodi scripta vel impressa dict. *Martini* opera, à quovis celari, teneri & servari, tunc infra quindecim dies à tempore notitiæ suæ hujusmodi, sub pœnis superius expressis, id vobis detegere, & denuntiare non omittat.

Et quoniam universæ Reip. Christianæ, præsertim hujus Regni, & locorum supra memoratorum plurimum interest, præfatas Literas Sanctis. Dni. nostri Damnationem dict. *Martini Luther.* & opinionum suarum perversarum continentes, divulgari & publicari; Idcirco vobis committimus & mandamus, quatenus ipsarum Literarum Apostolicarum transsumpta per Notarium publicum, in forma autentica redacta, & sigillo nostro sigillat. quæ ad vos una cum præsentibus, transmittimus, in valvis, seu locis publicis Ecclesiæ vestræ Cathedralis, aliarúmque Ecclesiarum Regularium, Collegiatarum, & Paroch. vestræ Dioc. magis insignium, firmiter affigatis; sicque affixa dimittatis, seu saltem affigi & dimitti faciatis.

De die vero receptionis præsentium, executionéque, earundem, & quid in præmissis feceritis, nos citra primum diem mensis Augusti proximè futur. debitè, distinctè & apertè certificetis. Ac omnia & singula, Scedulas, Libellos, Tractatus & Opera prædict. *Martini*, edita, scripta & impressa, per vos recepta, vel aliter quovis modo in manibus vestris, sive penes vos existen. citra prædict. primum diem Augusti, nobis tradere, sive ad nos fideliter, & absque ulla fraude, transmittere curetis. Dat. sub sigillo nostro in Ædibus nostris prope *Westmer'* XIIII. die mensis *Maji*, Anno Dom. 1521.

Sequuntur aliqui Errores pestiferi *Martini Luther*. &c.

Qui quidem Errores respectivè, quàm sint pestiferi, quàm pernitiosi, quàm scandalosi, quàm piarum & simplicium Mentium seductivi; quàm denique sint contra omnem charitatem, ac omnem S. R. E. matris, omnium Fidelium, & magist^e. Fidei Reverentiam, atque nervum Ecclesiasticæ Disciplinæ, Obedientiam scil. quæ Fons est & Origo omnium Virtutum; sine qua facilè unusquisque infidelis esse convincitur; nemo sanæ mentis ignorat. Nos igitur in præmissis, *&c.*

Num.

Num. XXII.

HENRICI VIII. Regis Angl.

Literæ ad *Ludovicum* Palatinum de expellendo Luthero

A. 1521. d. 20. Maji.

HAnc Epiſtolam cum E. S. CYPRIANUS V. D. ſecundæ parti Actorum Reformationis ſub tit. *Reformations-Vhrkunden*, lingua Germanica editorum p. 130. ſeqq. inſeruiſſet, ſed in Germanicum idioma translatam, Doctiſſ. KAPPIUS ex Originali nobis communicavit in ejus *Spicilegio Ad acta Reform.* Part. II. n. XII. pag. 458. ſeq. unde eam depromere atque Documentis noſtris inſerere voluimus.

* * *
* *
*

HEINRICUS, Dei Gratia Rex Anglie & Francie: ac Dominus Hibernie: Illuſtriſſimo Principi, Domino, Lodovico, Comiti Palatino Rheni, Duci Bavariæ, &c. Sacri Rho. Imp. Archidapifero, & Principi Electori, Amico meo Chariſſimo, Salutem. A Luthero iſtic exortum incendium diabolicisque ſuffultum dolis, tamdiu, nec adhuc extinctum inter vos debacchari, tum veſtra, tum Chriſtiane reip. cauſa longe gravius indolemus, quam ullis literis comprehendi, vel humana lingua poſſit explicari. Nulla enim hominum ſeu annalium memoria ante hec tempora recolitur, ſtrenuiſſimam iſtam patriam, quæ afflictis Chriſtianorum rebus firmiſſimum tutiſſimumque preſidium ſemper eſſe conſuevit, aut hereſeos ſeminarium ſcienter admiſiſſe, aut, ſi quod forſan incaute obrepſit, non confeſtim eieciſſe. Quid namque Germanice nationi ignominioſius accidere potuit, quam

in ea aliquem esse obortum, qui divinas leges, sanctorum patrum statuta, & ad tot annos inveterata Decreta, ex iniqui potius animi licencia, quam ulla aut minima Christiane eruditionis syncenitate, longe aliter quam hi, quorum divinitus infusa doctrina, integerrimi mores, verissima semper & ratissima habuerint, fuerit ausus interpretari? Quod si innate superbie satisfacere cupiebat, vel tristi in aliquos odio, vel sua ipsius ambitione torquebatur: tolerabilior aliquanto fuisset, si sacris saltem pepercisset literis. Nec heresim, aut zizaniam sanctitatis pretextu inducendo superbum infectumque animum ingenti Catholice fidei discrimine centenderet explere, & Christi gregem ab ipso autore deficere doceret. Verum quum scelestissimi istius hominis, aspirante diabolo, premeditata mendacia, confictique doli, qui, ipso religionis colore obducto, paucorum animos nonnihil obfuscabant, sic tandem toti orbi innotuerint, in lucemque, volente Deo, prodierint: ut non valde sit laborandum, quo falsas perversasque ipsius opiniones ullis amplius rationibus confutemus. Cum etiam sue ipse culpe conscius, furore atque heresi se nunc tantummodo tueatur, per Catholicam fidem, per Christiane religionis incrementum, per illam, quam hereditario innatoque instituto vobis gerimus affectionem, per communem denique omnium salutem in Domino, rogamus & hortamur, ut contagiose huic extinguende pesti, imminentique exitio propulsando, velitis alacres admovere manus, atque Lutherum istum, a Christo rebellem, nisi resipiscat, una cum heretice ausis libellis funditus delere, ignique servandum credere. Sic enim splendorem vestrum, nomenque Christianum augebitis & conservabitis. Neque unius heretici astus ac fraudem, vel paucorum odium, seu superbiam tantum apud vos valere declarabitis, ut sacra divinaque omnia turbare queat, & invertere. Ad quod tam sanctum, tamque Deo acceptum opus perficiendum, favorem, patrocinium, vires, sanguinemque ipsum nostrum vobis ex animo offerimus ac pollicemur. Et feliciter valete. Ex regia nostra Grenwici. Die xx. Maji, M. D. XXI.

Num. XXIII.

EJUSDEM Literæ ad *Fridericum*, ejusque fratrem *Johannem* & *Georgium* patruelem, Principes Saxoniæ A. 1523.

HAnc Epiſtolam in Tomis Lutheri Germanicis mendoſè editam, ex protographo membranaceo typis imprimendam dedit Vir Doctiſſ. *Ern. Sal.* CYPRIANUS in Epiſtolis Clarorum Virorum ex Bibliothecæ Gothanæ autographis Lipſ. 1714. 4. No. VI. pag. 9. & ſeq. quod nullum ferme ejus exemplum hodie inveniretur, etſi ab Emſero jam A. 1521. publicata fuerat. Conf. SECKENDORFF. Hiſt. Lutheran. Lib. I. §. 156.



ILluſtriſſimi atque excellentiſſimi (a) principes, clariſſimi Domini, cognatique noſtri longe omnium chariſſimi, ſinceram ſalutem, ac felicium ſucceſſuum aſſiduum augmentum.

Si quid forte incideret, in quo admoneri me profuerit, pro animi veſtri comperta bonitate certiſſimam ſpem concepi, admonitionis veſtræ beneficium nunquam mihi defuturum eſſe. Quam ego rem, quum animum erga me veſtrum ex meo erga vos affectu metiens, indubie mihi perſuaſerim, ingratus admodum ipſe mihi videar, ſi in ea re, quæ non ad honorem modo veſtrum, ſed fortunas quoque vehementer ſpectat, ego viciſſim vos admonere negligerem.

Quid

(a) Inſcriptio harum literarum erat: *Illuſtriſſimis Dominis, Friderico Dei gratia Duci Saxoniæ, Sacri Romani Imperii Principi Electori, Landgravio Thuringiæ & Marchioni Misniæ, & Johanni ac Georgio, eadem gratia Ducibus Saxoniæ, Landgraviis Thuringiæ & Marchionibus Misniæ, & cognatis amicisque noſtris longè omnium cariſſimis.*

Quid enim ad vos & tam potentes & in Christi cultum tam devotos principes aut propius spectare potest, aut debet movere vehementius, quam cohibendæ factionis istius Lutheranæ studium? qua nullam unquam in terras nocentiorem malus invexit genius, aut quæ majorem perniciem sit illatura propediem, nisi boni piique omnes obstiterint, & inprimis qui plurimum & possunt & debent principes. Non quod *Lutherum* talem censeam, qui viris probis ac prudentibus possit imponere, aut ea quæ scribit, nesciam, esse tam impia, ut ea bonorum omnium aures exhorreant, sed quod sciam nunquam defuturam improborum hominum colluviem, quibus ineptissimus quisque aptissimus est magister, & ut quidque maxime nascitur absurdum, ita maximo exceptum plausu summo studio & contentione propagent. Nam quod ad ipsum pertinet *Lutherum*, olim visus est nec indoctis, nec malis hominibus ut multa parum bene, ita quædam non omnino male scribere. Verum ita statim profecit in pejus, ut illicet multi perspexerint, quicquid unquam aut plausibile aut tolerabile, non alio fecisse consilio, quam ut meliorum ostentatione viam pararet peioribus & prælito melle venenum redderet vendibilius. Quam rem successione perpetua nocentiorum semper dogmatum adeo testatam reddidit, ut hodie neminem esse usquam putem, cui scintilla ulla maneat aut in capite cerebri aut pietatis in pectore, qui non eum totum cum suis insaniis ex animo prorsus ejecerit. Etenim initio cœpit utcunque disputare, deinde irasci, paulo post incendi, postremo furere, jam in eo demum libro, quo debacchatur in me, furias ipsas furore ac vesania superare. Quo in libro si quid scripsisset usquam quod rem videretur attingere, si quid omnino mentis miscuisset amentiæ, si quid non absurdum prorsus effluxisset ei, quale vel casu solet mente motis excidere, quanquam non admodum decorum putem, ita me comparare, ut cum homine tali publice componar ac disputem; tamen cum rex & propheta David non censuit indecorum ante arcam fœderis nudum saltare cum quolibet, ipse certe non eram quenquam habiturus indignum, quocum in gratiam religionis pro fidei veritate differerem. Nunc vero, quum nihil ad rem respondeat, sed rationum loco proferat mera deli-

ria,

ria, alios cum illo congredi nec inhortabor nec prohibebo, ipſe certe non committam, ut cum inſaniente inſaniam. Nam quisquis & æquus lector & prudens libellum meum cum illius libro perlegat, is profecto facile judicabit jam nunc *Lutheri* neniis ſatis ſuperque reſponſum eſſe. Quod ſi quis illi tam inique faveat, ut mea verba non ſuſtineat inſpicere, aut tam inſigniter inſtupeſcat, ut collatis utrinque locis non ſentiat, rem adhuc reſponſo non egere, huic nulla unquam reſponſione ſatisfecero, nam, qui queam illis, qui nihil aut velint legere aut poſſint intelligere præter Lutheri ſcurrilia jurgia? qui quum interim rem ad iſtum tractet modum, magna me affecit voluptate. Siquidem initio certus eram, rem quidem quam tuendam ſuſceperam ſuapte natu- eſſe inexpugnabilem, adverſus quam nec inferorum portæ poſſint prævalere, ſed imbecillitatis meæ conſcius, de meis tamen armis dubitabam. At nunc effecit hoſtis, ut orbi toti inclareſcat alterum, nempe aut ipſum eſſe prorſus imbecillum, aut meas rationes admodum valuiſſe, quas contra nihil invenire potuerit præter inſulſa ſcommata & prorſus inſana convitia. Quibus ſi me commoveri putat, egregie profecto fallitur. Etenim quantumvis ille me vocet inſanum, vocat opinor plus millies, nunquam tamen tam inſanus ero, ut ægre feram quod inſanus vocer ab inſano: itaque aut mea me fallit opinio, aut iſtius in me ac regium nomen contumelioſa ſpurcitia, vos haud paulo magis quam me viri clariſſimi commovet. Solet enim generoſos animos nobilium reverentia quædam inter ſe colligare, qua vel in hoſte, quum oderint ac perſequantur hominem, perſonam tamen honorent, ac revereantur officium: nec generoſus fere quisquam invenitur usquam tam incivilis ac barbarus, qui vel inimicitiis ullis adduci poſſit, ut ſcurrilem in modum linguæ petulantia conſpergat nobilem: tantum abeſt ut quisquam ea nobilitate ac generoſa virtutis indole, qua mihi perſuaſi quemlibet eſſe veſtrum, æquo animo ferat, & principis & amici nomen viliſſimis nebulonibus haberi ludibrio. Quod meum de vobis judicium vel is affectus confirmat imprimis, quem in memet ipſe ſentio. Nam quum ne tantulum quidem me tetigerint omnia, quæ deblateravit in me, tamen perquam indigne tuli blaſphemias illas, quibus Auguſtum

Cæſa-

Cæsarem & cæteros Germaniæ principes virulentissima lingua perfudit. Quos omnes in ejus ipsius libelli frontispicio, quem in meum nomen evomuit, probro contumeliosissimo proscindit. *Wormatiam*, inquit, ingressus sum, etiam cum scirem mihi violatam esse a Cæsare fidem publicam, nam didicerunt principes Germaniæ, olim de fide laudatissimæ gentis, nunc in obsequjum idoli Romani, nihil magis quam fidem contemnere, in perpetuam nationis ignominiam. Hæc tam virulenta in Cæsarem ac Principes Germanos convitia, quam falso ac flagitiose mentiatur os illud impudens ac mendaciorum fons perennis, vel illud indicat, quod hodie nisi mentiretur qui posset ista mentiri, non esset. Quis enim dubitat quam facile potuisset meritum reportare supplicium, si Cæsar id voluisset ac proceres? sed quis illud, non dico Cæsar aut procerum quisquam, sed vel honesto loco natus Christianus ullus in animum potuisset inducere, ut fidem violaret publicam? ut illum, quanquam publicæ fidei publicum hostem, per perfidiam tolleret, ut odio (quod ajunt) nocentis, perderet innocentiam? Istud, quum non Cæsar promissi observantissimus, non procerum aliquis, quibus nihil antiquius honore ducitur, non honesto loco natus Christianus quisquam, ut qui nihil non censeat posthabendum fidei, potuisset unquam cogitare, quis usquam vivit vere Germaneque Germanus, qui ferre possit nebulonem fraterculum, quæ perpetuam infamiam inurerent nationi Germanicæ, ea tam impudenter quam mendacissime non cuipiam sui simili germano, sed proceribus omnibus Germaniæ, atque ipsi quoque principum Germanorum principi per convicium exprobrare Cæsari? Demiror talia si Germani ferant in isto. Nos profecto quanto magis indignamur, in tales ac tantos principes tantum licere fraterculo, tanto minus ejus mendaciis movemur: quæ partim latine, quæ legimus, partim germanice, quod audio, furiosus eructat in me. Nam si quid maledictis illis immiscuit, de cujus veritate poterat, quisquis rem non nosset, aliquid fortasse dubitare, nunc in animum succurret lectoribus, nihil illius maledicentiæ credendum, cui perpetuum institutum esse videat, de Principibus prorsus omnibus, atque ipso etiam Cæsare mentiendi. Neque enim istud Luthero novum est,

eſt, omnia comminiſci ac fingere, quibus in odium principum ſcelerate concitet atque extimulet populum. In quod negotium promovendum ſceleratorum hominum catervam jam dudum contraxit atque adjunxit ſibi. Itaque nulla unquam factio fuit ſeditioſa, peſtilens, nefaria, quæ ſic religionem omnem tollere, leges omnes obruere, mores omnes bonos corrumpere, res publicas omnes evertere, machinata ſit, ut nunc iſta conjuratio *Lutherana*, quæ & ſacra omnia profanat, & profana contaminat, quæ ita Chriſtum prædicat, ut ejus ſacramenta conculcet, ita Dei buccinat gratiam, ut arbitrii libertatem deſtruat: ita fidem extollit, ut operibus bonis detrahat, & invehat peccandi licentiam: ita miſericordiam ſublevat, ut juſtitiam deprimat, & malorum omnium cauſam inevitabilem, non in Deum aliquem malum, quod Manichæi ſaltem commenti ſunt, ſed in unicum illum vere bonum rejiciat. Quæ quum ad hunc modum impie divina tractarit, velut e cœlo dejecta ſerpens virus effundit in terras, in eccleſia commovet diſſenſionem, leges omnes abrogat, magiſtratus omnes enervat, laicos in ſacerdotes concitat, utroſque adverſus pontificem, populos adverſus principes, nec aliud plane molitur, quam ut, (quod omen avertant ſuperi) Germaniæ primum populus, tanquam pro libertate bellum indicat proceribus, deinde ut Chriſtiani contra Chriſtianos ſpectantibus & irridentibus Chriſti hoſtibus pro Chriſti fide ac religione depugnent. Quod ſi quis forte non credat ab uno homine nihil tantum unquam periculi naſci poſſe, huic in mentem velim ſubeat turcica illas rabies, quæ quum nunc tot per terras & maria ſe diffundens maximam & pulcerrimam totius orbis partem occupavit, a duobus olim nebulonibus ſumpſit initium, ut interim taceam factionem Bohemicam, quæ & ipſa, quis neſcit, e quam exiguo vermiculo, in quam immanem Draconem, haud abſque magno Germaniæ malo, quam propere adolevit, ita proclive eſt, malam ſegetem nullo demetente creſcere. Nec ullus unquam ſocio caruit ad nocendum, neque tam imbecillus eſt quisquam, quin ſecuro poſſit ac tanquam luſurum ſpectanti lethale vulnus infligere. Quæ res, quo minus contingat, in præſente negotio principibus omnibus adnitendum eſt, adnitentur autem, ſi rem

pro levi non habeant, nec existiment duntaxat esse scholasticam: sed quum & Dei res agatur & hominum, dignam intelligant, cui Christiani principes admoveant manus: quod ut nullius non incumbit officio, ita potissimum incumbit, cognati charissimi, vestro, ut qui & proximi estis periculo, & facillime (ut ferunt) potestis obruere, si nascenti malo propere eatur obviam, priusquam & improbi per malitiam & simplices per errorem in eum numerum ac robur coaluerint, ut facile cohiberi non possint. Cui ego rei prospecturos vos pro vestra prudentia & in Christi fidem observantia non dubito. Nam cum nulla possit hæresis exoriri, quam vos fideles in Deum principes non vehementer aversemini, *Lutherianam* tamen, fieri non potest, ut non præcipuo quodam odio prosequamini. Nam licet homo vaniloquus non uno loco scribat, se in hoc electum a Deo, ut hanc doctrinam, quam ille solam vocat evangelicam, ad istum, quo cœpit, modum spargeret ac prædicaret in mundo, vestra tamen prudentia facile deprehendit, nec illum afferre quicquam, cur evangelica verba credatur melius intellexisse, quam veteres ecclesiæ sanctæ sanctos doctores omnes, quorum iste interpretationes omnes abigit atque contemnit præ suis, & multa non ignoratis per manus ab Apostolis olim tradita ubilibet hactenus observata perpetuo, quorum iste nihil blasphemus non exsibilat. Ad hæc animadvertitis, spiritus hominis arrogans mendax ac maledicus quam longe absit a Spiritu Dei Sancto, qui solet electis suis inspirare veritatem, lenitatem, modestiam, & cum sui contemptu charitatem ac reverentiam omnium. Postremo doctrinam ejus videtis prætextu prædicationis evangelicæ meram esse *Wyclyfficam*, a qua vos, Cognati charissimi, non dubito, toto pectore prorsus abhorrere, ut quam Germani proceres, atque inprimis, ut audio, progenitores vestri vehementer elaborarint extinguere, sed quoniam serius aliquanto cœperant, prorsus exterminare non poterant: hactenus tamen profecerunt, ut eam, velut perniciosam belluam, intra quosdam Bohemiæ terminos, velut in speluncam clauderent, atque cohiberent. Quæ quum ita sint, dubitare profecto non possum, sedulo provisuros vos, ne, quam vestri majores belluam occluserunt, ea vestra incuria sic reperiat exitum,

tum, ut per Saxoniam prorepens totam pervadat Germaniam; & afflatu noxio inferum eructans ignem, illud spargat incendium, quod Germani toties voluerunt sanguine suo restinguere. Qua in re quanquam pro vestra bonitate vos tam propensos esse non ambigo, ut neque monitore vobis neque hortatore sit opus; Ego tamen pro meo in vos affectu me continere non potui, quin ad voluntatis vestræ pronitatem & admonitiones meas & hortationes adjungerem. Etenim qnum nullum principem tam alienum putem, quin ei mihi videar id officii debere, ut qua in re possim, ejus honori consulam, vobis viri dignissimi ut id impensius exhibeam, cognati quædam sanguinis inter nos necessitudo constringit, quandoquidem intelligo Serenissimos majores e stirpe clarissima Regum Angliæ progenitorum meorum esse prognatos. Quæ communio stirpis & societas sanguinis sic animum meum afficit erga vos, ut nihil aut commodi prorsus aut incommodi vobis possit accidere, quod ego mihi vobiscum non existimem esse commune. Quam rem quo magis ac magis vos & admonere cogor & hortari, imo per omnia vos obsecrare sacra, ut quam maxime potestis mature detis operam, ut execrabilis ista *Lutheri* secta cœrceatur, absque cæde cujusquam si fieri potest aut sanguine, sin, id quo minus possit, pervicax obsistat audacia, quoquo modo coërceatur tamen, neque permittatis, ut leges, magistratus, principes, respublicæ, divina denique atque humana omnia sic assuescant paulatim vilescere, conculcari, proteri, ut invalescentibus improbis, mussitantibus bonis, eo tandem res perveniat, ut alteri perversæ malitiæ, alteri præposteræ patientiæ Deum aliquando vindicem atque ultorem habeant, cui periculo si vestra occurrat industria, pacatæ patriæ, discussi schismatis, restitutæ concordiæ, religionis cultæ ac perpurgatæ, & apud homines eximiam laudem & apud superos immortalem gloriam consequemini. Valete Viri Clarissimi.

Literas has obsignaturo mihi venit in memoriam, *Lutherum* in suis adversus me neniis excusare se, quo minus ad reliqua respondeat impediri transferendo Biblio. Visum est igitur hortari vos, ut omnium rerum maxime provideatis, ne id permittatur facere.

 Nam

Nam ut bonum esse non negem, in quavis lingua legi Scripturam Sacram, ita certe periculosum est, ex ejus versione legi, cujus mala fides fidem facit omnibus, id illi studium esse, ut bene scripta male vertendo pervertat, ut populus ea se legere putet in Scriptura Sacra, quæ vir execrabilis ab execrandis hausit hæreticis. Iterum valete Viri Serenissimi atque animo meo longe charissimi. Ex regia nostra Grenwici die xx. Januarii Anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo tertio.

Vester bonus consanguineus & amicus

HANRY REX.

Num. XXIV.

CLEMENTIS VII. Pont. Rom. Bullæ Leonis X. de *Titulo Defensoris fidei*, confirmatio. (a)

A. 1523.

CLEMENS Episcopus, servus servorum Dei, charissimo in Christo filio nostro Henrico, Angliæ regi illustri, fidei defensori, salutem, & apostolicam benedictionem. Decet nos dono Dei altissimi in ea positos specula, unde omnium ac præsertim eorum, qui principatus & imperia a Deo optimo maximo obtinuerunt, longe & late merita prospicere possumus, ita bene merentibus habere promptam gratiam, ut sive nostra judicatio quid & quantum unicuique tribuendum sit, & in judicando simus, & in remunerando liberales, sive prædecessorum nostrorum Romanorum pontificum id fuit arbitrium, quoque libentissimo animo comprobemus.

Cum igitur, tu, fili noster charissime, Henrice, non uno & altero præclare facto, sed perpetuo instituto vitæ tuæ regis maximi

ximi

(a) Legitur hæc Bulla ad Henricum VIII. directa in Conciliis Magnæ Britanniæ Vol. III. ad Ann. 1523. fol. 702. 703.

ximi virtutem ita undique perfectam & absolutam præstiteris, ut & arma, quibus plurimum vales, & doctrinam ac sapientiam, ex qua summam laudem es adeptus, ad Deum & Dei religionem defendendam semper contuleris, fideique sanctæ etiam libro adversus *Lutheri* hæresim mira eruditione & eloquentia edito extiteris defensor, ac pene patronus; felicis recordationis *Leo*, dominus prædecessor & frater patruelis noster, de consilio fratrum suorum (de quorum numero tunc eramus) sententia, te ad cætera tua nomina regalia atque ampla, *Fidei defensorem* voluit appellari, atque hoc eximio titulo, non tam laude hominum, quam ex cælesti commendatione deprompto, serenitatem tuam insignivit, quod nos ab illo factum justissime ac sapientissime agnoscimus.

Cum enim tuam & in regendis populis tibi creditis justitiam, & in amplissima potestate pari clementia temperanda moderationem, & christianæ religionis integram, puram, inviolatamque observantiam, in Deum quoque ipsum, & omnia quæ Dei sunt, admirabilem quandam pietatem respicimus; cum intelligimus & cernimus quanto in bello consilio, & virtute polleas in pace, ut omnia ad subditorum salutem dirigenda putes, quemadmodum tu unus propemodum regum omnium, inaudita quadam magnitudine ingenii, duo diversa studia in unum conjuncta habeas, & quod in doctrina & sapientia positum, quietem & suavitatem habet contemplationis, & quod in tumultu actionibusque civilibus agitatam curam suscipit rationis; in utroque vero usque adeo excellas, ut possis cum iis, qui in singulis elaborabunt, maximis & prudentissimis principibus comparari. Hæc, inquam, de te cum cogitamus & agnoscimus, omnem humanam laudem tua incredibili virtute inferiorem statuamus necesse est. Atque hæc tanto in te præstantiora admirabilioraque sunt, quod nulla unquam querela violata, nulla commutatione voluntatis fuerunt interrupta, neque vero aut privatæ cupiditatis causa simulata aut populari gloriæ data, sed vera & incorrupta virtus; nec præmium aliud requisivit quam semetipsam, & theatrum unicum suæ gloriæ voluit esse Deum. Itaque in divinis ferme versata rebus, incredibilem quodammodo & communi naturæ repugnantem celebritatem assecuta

cuta est; nam belli labores & pericula ob eas causas suscipiuntur, ut aut ultio injuriæ ab hostibus repetatur, aut plus habendi cupiditas expleatur; tu nulla privatim læsus injuria, nullius rei alienæ appetens, ubi primum sensisti sanctam sedem apostolicam, & ecclesiasticam libertatem vocari in discrimen, tanquam pius filius matris tuam implorantis opem voce excitatus, bellum difficile atque arduum suscepisti, tuamque præstantissimam virtutem suis affectibus placatam, & liberam alienis, acrem & animosam præbuisti: deinde vero cum reconciliatis animis eorum, qui sedi apostolicæ vim afferebant, expediret christianæ reipublicæ arma ubique poni, tu quanquam victor & in hostium agro, pluribus eorum jam urbibus expugnatis, castra habens, in obtemperando tamen publicæ utilitati voluisti esse princeps. Neque arma solum (id quod alii quoque egerunt) sed victoriam ipsam dimisisti, longe majorem & diviniorem victoriam nactus; vicisti enim tuum animum, qui cæterorum omnium potuisset esse victor.

Ita cum cæteri principes humanis quibusdam gradibus ad nobilitatem famæ ascendant, tu ad singularem & inusitatam laudem cælestibus operibus pervenisti. Secutum est tempus non minus damnosum christianæ fidei quam turpe; quo (turbante Germaniam impiis & pravis opinionibus *Luthero*) non mediocris in animabus fidelium labes facta est; quo tempore tu cum armorum movendorum pro fidei tutela occasionem non haberes, etiam præstantiora, & ad simile opus accommodatiora tui ingenii & doctrinæ arma vibrasti, libroque in *fidei* christianæ sacramentorum *defensionem* scripto ac divulgato, impiis hæreticorum conatibus obviam ivisti. Qui quidem liber, sancto dictante Spiritu, eis luminibus ingenii scientiæque refertus est, ut facile appareat, optimam naturam, quocunque se verterit, ad omnia aptam esse, optimam vero voluntatem, etiam Dei ope & munere in cunctis felicem esse & fortunatam. Propter quæ omnia titulum illum & cognomen „ *Fidei defensoris* „ Serenitati tuæ per supradictum prædecessorem nostrum justissimis & plurimis rationibus delatum, nos quoque in apostolicæ potestatis plenitudine beati Petri, & illius veri successores, ex certa scientia & propria voluntate nosta approbamus, confirmamus, tibique perpetuum & proprium

prium deputamus; Deum optimum maximum ſervatorem juſtorum regum ſupplicibus votis deprecantes, ut tantum & fidei ſuæ ſanctæ tam beneficum Regem cum diuturna ſalute & vita in ipſius conſiliis & factis omnibus ſecundans, ad extremum immortali tibi gloria parata largiatur, ut cum cæteris tuis titulis præſtantibus & magnis, pii victoris, ſemper felicis, hoc præcipuum & maximum „ *Fidei defenſoris* „ decus ac nomen te in cœlum usque & ad perennem illam beatitudinem comitetur. Dat. Romæ apud ſanctum Petrum. anno Incarnationis dominicæ milleſimo quingenteſimo viceſimo tertio, tertio non. Martii, pontificatus noſtri anno primo.

Num. XXV.

Thomæ BILNEYI Epiſtola ad *Cutbertum Tonſtallum* ex carcere ſcripta 1528.

THomam BILNEYUM ſpectatæ virtutis ac pietatis virum in ipſo Opere §. LX. p. 193. 194. deſcripſimus, atque, quomodo, cum primum carnis imbecillitate ad retractandum fuiſſet inductus, deinceps tanto majori cum parrhesia veritatem & impavide & conſtanter ad extremnm usque, cui addicebatur, rogum fuerit profeſſus, expoſuimus:

Ejus igitur cum Epiſtolas quasdam ex carcere priori ſcriptas nobis conſervaverit FOXUS in Act. & Monum. Hiſt. Eccleſ. Anglicè editis Vol. II. fol. 217. & ſeqq. cumque inter eas una Latino idiomate ſcripta ibi legatur, eam, quippe quæ totam converſionis ejus hiſtoriam nobis exhibet, in rei memoriam hic legi voluimus: Ea verò ita ſe habet.

* *
*

Reverendo in Christo Patri D Cuthberto Tonstallo, Londini Episcopo, T. Bilneus Salutem in Christo, cum omni subjectione tanto Præsuli debitam.

HOc nomine, Pater in Christo observande, longe beatiorem me puto, quod ad tuæ Paternitatis examinationem vocari me contigit. Ea enim eruditione es, ea vitæ integritate (quod omnes fatentur) ut ipsemet non possis (alioqui divinarum in te dotium æstimator non admodum magnificus) quoties tibi succurrit, quanta tibi gratis fecerit Deus, in illius laudes non erumpere, ac tecum in corde tacitus exclamare, fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen ejus. In talem nunc me judicem incidisse gratulor, ac Deo, qui moderatur omnia, gratiam pro virili habeo. Et quanquam (testis est mihi Deus) nullius in omnibus meis concionibus erroris mihi conscius sum, nedum hæreseos aut factionis (quod calumniantur quidam, quæstus sui, quam animarum lucri avidiores) tamen supra modum lætor, divina (haud dubie) benignitate provisum esse, ut ob veritatis testimonium ad Tonstalli tribunal sisterer: qui, si quis alius, optime novit, nunquam defuturos Iannes ac Iambres, qui veritati resistant: nunquam defuturos Elimates, qui conentur subvertere vias domini rectas; denique nunquam defuturos Demetrios, Pythonissas, Balaamos, Nicolaitas, Cainos, Ismaeles; qui omnes, cum, quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi, avidissime sectentur & quærant, quî fieri potest, ut Christum sincere ac simpliciter annunciatum perferant? Nam si populus semel in Christum pro se passum solide ac pure confidere occœperit, ruent mox in vere fidelium pectoribus, quæcunque hactenus pro Christo amplexi sunt. Tunc intelligent non hic aut illic Christum esse, sed Regnum Dei in semetipsis esse. Tunc intelligent Patrem neque in montibus Samariæ, neque Hierosolymis adorandum esse, sed in omni loco, in spiritu & veritate. Quod si fit, actum de lucris suis putabunt bestiæ agri, quorum interest impleri illud Ezechielis, 34. Dispersæ sunt oves meæ, eo quod non esset pastor & factæ sunt in devorationem omnium bestiarum agri, & dispersæ

sunt.

ſunt. Erraverunt greges mei in cunctis montibus, & in universo colle excelſo, & ſuper omnem faciem terræ diſperſi ſunt greges mei, & non erat qui requireret: non erat, inquam, qui requireret. Imo, ſi quis requirere velit, ac in caulas Chriſti, unitatem dico fidei, errabundos reducere, mox inſurgunt nomine Paſtores, ſed revera lupi, qui non aliud de grege, quam lac, lanam, pellem, quærunt; animas cum ſuas, tum gregis permittentes diabolo. Inſurgunt inquam, ac Demetrii inſtar exclamant: Hic hæreticus ubique ſuadet avertitque multam turbam, dicens, quod non ſunt dii qui manibus fiunt.

Hi ſunt, hi (pater colende) ſunt, qui, ſub prætextu perſequendi hæreticos, ventris ſui negotium agunt, inimici crucis Chriſti. Qui quidvis potius ferre poſſunt, quam puram Chriſti pro peccatis noſtris crucifixi annunciationem. Hi ſunt, quibus Chriſtus æternam minatur damnationem, cum ait, Væ vobis Scribæ & Phariſæi, Hypocritæ, qui clauditis regnum cœlorum ante homines: vos enim non intratis, nec introeuntes ſinitis intrare. Hi ſunt, qui, cum ipſi aliunde aſcenderunt, alios intrare non ſinunt. Quod patet, quia ſi quis per me, inquit Chriſtus, introierit, ſalvabitur, & ingredietur, & egredietur, & paſcua inveniet: & hi non inveniunt paſcua (nunquam enim docent) & alios poſt ſe trahunt, ut non per Chriſtum, qui ſolus eſt oſtium per quod ad patrem pervenitur, ſed aliunde per opuſcula, quæ ovibus, tacito nonnunquam Chriſto, ſuadent, proponunt, & injungunt, ad ſuum potius quæſtum, quam animarum ſalutem ſpectantes; hoc deteriores, quam illi, qui ſuper Chriſtum fundamentum ædificant lignum, fœnum, ſtipulam. Iſti fatentur ſe Chriſtum ſcire, ſed factis negant. Denique hi ſunt medici illi, in quos mulier illa, annis duodecim ſanguinis profluvio vexata, omnia ſua conſumpſerat, nec adjumenti quicquam ſenſerat, ſed deterius ſe habebat, donec vix tandem ad Chriſtum venerat: quæ ſimulatque fimbriam veſtimenti ejus in fide tetigerat, ſic ſanabatur, ut ſtatim in corpore id ipſum ſentiret. O mutationem dexteræ excelſi? quam & ego miſer peccator non ſemel ſenſi: qui tamen antea quam ad Chriſtum venire potui, ſic omnia mea inſumpſeram in ignaros medicos, indoctos confeſſionum audi-

auditores, ut parum mihi virium (alioqui natura imbecilli) reliquum fuerit, parum pecuniæ, ingenii item parum. Indicebant enim mihi jejunia, vigilias, indulgentiarum ac missarum emptiones, in quibus omnibus (ut nunc intelligo) sua potius quærebant, quam salutem animæ meæ languentis.

Sed tandem de Jesu audiebam, nimirum tum, cum Novum Testamentum primum ab Erasmo ederetur. Quod cum ab eo Latinius redditum accepi, Latinitate potius quam Verbo Dei (quod tunc quidnam esset prorsus nesciebam) allectus, emebam, providentia (sine dubio) Divina, ut nunc interpretor. Incidi prima (ut memini) lectione in hanc (o mihi suavissimam) 1 ad *Tim.* 1. *Certus sermo, & dignus, quem modis omnibus amplectamur, quod Christus Jesus venit in mundum ut peccatores salvos faceret, quorum primus sum ego.* Hæc una sententia, Deo intus in corde meo (quod tunc fieri ignorabam) docente, sic exhilaravit pectus meum, prius peccatorum conscientia saucium ac pene desperabundum, ut mox visus sim mihi, nescio quantam intus tranquillitatem sentire, adeo quod exultaverunt ossa humiliata. Postea Scriptura cœpit mihi dulcior esse melle ac favo: in qua paulatim didici omnes meos conatus, omnia jejunia, omnes vigilias, omnes missarum indulgentiarumque redemptiones quæ sine fiducia in Jesum (qui solus salvum facit populum suum a peccatis suis) fierent; didici, inquam, hæc omnia nihil aliud fuisse, quam (quod ait Augustinus) celerem cursum extra viam; quam perizomata illa ficulnea, quibus Adam & Eva verenda olim sua frustra tegere conati sunt: Nunquam prius tranquillati quam promissioni Dei, de Serpentis capite, per mulieris semen Christum conterendo, credidissent: Nec ego prius a peccatorum aculeis ac morsibus sanari potui, quam a Deo doctus essem illam lectionem, de qua loquitur Christus, *Joh.* 3. Sicut Moses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in illum non pereat, sed habeat vitam æternam.

Hanc tandem sublimem lectionem, quam nullus docere potest nisi Deus, qui hanc Petro revelavit, ubi pro modulo gratiæ Dei mihi datæ gustare cœpi, rogavi Dominum, ut augeret mihi fidem, ac

ac tandem nhil magis optavi, quam ut, ſic reddita mihi lætitia ſalutaris ſui, ſpiritu me ſuo utcunque confirmaret, ut virtute nonnulla donatus ex alto, docerem iniquos vias ejus, quæ ſunt miſericordia & veritas, ut impii ad ipſum, per me olim impium, converterentur. Quod dum pro virili conor apud R. D. Cardinalem, ac tuam Paternitatem, blaſphematur in me (hæc eſt unica mihi in his tribulationibus fiducia) Chriſtus, quem pro virili doceo, factum nobis a Deo Patre ſapientiam, juſtitiam, ſanctificationem, redemptionem denique & ſatisfactionem. Qui factus eſt pro nobis peccatum, id eſt, hoſtia pro peccato, ut nos efficeremur juſtitia Dei per illum. 2 *Cor.* 5. Qui factus eſt pro nobis maledictio, ut nos a maledictione legis redimeret. Et qui non venit ad vocandum Juſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam: juſtos inquam qui ſe ſanos putant & falſo putant: (omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei, qua gratis remittit credentibus peccata per redemptionem quæ eſt in Chriſto Jeſu: *Rom.* 3.) quia omne genus humanum ſauciatum graviſſime fuerat in eo, qui inter Hieruſalem & Hierico incidit, in latrones. Ideo pro virili doceo, ut omnes primum peccata ſua agnoſcant ac damnent, deinde eſuriant ac ſitiant juſtitiam illam, de qua Paulus loquitur, *Rom.* 3. Juſtitia Dei per fidem Jeſu Chriſti in omnes & ſuper omnes qui credunt in eum. Non eſt enim diſtinctio; omnes enim peccaverunt & egent gloria Dei; juſtificantur autem gratis per gratiam ipſius, per redemptionem quæ eſt in Chriſto Jeſu. Quam qui eſuriunt ac ſitiunt, haud dubie ſic aliquando ſaturabuntur, quod neque eſurient neque ſitient in æternum.

Sed quoniam hanc eſuriem ac ſitim extinguere ſolet humanæ juſtitiæ ſaturitas, quam parat potiſſimum opuſculorum noſtrorum electiorum fiducia, qualia ſunt, peregrinationes, cereorum oblationes, electa a nobis jejunia, & interdum ſuperſtitioſa, denique qualescunque (ut vocant) voluntariæ devotiones, contra quæ loquitur Scriptura Dei, *Deut.* 4: 12. Non facies quod tibi rectum videtur, ſed quod ego præcipio tibi, hoc tantum facito, nec addens nec minuens: ideo inquam, hujusmodi opusculorum mentionem nonnunquam facio; non ea (Deum teſtor) unquam damnans, ſed eorum abuſum reprehendens, legitimumque uſum

 pe-

penitus manifeſtum faciens, hortans, ne ſic his adhæreant, ut his ſaturati (quod plerique faciunt) Chriſtum faſtidiant. In quo fœliciter valeat Paternitas tua. Et hæc omnium ſumma. Si indixeris mihi, ut ſingula dilatem, non recuſabo, modo tempus mihi conceſſeris. Nam ſtatim hoc facere non eſt harum, quoad corpus, virium; paratus ſemper, ſicubi lapſus fuero, meliora doceri.

Totus tuus.

T. Bilneus.

Num. XXVI.

Decretum [a] de hæreticis & hæreticorum libris, in Concilio Provinciali A. 1529.

NOſtræ ſolicitudinis præcipua cura eſſe debet, ſtatim ut pullulare aliquid cognoſcimus, quod fidei chiſtianæ puritatem vel eccleſiæ Chriſti concordiam, pacem, & tranquillitatem offendit, illud penitus reſcindere, agrum dominicum a noxiis, zizaniis, & vepribus omni diligentia expurgare. Sane dudum in noſtra provincia, quod dolenter referimus, quidam hæreſiarchæ damnabiliter excæcati, alios ſecum in infidelitatis interitum trahere ſatagentes, libellos nonnullos Latino & vulgari ſermone conſcriptos edere, ſpargere, & publicare curaverunt, contraria fidei catholicæ & ſanctæ matris eccleſiæ doctrinæ dogmata continentes.

Cujus generis eſt liber ille, qui Parabola Mammonæ iniquitatis inſcribitur.

Item alius liber, qui Obedientia chriſtiani hominis vocatur.

Item translatio Novi Teſtamenti in lingua Anglicana a Willielmo Hitchyns, alias Tindall, corrupta.

Item alius liber, qui Revelatio Antichriſti intitulatur.

Item alius liber, qui Dialogus inter patrem & filium vocatur.

Item

(a) vid. *Concil. Magn. Brit.* Vol. III. fol. 719. 720.

Item alius infamis liber, qui De ſepultura miſſæ rythmico ſermone vernaculo compoſitus eſt.

Item alius, qui Introductio in epiſtolam Pauli ad Romanos inſcribitur.

Item alius, qui Practica prælatorum; & alius, qui vocatur A. B. C. to the prelacy; & alius, qui vocatur Defenſorium pacis; & alius vocatus Dialogus inter generoſum & ruſticum.

Item alius, in vituperium divi Thomæ, quondam archiepiſcopi Cantuarienſis.

Item alius, qui De abroganda miſſa privata Martini Lutheri inſcribitur.

Alius, qui Enarrationes Martini Lutheri in epiſtolas Petri nominatur.

Alius, qui Lutherus in epiſtolas Pauli & Judæ vocatur.

Alius De votis monaſticis Martini Lutheri.

Item Lutheri commentarius in epiſtolam Pauli ad Galatas.

Item Annotationes Johannes Oecolampadii de genuina verborum Domini „ hoc eſt corpus meum „ expoſitione.

Item Commentarius Johannis Oecolampadii in poſtremos tres prophetas, nempe Aggeum, Zachariam, & Malachiam.

Item Johannis Oecolampadii liber in epiſtolam Johannis catholicam.

Demegoriarum farrago annotationum in Geneſim, ex ore Hildrici Zwinglii.

Commentarius Pomerani in quatuor capita epiſtolæ ad Corinthios.

Annotationes Pomerani in Deuteronomium & Samuelem.

Item Pomeranus in Pſalmos.

Franciſci Lamberti Avenionenſis in divi Lucæ evangelium commentarii.

Franciſci Lamberti commentarii in Joëlem prophetam.

Farrago omnium fere rerum theologicarum, Franciſco Lamberto auctore.

Franciſci Lamberti in Sophoniam, Aggeum, & Zachariam.

Franciſcus Lambertus in Amos, Abdiam, & Jonam prophetas.

Nova

Nova ſcholia Philippi Melanchthonis in Proverbia Salomonis.

Commentarii Philippi Melanchthonis in epiſtolas ſancti Pauli ad Coloſſenſes.

Annotationes Philippi Melanchthonis in epiſtolas Pauli ad Romanos & unam ad Coloſſenſes.

Translatio ſententiarum Salomonis ad Hebreum a Philippo Melanchthone.

Lambertus in Oſeam.

Annotationes Chriſtophori Hegendorphini in ſancti Marci evangelium.

Job cum commentariis Johannis Brentii.

Eccleſiaſtes Salomonis cum commentario Johannis Brentii.

Item Johannis Brentii exegeſis in divi Johannis evangelium.

Andreæ Althameri Brentii Annotationes in epiſtolam Jacobi.

Commentarius Lutheri in Sophoniam.

Commendaticia brevis Lutheri ad Othonem Brunfelſium de vita, candore, doctrina, & martyrio Johannis Huſſi.

Reſponſio Johannis Tindall ad dialogum Thomæ Mori militis, in ſermone Anglicano.

Item alius liber, qui intitulatur „The diſputation of purgatory„ editus per Johannem Frizthe.

Felinus ſuper pſalterium.

Brentius ſuper Eccleſiaſticum.

Brentius in Johannem.

Hegendorphinus in Marcum.

Pandecta Othonis.

Catalogus virorum illuſtrium.

Lambertus in Lucam.

Bucerus ſuper quatuor evangelia.

Annotationes Juſti Jonæ in Acta apoſtolorum.

Matrimonium Johannis Tindall.

Alius liber compilatus per fratrem Willielmum Roy contra ſeptem ſacramenta eccleſiæ.

Qui quidem libri, una cum aliis multis peſtiferis, partim a Willielmo Hitchyns alias Tindall, a Simone Fishe, Willielmo Roy,

Roy, Richardo Brightwell, partim a Luthero, Pomerano, Francifco Lamberto, Huldrico Zwinglio, Johanne Brentio, Philippo Melanchthone, Chriftophoro Hegendorphino, Andrea Althamero Brentio, eorumque complicibus, compofiti funt.

Quos omnes & fingulos libros infandis & peltilentiffimis hærefibus & blafphemiis refertos, innumeris erroribus plenos, una cum prædictis & aliis eorundem & fimilium auctoribus quibuscunque, hoc facrofancto concilio approbante, damnamus, reprobamus, & hæreticos effe judicamus & decernimus. Prætérea etiam patrum noftrorum veftigiis inhærentes, prohibemus, ne quis inpofterum tractatus, opufcula, fchedulas, aut libros quoscunque, facram Scripturam, aut ejus interpretationem in fe continentes, in linguam vulgarem translatos vendere, donare, commodare, emere, imprimere, infcribere, edere, legere, fpargere, vel publicare, in parte vel in toto, publice vel privatim, vel penes fe fcienter retinere, absque fui diœcefani in fcriptis licentia præfumat, nifi prius hujusmodi libri epifcopo loci exhibiti, atque ab eodem diligenter examinati, atque auctoritate ejusdem comprobati fuerint. Qui vero contra fecerit, ut zizaniorum fator & hæreticæ pravitatis fautor puniatur. Si qua vero perfona ecclefiaftica vel in prædicto exceffu, vel in quavis hærefi vel errore perniciofo, quem illico ad monitionem diœcefani loci recantare recufaverit, manifefte deprehenfus fuerit aut convictus, beneficiis, fi quæ habeat, hoc facro approbante concilio, fit ipfo jure privatus, & ad dignitates ecclefiafticas, vel alia beneficia, curam animarum habentia, nec non ad curati officium gerendum perpetuo inhabilis reddatur. Et quia multi libri hæretici etiam in lingua Latina a Luthero, Lamberto, Pomerano, Zwinglio, Oecolampadio, Bucero, Melanchthone, Carolftadio, Brentio, Jona, Wefthemero, Hegendorphino, Johanne Agricola, Urbano, Brismano, Andrea Knopkyne, Simone Heffo, Johanne Veltkirch, Othone Brunfelfio, Weffelo compofiti & editi, & quidam alii libri nullius auctoris nomine prodeuntes;

Cujusmodi eft liber ille, qui De veteri & novitio Deo infcribitur.

Alius, qui Piæ precationis nomine venit.

Alius, qui Oeconomia christiana vocatur.

Alius, qui Processus consistorialis martyrii Johannis Hussi intitulatur.

Alius in sermone Anglicano, vocatus, The prologue into the fifth boke of Moyses, called Deuteronomy.

Alius nuncupatus, The first boke of Moyses, called Genesis.

Alius, qui inscribitur, The prologue into the thirde booke of Moyses, called Leviticus.

Alius, qui intitulatur, The prologue into the fourthe boke of Moises, called Numeri.

Alius, qui vocatur, The prologue into the seconde boke of Moises, called Exodus.

Alius, nuncupatus, The somme of Scripture.

Alius, nominatus, The exposition into the seventh chapter to the Corinthians.

Alius, nominatus, Hortulus animæ, in sermone Anglicano.

Complanationes in Isaiam.

Complanationes in Hieremiam.

Capita in Osiam.

Capita in Abacuc.

Unio diffidentium.

Confessio exhibita Cæsari in comitiis Augustæ, an Dom. M. D. XXX.

Omnes innumeris erroribus & pestilentissimis hæresibus pleni, brevi gregem dominicum infecturi videntur, si in vulgus prodire, & passim ab omnibus nihil in iis non rectum subesse suspicantibus, lectitari possent. Et alii etiam ejusdem generis libri, aliis nominibus & titulis quotidie novi parantur & educuntur; ad occurrendum huic eminenti malo, hoc sacro approbante concilio, prohibemus, ne quis librum quemcunque sub prædictis titulis aut auctorum præfatorum nomine inscriptum aut compositum, vel inposterum componendum habere, legere, edere, publicare, seu penes se retinere præsumat. Quod si fecerit, ut de hæresi suspectus habeatur & puniatur, nisi forte episcopus loci eidem propter singularem ejus doctrinam, fideique integritatem,

tatem, hujusmodi librum, sive in lingua vernacula, sive Latina editum, ad effectum impugnandi eundem, habere, legere, & penes se retinere concesserit. Nova vero opera quæcunque ad sacram scripturam, ejusque interpretationem, seu ad dogmata ecclesiastica pertinentia, cujuscunque fuerit auctoris aut tituli, ne prius edantur, aut publicentur, præcipimus, quam ab episcopo loci examinati & comprobati fuerint, sub pœna prædicta.

Num. XXVII.

Index Librorum Prohibitorum. (a)

1529.

Libri Sectæ sive Factionis Lutherianæ importati ad Civitatem London. per fautores ejusdem Sectæ, quorum nomina & Auctores sequuntur.

JOANNIS Wicleffi viri piissimi Dialogorum libri quatuor, quorum primus divinitatem & ideas tractat. Secundus rerum universarum creationem complectitur. Tertius de virtutibus vitiisque ipsis contrariis copiosissime loquitur. Quartus Romanæ Ecclesiæ Sacramenta, ejus pestiferam dotationem, Antichristi Regnum, Fratrum fraudulentam originem atque eorum hypocrisim demonstrat.

De bonis operibus Doctoris Mart. Lutheri.

Epistola Lutheri ad Leonem X. summum Pontificem.

Tessaradeca consolatoria pro laborantibus & oneratis Mart. Lutheri.

Tractatus Lutheri de libertate Christiana.

Sermo Doctoris Martini Lutheri.

Enarrationes Martini Lutheri in Epistolas D. Petri.

Responsio Martini Lutheri ad librum Magistri Bartholomæi Catharini defensoris Silvestri Pontificis, cum exposita Visione Danielis 8. De Ann. Christi.

(a) Eum ex FOXI Act. & Monum. Angl. Tom. II. p. 234. depromsimus.

De operibus Dèi, Martino Cellario autore.

Deuteronomos Mosis ex Hebræo castigatus, cum annotationibus Mart. Lutheri.

Lutheri Catechismus Latina donatus civitate, per Joannem Lonicerum.

Jonas Propheta, Martini Lutheri commentariolo explicatus.

In Epistolam Pauli ad Galatas, Mart. Lutheri commentarius.

Martini Lutheri Epistolarum farrago pietatis & eruditionis plena, cum Psalmorum aliquot interpretatione.

Enarrationes seu Postillæ Martini Lutheri in lectiones quæ ex Evangelicis Historiis, Apostolorum scriptis, aliisque sacræ Scripturæ literis desumptæ per universum annum, tam diebus Dominicis, quam divorum memoriæ sacris, super missam faciendam recitantur.

Conclusiones sedecim Rev. patris Domini Martini Lutheri, de fide & ceremoniis.

Ejusdem de Fide & Operibus saluberrima declaratio.

Ceremoniarum eruditissima resolutio, quid sint & quo modo eis utendum.

Conclusiones quinquaginta ejusdem pro timoratis conscientiis.

Resolutio Lutheriana super propositionem suam 13. De potestate Papæ.

Didimi Faventini adversus Thomam Placentinum, pro Martino Luthero theologo oratio.

Enarrationes novæ Domini M. Lutheri in Jonam Prophetam.

De votis Monasticis, Martini Lutheri judicium.

Enchiridion piarum precationum Martini Lutheri.

Conciunculæ quædam Martini Lutheri in deiparæ Virginis, & aliquot festos dies, nuper e populari lingua Latine factæ.

In Esaiam Prophetam commentarius Joannis Oecolampadii.

In Danielem Prophetam Joannis Oecolampadii libri duo.

Apologetica Joannis Oecolampadii de dignitate Eucharistiæ.

Item. Sermones duo ad Theobaldum Billicanum, quinam in verbis Cœnæ alienum sensum inferant.

De non habendo pauperum delectu, Joannes Oecolampadius.

In

In poſtremos tres Prophetas, nempe Haggeum, Zachariam & Malachiam, Commentarius Johannis Oecolampadii.

Quid de Euchariſtia veteres tum Græci, tum Latini ſenſerint dialogus: in quo Epiſtolæ Philippi Melanchthonis & Johannis Oecolampadii inſertæ ſunt.

Apologetica Joannis Oecolampadii de dignitate Euchariſtiæ.

Joannis Oeolampadius de genuina verborum Domini, Hoc eſt corpus meum, ſignificatione.

In Epiſtolam Pauli Apoſtoli adnotationes a Joanne Oecolampadio recognitæ.

Acuta exegeſis, id eſt, Expoſitio Euchariſtici negotii ad Martinum Lutherum, Huldrico Zuinglio authore.

Complanationes Eſaiæ Prophetæ fœtura prima, cum Apologia per Huldricum Zuinglium.

Farrago annotationum in Geneſim, ex ore Huldrici Zuinglii.

Annotatiunculæ per Leonem Judam, ex ore Zuinglii in utramque Pauli ad Corinthios Epiſtolam.

Ad Philippenſes annotatiunculæ per Leonem Judam, ex ore Huldrici Zuinglii exceptæ.

Ad illuſtriſſimos Germaniæ principes Auguſtæ congregatos de convitiis Eckii.

In Catabaptiſtarum Strophas Elenchus Huldrici Zuinglii.

De veteri & falſa Religione Huldrici Zuinglii Commentarius.

Ad illuſtriſſimum Cattorum principem Philippum, Sermones de providentia Dei, Huldricho Zuinglio authore.

Complanationes Jeremiæ Prophetæ fœtura prima cum Apologia, per Huldricum Zuinglium.

Ad Theobaldi Billicani & Urbani Regii Epiſtolas reſponſio Huldrici Zuinglii.

Quo pacto ingenui adoleſcentes formandi ſunt, præceptiones pauculæ, Huldrico Zuinglio authore.

Annotationes Johannis Bugenhagii Pomerani in Epiſtolas Pauli ad Galatas, Epheſios, Philippenſes, Coloſſenſes, Theſſalonicenſes, primam & ſecundam.

In Regum duos ultimos libros annotationes Joannis Bugenhagii Pomerani poſt Samuelem, jam primum emiſſæ.

Johannis Bugenhagii Pomerani annotationes in Deuteronomium, & in Samuelem Prophetam, id est, duos libros Regum.

De conjugio Episcoporum & Diaconorum, ad venerandum Doctorem Wolfgangum Rysenbusis, per Johannem Bugenhagium Pomeranum.

Explicatio brevis, simplex, & canonica Libelli Ruth, ea forma qua totius veteris testamenti Canonici Libri expositi sunt, authore Conrado Pellicano.

Psalterium Davidis, Conradi Pellicani opera elaboratum:

Non esse ferendas in templis Christianorum imagines & statuas coli solitas, authoribus Ecclesiasticis Argentoratensibus.

Epistola Martini Buceri, Evangelistarum enarrationes nuncupata. De hebdomadis quae apud Danielem sunt opusculum, in quo tractatur de sacrificio missae abolendo, incerto authore.

Novae Doctrinae ad veterem collatio per Urbanum Regium, in quo tractat de sacris Ecclesiae.

Collectaneae Communium Troporum sacrosanctae Scripturae, Bartholomaeo Westhemero collectore.

In Epistolam ad Romanos, Andreae Knophen Custremensis interpretatio, Adjecta est Epistola a Philippo Melanct.

Loci utriusque Testamenti complectentes praecipua capita totius Christianismi, cum adjectis scholiis.

Epistola pauli ad Titum jam recens per Joann. Agricolam scholiis novis illustrata.

In Hoseam Prophetam quinque Sermones Capitonis.

Dispositio orationis in Epistolam Pauli ad Romanos Phil. Melanct. Autore.

Sancti Pauli ad Colossenses, cum commentariis Phil. Melancthonis.

Nova scholia Philip. Melanchthon. in Proverbia Salomonis.

De authoritate, officio & potestate Pastorum Ecclesiasticorum, ex Phil. Melanct. editione.

Philippi Melancthonis Annotationes in Johannem.

Annotationes Philippi Melancthonis in Evangelium Matthaei.

Enarrationes perpetuae in sacra quatuor Evangelia per Martinum Bucerum.

In

In sancti Pauli Epistolam ad Ephesios, Martinus Bucerus.

In Theophaniam, quem Sophoniam vulgo vocant, Epitomographus, ad Hebraicam veritatem versus, per Martinum Bucerum.

Job cum Commentariis Joannis Brentii.

Ecclesiastes Salomonis cum Commentariis Joannis Brentii.

In Divi Joannis Evangelium Joannis Brentii exegeses.

Francisci Lamberti Avenionensis, in divi Lucæ Evangelium Commentarii.

Francisci Lamberti Commentarii de Prophetia, Eruditione & Linguis, deque Litera & Spiritu.

In Regulam Minoritarum, & contra universas perditionis Sectas, Francisci Lamberti Commentarii.

Ejusdem libellus de differentia stimuli carnis sathanæ nuncii, & ustionis.

In Cantica Canticorum Salomonis, libellum quidem sensibus altissimis, in quo sublimia sacra conjugii mysteria, quæ in Christo, & Ecelesia sunt, pertractantur, Francisci Lamberti Commentarii.

In Amos, Abdiam, & Jonam, Prophetas, Commentarii Francisci Lamberti.

Francisci Lamberti Commentarii in IV. ultimos Prophetas, nempe Sophoniam, Aggeum, Zachariam & Malachiam.

Wessellus de Sacramento Eucharistiæ, & de audienda missa.
Farrago Wesseli Groning. Lux mundi olim vulgo dicta, in qua tractatur de providentia Dei, de dignitate & pietate Ecclesiastica, de Sacramento pœnitentiæ, & quæ sunt claves Ecclesiæ, & de Purgatorio.

Wesselli Epistola adversus M. Eugelbertum Lerdens, in qua tractatur, quid sit tenendum de spirituum & mortuorum apparitionibus, ac de suffragiis & celebrationibus.

Tractatus Wesselli de Oratione & modo orandi.

De Christi Incarnatione, de magnitudine, & amaritudine dominicæ passionis, libri duo, Wessello Groningensi autore.

In Dei gratiæ & Christianæ Fidei commendationem, contra falsam & Pharisaicam multorum de justitiis & meritis operum doctri-

doctrinam & gloriationem, fragmenta aliquot D. Joannis Gocchii, nunquam antehac excusa.

Dialogus D. Joannis Gocchii Mechliniensis, de quatuor erroribus circa Evangelicam legem exortis.

Quod non sit onerosa confessio paradox. Joannis Oecolampadii. De cœlibatu, monachatu, & viduitate, Domino Andrea Carolostadio Authore.

Francisci Lamberti Commentarii de causis excæcationis multorum seculorum, ac veritate denuo & novissime Dei misericordia revelata, *&c.* Ex Regist. Lond.

Num. XXVIII.

Thomæ CRANMERI Protestatio contra Jurisdictionem (a) Papæ Romani.

IN Dei nomine, Amen. Coram vobis, autentica persona & testibus fide dignis, hic præsentibus, ego Thomas, in Cantuariensem archiepiscopum electus, dico, allego, & in his scriptis palam & publice, & expresse Protestor; quod cum juramentum sive juramenta ab electis in Cantuar. archiepiscopos summo pontifici præstari solita, me ante meam consecrationem aut tempore ejusdem pro forma potius, quam pro esse, aut re obligatoria ad illam obtinendam oporteat, non est, nec erit meæ voluntatis, aut intentionis, per hujusmodi juramentum vel juramenta, qualitercunque verba in ipsis posita sonare videbuntur, me obligare ad aliquod ratione eorundem posthac dicendum faciendum aut attemptandum, quod erit aut esse videbitur contra legem Dei, vel contra illustrissimum Regem nostrum Angliæ, aut rempublicam hujus sui regni Angliæ, legesve aut prærogativas ejusdem, & quod non intendo per hujusmodi juramentum aut juramenta quovis-modo

(a) vid. *Concil. Magn. Brit.* Vol. III. fol. 757. ex STRYPII Vita Archiepiscopi Cranmeri ling. Angl. Append. num. V. pag. 9.

modo me obligare, quominus libere loqui, consulere, & consentire valeam in omnibus & singulis reformationem religionis christianæ, gubernationem ecclesiæ Anglicanæ, aut prærogativam coronæ ejusdem, reipublicæve commoditatem, quoquomodo concernentibus, & ea ubique exequi & reformare, quæ mihi in ecclesia Anglicana reformanda videbuntur. Et secundum hanc interpretationem & intellectum hunc, & non aliter, neque alio modo, dicta juramenta me præstiturum protestor & profiteor. Protestorque insuper, quodcunque juramentum sit, quod meus procurator summo pontifici meo nomine antehac præstiterit, quod non erat intentionis aut voluntatis meæ, sibi aliquam dare potestatem, cujus vigore aliquod juramentum meo nomine præstare potuerit, contrarium ut repugnans juramento per me præstito aut inposterum præstando, præfato illustrissimo Angliæ Regi. Et casu, quod aliquid tale contrarium aut repugnans juramentum meo nomine præstitit, protestor quod illud, me inscio, & absque mea auctoritate præstitum, pro nullo & invalido esse volo. Quas protestationes in omnibus clausulis & sententiis, dictorum juramentorum repetitas, & recitatis, volo; a quibus per aliquod meum factum vel dictum quovis modo recedere non intendo, nec recedam; sed eas mihi semper salvas esse volo.

Num. XXIX.

Abdicatio primatus Pontificis Romani (a) à sex Proceribus domuum Religiosarum signata 1534.

QUum ea sit non solùm Christianæ Religionis & pietatis ratio, sed nostræ etiam obedientiæ regula, ut Domino nostro HENRICO ejus nominis pro Dominio Regio Octavo, cui uni & soli post Christum Jesum Salvatorem nostrum debentur omnia, non modo omnimodam in Christo, & eandem sincе-

 ram

(a) vid. BURNET. Collect. Docum. Tom. I. Lib. I. n. L. fol. 74. 75.

ram perpetuamque animi Devotionem, Fidem, obſervantiam, honorem, cultum, reverentiam præſtemus, ſed etiam de eadem fide & obſervantia noſtra rationem quotiescunque poſtulabitur reddamus, & palàm omnibus ſi res poſcat libentiſſimè reſtemur: Norint univerſi ad quos præſens ſcriptum pervenit, quod nos Priores & Conventus Fratrum, viz. prædicatoris Langley Regis ordinis Sancti Dominici Minorum de Ailsburi, Ordinis Sancti Franciſci prædicatorum Dunſtopliæ, ordinis antedicti Minorum de Bedford, Ordinis Sancti Franciſci Fratrum Carmelitarum de Hechyng, Ordinis Beatæ Mariæ Minorum de Morea, Ordinis Sancti Franciſci, uno ore, & voce, atque unanimi omnium & ſingulorum conſenſu & aſſenſu, hoc ſcripto noſtro ſub ſigillis noſtris communibus, & in domibus noſtris capitularibus dato, pro nobis & ſucceſſoribus noſtris omnibus & ſingulis, in perpetuum profitemur, teſtamur & fideliter promittimus & ſpondemus, nos dictos Priores & Conventus & ſucceſſores noſtros, omnes & ſingulos, integram, inviolatam, ſinceram perpetuamque fidem, obſervantiam & obedientiam ſemper præſtituros erga Dominum Regem noſtrum HENRICUM Octavum, & erga Sereniſſimam Reginam ANNAM Uxorem ejusdem, & erga caſtum Sanctumque Matrimonium, nuper non ſolùm inter eosdam juſtè & legitimè contractum, ratum & conſummatum, ſed etiam, tam in duabus Convocationibus Cleri, quàm in Parlamento Dominorum Spiritualium & Temporalium atque Communium in eodem Parlamento congregatorum & præſentium determinatum, & per Thomam Cantuarienſem Epiſcopum ſolenniter confirmatum, & erga quamcunque aliam ejusdem Henrici Regis noſtri Uxorem, poſt mortem prædictæ Annæ nunc Uxoris ſuæ legitimæ ducendam, & erga ſobolem dicti Domini Regis Henrici ex prædicta Anna legitimè tam progenitam quàm progignendam, & erga ſobolem dicti Domini Regis ex alia quacunque legitima uxore poſt mortem ejusdem Annæ legitimè progignendam, & quod eadem populo notificabimus, prædicabimus, & ſuadebimus ubicunque dabitur locus & occaſio. Item, quod confirmatum ratumque habemus, ſemperque perpetuò habituri ſumus, quod prædictus Rex noſter HENRICUS eſt *Caput Eccleſiæ Anglicanæ*. Item, quod

Epiſco-

Episcopus Romanus, qui in suis Bullis PAPÆ nomen usurpat, & summi Pontificis Principatum sibi arrogat, nihilo majoris neque Auctoritatis aut jurisdictionis habendus sit, quàm cœteri quivis Episcopi in Anglia vel alibi in sua cujusque Dioceſi. Item, quod soli dicto Domino Regi & Successoribus suis adhærebimus, atque ejus & Proclamationes, insuper omnes Angliæ Leges, atque etiam Statuta omnia, in Parlamento & per Parlamentum decreta, confirmata, stabilita & ratificata, perpetuò manutenebimus, Episcopi Romani legibus, decretis & Canonibus, si qui contra legem Divinam & Sacram Scripturam esse invenientur, in perpetuum renunciantes. Item, quod nullus nostrum omnium in ulla vel privata vel publica concione quicquam ex Sacris Scripturis desumptum ad alienum sensum detorquere præsumet, sed quisquis Christum ejusque veritatem, prædicabit Catholicè & orthodoxè. Item, quod unusquisque in suis orationibus & comprecationibus de more faciendis, primum omnium Regem, tanquam supremum Caput Ecclesiæ Anglicanæ, Deo & populi precibus commendabit; deinde Reginam cum sua sobole, tum demum Archiepiscopum Cantuariensem cum cœteris Cleri Ordinibus, prout videbitur. Item, quod omnes & singuli prædicti Priores & Conventus & Successores nostri, Conscientiæ & Jurisjurandi Sacro firmiter obligamur, quod omnia & singula prædicta fideliter & in perpetuum observabimus. In cujus rei testimonium huic Instrumento, vel scripto nostro, communia sigilla nostra appendimus, & nostra nomina propria quisque manu subscripsimus, Sacris in Domibus nostris Capitularibus, die quinto Mensis Maji, Anno Christi millesimo quingentesimo trigesimo quarto, Regni verò Regis nostri Henrici Octavi vicesimo sexto.

Ego Frater Richardus Ingerth Prior Conventûs, & Prædicator Langley Regis, cum consensu omnium Fratrum Conventûs prædicti, non coactus sed sponte subscribo.

Ego Frater Joannes Cotton, Prior Conventûs Prædicatorum Dunstabliæ, cum assensu omnium Fratrum Conventûs prædicti, non coactus sed sponte subscribo.

Ego Frater Joannes Sutler, Prior Conventûs Carmelitarum Hicchiæ, cum assensu omnium Fratrum Conventûs prædicti, non coactus sed spontè subscribo.

Ego Frater Eduardus Tryley Sacræ Theologiæ Baccalaureus & Conventûs Ailsberiæ, cum assensu omnium Fratrum Conventûs prædicti, non coactus sed sponte subscribo.

Ego Frater Joannes Wyatt, Sacræ Theologiæ Doctor Conventûs Bedfordiæ, unà cum assensu omnium Fratrum, sponte hoc scribo & non coactus.

Ego Frater Joannes Chapmanus Sacræ Theologiæ Baccalaureus, Magister immeritus Conventûs Moreæ, cum assensu omnium Fratrum, mea sponte subscribo.

Alia Declaratio, *eodem fine*, mutatis Mutandis *adornata fuit ab Antistite* Bedfordiæ *in* Cantio, *Ordinis Sancti* Dominici, *Maji* 4. 1534. Regn. Vicesimo sexto. Rot. Clausa.

Num. XXX.

Richardi SAMPSONIS, Oratio de Dignitate & Potestate Regia, A. 1535.

HAnc Orationem, tantò lubentius Documentis nostris inserere voluimus, quod Cl. SCHELHORNIUS in Amœnit. Historico-Eccles. T. I. pag. 27. diserte profitetur, se magnopere velle, ut ipsam hanc Sampsonis Orationem inspicere posset, atque perlustrare; *se enim vereri*, (dicit) *ut Reginaldus Polus*, (qui in Opere adversus Henricum VIII. scripto, hanc Orationem inprimis convellit) *in singulis cordate cum adversario suo egerit*, *siquidem ita frigide pleraque ejus argumenta proponit*, *ut robore suo fermè destituta videantur omnia* &c.

Exhibemus eam verò ex STRYPII Collectione Documentorum ad Volumen I. Memoriar. Ecclesiasticar. num. XLII. fol. 109. seqq. neque diffitemur, sæpenumero haud admodum stringere

gere ejus argumenta, ſaltem non eo verborum tenore atque ſtylo ſemper eſſe propoſita, ut animum veri cupidum informare, atque ab omni oppoſiti formidine liberum ſiſtere queant; Ut verè mirum quoque (ne quod res eſt celemus) nobis videatur, quod hanc præ ceteris elegerit Rex, dignamque judicaverit, quam Reginaldo Polo, tanquam validiſſimum cauſæ ſuæ præſidium, cui nihil facilè reponi poſſet, transmitteret.

Tu interim, B.L. lege atque judica: Ipſa Oratio hanc habet rubricam.

RICHARDI SAMPSONIS,

Regii Sacelli Decani, Oratio: Qua docet, hortatur, admonet omnes, potiſſimùm Anglos, *regiæ Dignitati cum primis ut obediant; quia Verbum Dei præcipit; Epiſcopo* Romano *ne ſint audientes, qui nullo jure divino in eos quicquam Poteſtatis habet, poſtquam ita jubet Rex, ut illi non obediant. Qui contra fecerint eos præcipùe docet Legem divinam contemnere. Non eſt ergo quod ſibi timeant* Angli, *de humana quavis Poteſtate Epiſcopi* Romani, *qui aliam quam humanam, hoc eſt, humano Conſenſu, in* Anglos *non habet. Obediant igitur Deo, non homini.*

Hæc eſt Veritas Verbo Dei firmata.

NIHIL eſt aliud in ſacris literis, quod me tantopere ad dilectionem Dei, & Proximi invitat quam illud *Joan.* 13. ca. *Mandatum novum* (inquit Chriſtus) *do vobis, ut diligatis invicem, ſicut dilexi Vos, ut & vos diligatis invicem. Novum* (inquit Chriſtus) *Mandatum*, &c. Quia prius ſolo Verbo docti eſtis: Nunc autem Verbo & Exemplo: *quia Exemplum vobis dedi, ut ſicut dilexi Vos*, &c. Ex hoc loco, Dilectionis duo genera docentur, Dei ſcilicet erga hominem, & hominis erga hominem. Neque non ex priore dilectione proficiſcatur tertium dilectionis genus neceſſe eſt, nempe hominis erga Deum. Cauſam itaque primæ Dilectionis cum audieritis, erit quoque & poſtremæ Dilec-

 tionis

[illegible] manifesta valde Causa, neque non esse [illegible] [illegible] illam Dilectionem, [illegible] erga hominem, facile perspicietis. Si non esset alius locus alius quam primum illud Geneseos Caput, satis perspicua est Dei erga hominem Dilectio. Postquam enim alia omnia, quæ in Cœlo, in Terra, in Mari, quinque primis diebus creaverat Deus, tum sexto die Hominem qui omnibus præesset, fecit. Neque modo fecit, ut alia priora, sed ad Imaginem suam fecit, deditque omnium rerum Dominium, (fecit inquam) *ut præsit*, &c. Hinc ait Benedicens, *Crescite*, &c. *Et dominamini Piscibus*, &c. Fecit præterea ad imaginem suam, quia sensum & intellectum & animam immortalem dedit. Quod ait ad similitudinem, &c. Innocentiam præfixit, quam [quam] peccato amisit, neque tamen è Paradiso abjecto, rerum Dominium sustulit. Hinc *David* Bonitatem Dei admirans erga hominem tam ingratum. *Quid est homo* (inquit) *quod memor es ejus*, &c.? *Minuisti eum paulo ab Angelis, gloria & honore coronasti. Omnia subjecisti sub pedibus ejus*, &c. Nunquid non maxima sunt hujusmodi Beneficia ergo hominem? Sed aliud longè maximum Dei beneficium est, quod priora omnia longissimè vincit. *Misit enim filium suum Deus Pater*, cui non pepercit, ut ait Apostolus ad *Rom.* 8. ut nos filios iræ & damnationis, filios Adoptionis efficeret. Misit, inquam, Filium, ut per eum ad patrem, qui nobis prius irascebatur, facilem accessum haberemus. Factus est enim homo nostra causa. Omnes nostras miserias ut homo sustulit. Passus est. Redemit nos. Patri nos reconciliavit. Lavit, mundavit peccata nostra suo sanguine, pro omnibus mortuus. Per ipsum datur nobis Remissio peccatorum. Ipse interpellat pro nobis, pro nobis apud Deum Patrem Mediator est. Nobiscum præsens est semper, quoties eum in veritate invocaverimus, ut opem ferat in tempore. Sed frustra hujus benignissimi Christi erga genus humanum beneficia numerare conarer, cum sint longissimè ineffabilia.

Nos tamen suo monet exemplo *Sicut ego dilexi vos*, &c. Quis tam ferreus est, ut hunc optimum Deum ex toto corde, &c. amare nolit? Hoc est dilectionis secundum genus; de quo tota scriptura loquitur, & toties admonet, ut Deum diligamus, ut in

in eo ſpem omnem noſtram conſtituamus, illi nos totos committamus. Neminem præter ipſum timeamus, ſi ejus negotium urgeat. *Dominus protector* (inquit) *vitæ meæ, a quo trepidabo?* Pſal. 26. *Timete eum* (inquit Chriſtus) *qui poteſt tradere Corpus & Animam in Gehennam ignis.* Matt. 5. Neque tamen ſervilis timor eſſe debet, ſed ſanctus, purus, reverendiſſimus, non aliter quam obſequioſiſſimus Filius amantiſſimum ſuum Patrem timet. Patrem amat ex animo. Offendere metuit, quia amat. Et ſi aliquando deliquerit, a Patre non abhorret, ſed eundem humiliter petit, ut veniam impetret. Eodem modo & diligamus nos Deum. Et bonus quidem hic Deus, ne ſimus Voluntatis ejus ignari, vitæ regulas tradidit. Docuit nos vias vitæ, non hujus tantum, ſed potius æternæ.

Neque multa ſunt Præcepta, ſed duo tantum; *Ut Deum ex toto corde diligas*, & *Proximum ſicut Teipſum*, id quod eſt Dilectionis tertium genus. Viſne ſcire quonam pacto Deum diligas? Pauciſſimis verbis docet Chriſtus. *Si diligitis me* (inquit) *Mandata mea ſervate.* Joh. 14. Hic Labor. Neque prodeſt omnis labor, niſi diligatis. Hinc orat Propheta. *Dirige greſſus meos in ſemitis tuis, ut non moveantur veſtigia mea.* Item. *Greſſus meos dirige ſecundum Eloquium tuum.* In hac prece ſoliciti ſimus, (cum neutiquam ſufficit noſtra Imbecillitas, ut Dei Mandata ſervemus) ut dirigamur in Deum. Sunt tamen multi civiles mores. Natura docente, quos præcipit quoque Deus, qui in noſtro ſunt arbitrio & poteſtate ut faciamus. Ab illis qui ſe excuſare poteſt, nullus eſt. Qui igitur ea præcepta non facit, non ſervat, *digniſſimus eſt qui vapulet multis:* Luce 12. Cujus generis ſunt, proximo non nocere, ejus bona injuſtè non auferre, furtum non facere. Neminem dolo decipere, falſo crimine non urgere, id quod cumprimis impium eſt, &c. Præpoſitis obedire. Hæc etenim, & id genus alia multa, hominis ipſa natura docet. Sed poſtquam & eadem ſuo mandato firmaverit Deus, omni conatu ut ſervemus, elaborandum eſt. Et niſi quidem ſervaverimus, erimus planè digni multimodo ſupplicio.

Quod autem adjeci inter alia, Præpoſitis obediendum eſſe, diligentem cautionem habeamus oportet, ut illi obedientiam præ-

ſtemus,

ſtemus, cui debetur. *Cui Honorem, Honorem*, &c. Ad Rom. 13. *Regem honorificate.* 1 Pet. 2. Et ſis cautus oportet, ne ſpreto eo Dei præcepto, cui obedire teneris, illi obedias, cui nullam Obedientiam debes. Hoc enim grave Peccatum eſt. Mandat Deus, ut Regi obedias. Neque modo hoc præcipit, ſed præterea niſi feceris Damnationem minatur. Ad *Rom.* 13. Quicquid ergo mandat Princeps, id facias oportet, quia ſic præcipit Deus, modo nihil mandet contra Deum. Neque illi aut Verbo, aut Facto reſiſtendum eſt, quia Poteſtatem habet a Deo. Et qui ei reſiſtit, Dei poteſtati reſiſtit (inquit Apoſtolus) a quo poteſtatem accepit. Et qui illi reſiſtit, ſibi Damnationem acquirit, inquit idem. O! magnum Præceptum, & ab omnibus obſervandiſſimum! Si vero, ut ſerves, non admonet Dei Amor, æternæ Damnationis timore, niſi deploratiſſimus fueris, ſervabis plane. Hoc eſt Præceptum, quod ex voluntate tua pendet, ut facias. Potes enim id facere. Et niſi quidem id feceris, non modo præſentaneam vindictam, ex manu Regis meritus es, ſed etiam æternam, ex manu Dei. Hinc ait Apoſtolus, *Ideoque Poteſtati ſubditi eſtote, non modo propter iram*, quia ſe poteſt vindicare de te, *ſed etiam propter Conſcientiam*, quia Præceptum Dei eſt. Et qui agit contra Conſcientiam, ædificat ad Gehennam. *Vis ergo non timere Principis Iram?* Obediens eſto, & malum ne facito. Si enim non obedieris, malum facis. Iram igitur time.

Ab hac Ira, ab hoc jure Principis inobedientes afficiendi, eximitur prorſus nemo, nullum genus hominum, niſi quos ſuo donaverit beneficio. Quicúnque ergo is eſt, qui non vult timere gladium, Regi & ejus Legibus obediat. Sin autem, time, quia poteſtatem habet a Deo Princeps, *in hoc ipſum*, (ut ait Apoſtolus) *quia Miniſter Dei eſt*, ut inobedientes & malos coerceat. *Eſt enim conſtitutus ad Vindictam malefactorum & laudem Bonorum*, quos tuetur, defendit, honorificat. 1 *Pet.* 2. Et quemadmodum ad ejus Officium pertinet, Bonos & Probos tueri & defendere, ſic inobedientes & immorigeros, dignis pœnis afficere. Hanc Poteſtatem habet a Deo. Palam eſt. Scripturæ manifeſtæ ſunt. Eſt enim Verbum Dei, quo docemur, ut huic Poteſtati obediamus. Neminem prorſus excipit. Neque in ſacris literis unum

Jota

Jota reperitur, quod immorigerum & peccantem quempiam, à regia Poteſtate eximat.

Non eſt ergo quod mireris, ſi delinquentem, aut Sacerdotem, aut Monachum, aut Epiſcopum, ſupplicio affectum videris, magis quam Laicum. *Si malum feceris* (inquit Apoſtolus) *time poteſtatem gladii.* Hoc enim omnibus, & ad ſingulos omnes loquitur. *Nam ſi deliqueritis*, *quænam gratia* (inquit D. *Petrus*) *ſi colaphiſati ſuffertis.* 1 *Pet.* 2. Converſationem igitur bonam habete (inquit) ne vobis detrectare poſſint homines, tanquam de malefactoribus. *Subditi igitur eſtote*, &c. inquit. Ut ſimus ergò Regi & ejus Poteſtati, ejus Legibus ſubditi in omnibus, quæ ad hujus Sæculi negotia pertinent, mandat Deus ipſe.

Cum ergo hanc SUPREMAM Poteſtatem habeat a Deo, ut jam a Verbo Dei accepiſtis, mirum eſt reperire tam ſtultos homines, qui hunc Regem SUPREMI CAPITIS Appellatione ornari, quantum in eis eſt, non ſinunt, & ut non recipiant alii, aut imprudenter, aut impudenter & malevolè contendunt. Nonne ſupremi Capitis nomine dignus eſt, cui Soli in Terris data eſt Verbo Dei, illa quam diximus ſuprema Poteſtas? Velim qui ſe Doctos arbitrantur, unam aliam Poteſtatem proferant è ſacris Literis, quæ poſſit huic æquari. Hanc ergo Poteſtatem habent Reges ab ipſo Deo, *ejus Miniſtri ſunt*, ab eo *miſſi ſunt*, (ut ait D. *Petrus* in priore loco) *ejusque Vicarii ſunt.* Omnes ergo huic Poteſtati obediant neceſſe eſt, qui volunt eſſe ſubditi Deo. Alias quidem Deum vere rejicit, vel ſpernit potius, qui non recipit eum, & ei non obedit, quem mittit Deus, cui expreſſam hanc Poteſtatem dedit. Vocetur idcirco SUPREMUM CAPUT, quia verè talis eſt. Verbo divino confirmatus.

Id quod naturalis quoque Ratio, & uſus rei apertè docent. Quis neſcit totum Regnum unum eſſe Politicum Corpus, ſingulos homines ejusdem Corporis Membra eſſe? Ubinam eſt hujus Corporis Caput? Eſt ne aliud quam Rex? Aliud plane non eſt. Aliud usquam reperiri non poteſt. Uſus rei hoc te manifeſtiſſimè docet. Quid fieri, quid ſtatui, quid decerni poteſt absque Regio Conſenſu? Quid laxari, quid diſſolvi, quid remitti, absque eodem poteſt? Videsne ſupremi Capitis Supremam Poteſta-

[illegible]? Cur detrectas illum suo nomine vocare? Si id per imprudentiam facis, disce & resipisce. Si malevolè, [illegible] te [illegible], & esto obediens Deo, qui hoc mandat. Sin minus, ut communis Pacis perturbator afficeris, jure [illegible], & quidem divino. Mandat jus divinum, ut obedias. Firmam facit Lex humana, suo jure. Hoc enim Regi [illegible] relinquitur. Neque est Rex qui vindicat, sed Deus, cujus Minister est, & a quo hanc accepit Potestatem. *Meum est enim Consilium*, &c. *Per me Reges* (inquit Deus) *regnant*, &c. Prov. 8. *Mihi* (inquit Deus) *Vindicta & ego retribuam*, quia Minister, Vicarius meus, vel in hoc sæculo retribuet meo nomine, vel ego æterna pœna afficiam. Esto cautus, ne utramque patiaris. Non potest planè non utramque pati, qui Verbum Dei contemnit. Quid aliud est quam contemnere Verbum Dei, non obedire Regi, Ministro Dei, Vicario Dei?

Non Episcopum illum *Romanum* Vicarium Dei intelligo, qui jure suo non habet quod agat, extra suam Provinciam. Episcopus est *Romanus*: Agat *Romæ* Episcopum. In *Anglia* plus Potestatis non habet, quam habeat *Cantuariensis* Episcopus *Romæ*. Nullum planè Verbum est in sacris Literis, quod illi extra suam *Romanam* Provinciam Ministerii quicquam tribuat. Id quod tibi exploratissimum efficiam. Si, quam tantopere ambit jure divino, Potestatem habet, Verbo Dei manifestum faciat, oportet. Sed de *Romano* Episcopo magis quam de *Cantuariensi*, nulla prorsus est in sacris Literis mentio. Ex hoc igitur fonte, hanc aquam haurire nequit, ubi nulla prorsus est.

Quod ait se *Petri* Successorem esse, tum ab hac successione hanc Potestatem accepisse, si adesset D. *Petrus*, negaret planè, & in hunc mendacem haud dubiè clamaret. O! impostorem. O! virum ambitiosum, superbum, arrogantem. Docuit me Magister meus *Christus*, Humilitatem, Abnegationem mei ipsius, hujus seculi, totiusque Fastus ejus Contemptum, Pacem, &c. Sed qui meo nomine Primatum sibi vindicat, quam habet nihil Humilitatis, docent perspicuè quidem externi mores. Ex fructibus cognoscitur Arbor. Pro Abnegatione suiipsius, omnia pro Voluptate & libidine facere ambit. Pro hujus Sæculi Contemptu,

ptu, nihil tam amat quam quæ sunt hujus sæculi. Fastu, Pompa, Gentium Principes vincit. Pro Pace Bellum ubique serit, non aliam ob causam, quam ut vivat ipse, agatque omnia pro Libidine. Hæc, inquam, & longe plura de *Romano* Episcopo diceret D. *Petrus*, si adesset. Sed de *Romanis* corruptissimis moribus & *abominabilibus*, ut ait Psal. 13. interim taceo. Non enim minori negotio Oceani omnem prope aquam exhaurirem, quam illos mores omnes recenserem, & pro dignitate tractarem. Deum precor pro Christiana Charitate, ut Deum agnoscere discat, agnitum amet. Ut, quæ præcipit Christus, tandem incipiat studiosius Episcopus *Romanus* imitari. Ut quemadmodum jam plerisque annis, omnium fuit Abominationum (ut uno vocabulo mala omnia complector) Parens & Pater, non Christi, sed Sathanæ Opera porrigens, ita & tandem resipiscat, ut de uno tam famoso Peccatore converso, gaudeant multi Christiani viri, qui nunc illum odio prosequuntur; Odio inquam bono & justo. *Iniquos* (inquit Propheta) *odio habui*. Et cumprimis discat Episcopus *Romanus* intra suos fines se continere. Stulte enim id vendicat hæreditario jure, quod Sancti Parentes neque habuerunt unquam, nec habere voluerunt.

Nihil enim minus arrogavit sibi D. *Petrus*, quàm hujusmodi Primatum. Exercuit nunquam. Ideo non exercuit, quia non accepit. Nusquam reperies illum, aut aliquem Apostolorum aliquando misisse, aut alicui jussisse quicquam. Illum ab Apostolis una cum *Johanne* missum legimus, *Act*. 8. Quod autem in *Ananiam* fecit *Petrus* Act. 5. non ut Primatum habens, sed tanquam unum Apostolorum fecisse, tam ex principio illius Cap. quam ex alia parte exploratum est. Ait enim, non ad *Petri*, sed ad Apostolorum pedes *Ananiam* agri pretium posuisse. Postea verò, ne *Petrum* in *Ananium* id fecisse putaretur, superioris Potestatis gratia, non per manus *Petri*, sed *per manus Apostolorum* (inquit *Lucas*) *fiebant signa, & prodigia multa in plebe*, Spiritu Prophetiæ huic malo velut occurrente. Neque in alio loco, ut tolleretur murmur *Græcorum* contra *Hebræos*, multitudinem discipulorum convocavit *Petrus*, sed Duodecim, inquit, &c. *Act*. 6. Neque constat in illo loco. Quis eorum, ad Multitudinem ser-

monem fecerit? *Dixerunt* (inquit) &c. cum tamen præſentes eſſent Duodecim omnes; quia ſic narrat *Lucas*, quorum unus erat D. *Petrus*.

Quod ſi abſolutam illam, quam jactant, haberet ſolus *Petrus* Poteſtatem, quid de *Paulo* dicemus, qui eo inconſulto, *Corinthios*, *Galatas*, *Romanos* ipſos, &c. ſua Doctrina ſolidavit? *Timotheum Epheſiis*, *Titum Cretis*, ut quæ deeſſent, corrigeret, Presbyteros per Civitates conſtitueret, &c. præpoſuit? ipſum *Petrum* in facie reprehendit, &c.? Neque contulit Evangelium cum ſolo *Petro*, ſed cum Apoſtolis, ad *Galat.* 2. Quod ſi D. *Petro* Primatum Poteſtatis aſſerere voluerimus, ultra *Judæos* non protenditur *Pauli* teſtimonio, qui ſe poſitum ait Prædicatorem Gentium & Doctoren, 1 *Timoth.* 2. Et non minus creditum ei Evangelium Præputii, quam *Petro* Circumciſionis. Neque *Petrum*, neque Apoſtolos reliquos omnes, quicquam illi contuliſſe, ait. Neque *Petro* Primatus quicquam tribuit ſupra alios Apoſtolos. Ait enim, *Jacobus*, *Cephas* & *Joannes*, *qui videbantur Columnæ eſſe*, *ſocietatis dextras dederunt mihi & Barnabæ*. Ad *Galat.* 2. In quo loco non modo *Petrum* æquat aliis, ſed etiam primæ Vocationis honore non præmittit. Priorem enim *Jacobum* nominat.

Neque ad rem pertinet, quod *Petro* loqueretur Chriſtus in Evangelio, dicens; *Ego dico tibi*, *quia tu es Petrus*, *& ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam:* Matt. 15. Non enim ædificavit Chriſtus Eccleſiam ſuper *Simonem Petrum*, ſuper Hominem, hoc eſſet planè ſuper harenam ædificare, ſed ſuper illam Fidem, quam confeſſus eſt *Petrus*, quod Chriſtus eſſet filius Dei, &c. Hinc ait in *Simonis Petri* perſona omnibus Apoſtolis, *Simon ecce Sathanas expetivit vos*, &c. *Ego autem rogavi*, *ut non deficiat Fides tua*, &c. Luc. 22. Quod autem dixi Chriſtum loquutum omnibus Apoſtolis in perſona *Petri*, ne videatur Somnium eſſe meum, omittam omnes veteres Interpretes, tam Græcos quam Latinos, & ſolum mihi *Lyranum*, familiarem illum & domeſticum, omnibus *Romani* Epiſcopi Adulatoribus Interpretem, accipio. In illo enim loco 16. *Matt.* ſic explanat. „ *Et ego dico* „ *tibi*, *pro te* (inquit *Lyranus*) *& pro Sociis tuis*, quia *Tu es Pe*-

„ *trus*,

„ *trus*, id eſt, Confeſſor veræ Petræ, qui eſt Chriſtus factus; „ Et *ſuper hanc Petram* quam confeſſus es, id eſt, ſuper Chri- „ ſtum, ædificabo Eccleſiam meam. „ Hæc *Lyranus* ad Verbum. Neque alius eſt ſenſus illius loci, *Luc.* 22. Fides etenim *Petri*, quam confeſſus eſt, non illius ſolius *Petri* eſt, ſed totius Eccleſiæ. Sic orans pro Fide illius, oravit Chriſtus pro fide Eccleſiæ, id quod ſolum Fundamentum eſt, 1 *Corinth.* 3. Quod autem addidit *Luc.* 22. *Tu aliquando converſus*, *confirma Fratres tuos*; Hoc enim & ad omnes, & ad ſingulos quosque Fideles, in *Petri* perſona, loquebatur Chriſtus. Eſt quidem Officium uniuscujúsque Chriſtiani viri, Fratrem ſolicitè docere, conſolari, corripere, &c. „ Convertamur igitur omnes (inquit ibidem „ D. *Ambroſius*) & caveamus, ne in perditionem, aliqua inter „ nos de Prælatione poſſit eſſe contentio. Item paulo poſt, Ser- „ monem ad Deum vertens; Tua (inquit) Ædificatio quæritur, „ non alterius Honor. Et ideo datur una omnibus forma ſenten- „ tiæ, ut non de Prælatione Jactantia ſit, ſed de humilitate „ Contentio. Hactenus *Ambroſius*.

Quod autem ait Chriſtus ad *Petrum*, *Et tu Converſus*, &c. non ſentit de futurâ ſuâ Poteſtate, ſed quod modo, cum converſus fuerit, & Fidem receperit, & quidem celeriter, quia primam Dei ſequutus eſt Vocem, (ut ait D. *Ambroſius*) ſtudeat alios in eadem Fide confirmare. Id quod nullius Chriſtiani viri non eſt officium, ut ſupra dixi. Hanc itaque Doctrinam omnibus dedit in perſona *Petri*; potiſſimùm Verbi Prædicatoribus.

Non erat itaque Eccleſiæ Poteſtas in Perſona *Petri*. Abſit, ut ab humana Fragilitate pendeat Chriſti Eccleſia; ſed cum eſſet primus Apoſtolorum, Ordine, non Poteſtate, propter illum Primatum (inquit *Auguſtinus Joan.* ultimo) non verè, ſed figurata generalitate, Eccleſiæ Perſonam gerebat. Quod autem ad ipſum *Petrum* propriè pertinet (inquit *Auguſtinus*) unus homo erat, Gratiâ, unus Chriſtianus abundantiore Gratiâ, unus idemque primus Apoſtolorum, *&c.* Lege ibidem quæ ſequuntur in noſtram ſententiam, adeo perſpicuè, ut nihil clarius. Primus erat Apoſtolorum primaria poteſtate prædītus. Erant enim Poteſtate æquales.

Nec trina illa Interrogatio, una cum Commiſſione, ut Oves paſceret, *Joan.* ultimo, magis ad *Petrum* quam alios Apoſtolos pertinet, niſi quod trina illa interrogatione *Petrum* confirmare voluit Chriſtus, commemoratione prioris trinæ Negationis ſuæ, ut ſolidius in Fide incederet. Hinc ait, *Sequere me*. Neque trina illa Chriſti Interrogatio de Dilectione, omnes non ſolicitè admonet de Fide erga Deum & Dilectione ejus, unde omnis virtus emanat.

Si adeſſet itaque D. *Petrus*, nihil haud dubiè magis ægrè ferret, quam quod ſuo Titulo ſuóque nomine, hanc plusquam ſecularem Poteſtatem ſibi vendicat *Romanus* Epiſcopus. Si enim D. *Petrus* hanc Poteſtatem a Chriſto accepiſſet cum illo Mandato, ut ſolus exerceret, ab eoque ſuam Poteſtatem acciperent alii omnes, ut nunc ſibi arrogat *Romanus* Epiſcopus, & peccaſſet valde *Petrus*, qui juſſioni non obtemperabat; & perditiſſimè erraſſent, qui absque eo in Eccleſia Chriſti miniſtraſſent. Neque hanc rem tacuiſſet, in Apoſtolorum *Actis Lucas* haud dubiè, qui poſt Chriſti aſcenſionem Apoſtolorum Geſta ſcripſit. Sed quam alienum eſt ab Actis Apoſtolorum jam ſatis perſpicuè diximus.

Cum ergo hanc non haberet Poteſtatem D. *Petrus*, unde arrogavit ſibi *Romanus* Epiſcopus? A Principum ſcilicet atque Populorum nimia Tolerantia, & illius loci Epiſcoporum fœda Ambitione & Superbia. Id quod ut omni ſole clarius perſpicias, efficiam; neque tam multis. Primum, certius aliud nihil eſt ſub cœlo, quam quod Epiſcopo *Romano* aut Primatus aut Poteſtatis plus non tribuatur jure divino, quam cuivis alii Epiſcopo, ſive in *Anglia*, ſive in *Gallia*, ſive in *Italia*, cum ne D. quidem *Petrus* haberet. Supereſt ut eam, quam arrogat Poteſtatem, humano jure habuerit, neceſſe eſt. Plerique igitur ex primis *Romanis* Pontificibus neque ambierunt, neque exercere aliquando conati ſunt, neque illis, aut eorum cuivis tribuerunt alii, talem Poteſtatem. Extant quidem nonnullæ familiares Epiſtolæ D. *Cypriani* Epiſcopi *Carthaginenſis* ad *Cornelium Romanum* Epiſcopum, ducentos & quinquaginta circiter annos poſt Chriſtum. Quantum vero Primatus illi tribuat, illarum ſuperſcriptio docet

docet non obſcurè: *Cyprianus Cornelio Fratri* (inquit) *Salutem*. Neque Epiſtolarum Verba ampliorem illi Poteſtatem tribuunt. Fidem verò Verbi Dei, quam ambo Apoſtoli *Petrus* & *Paulus*, tam ſua Doctrina quàm tandem Martyrio, ſolidam reliquerunt, præ cæteris locis *Romæ*, & venerati ſunt priſci illi Patres, & integram adhuc *Cypriani* ætate, ſervarunt felices *Romani* Epiſcopi. Neque *Damaſo Romano* Epiſcopo trecentos & quadraginta octo circiter annos, poſt Chriſti ad Patrem hinc reditum, alium Primatum tribuit D. *Hieronymus* in ſuis ad eum Epiſtolis, quam ut Fidem illius *Romanæ* ſedis imitetur, & eam magnifaciat. Quod autem ait D. *Hieronymus*, *Extra banc domum qui Agnum Comederit, prophanus eſt*, in Epiſtola quæ incipit; *Quoniam vetuſto*, Tom. 3. pag. 59. *Extra banc Fidem* haud dubie ſentit; quantumvis in illo potiſſimum loco non tam ſincerè loqui videtur *Eraſmus*, quam in aliis plerisque locis, qui illam Domum nimis inadvertenter *Romanæ* Eccleſiæ Primatum interpretatur. Non enim in illa ætate agnoſcebatur hujusmodi Primatus.

Quod ſi aliud nihil extra ſacras literas hujus Primatûs vim enervaret, de ipſoque omnem Opinionem tolleret, ſatis, mea ſententia, primum illud ſanctiſſimum *Niceni* [*Nicenum*] Concilium, omnibus ut certam Doctrinam accipiant, ſufficeret; in quo neque aderat *Romanus* Epiſcopus, neque præerat Vicaria quavis Poteſtate. Procuratorem ut Confrater & Coepiſcopus illuc miſerat, in eodemque in hunc ordinem conſtitutus eſt *Romanus* Epiſcopus, ut Apoſtolorum *Petri* & *Pauli* Honoris gratia, primum locum inter Epiſcopos haberet, alium Primatum nullum.

Neque Græcorum Eccleſia inter tot Beatiſſimos, eosdemque in ſacris Literis doctiſſimos Viros, alium aliquando de *Romana* Eccleſia Primatum agnoſcere voluit. Id quod miretur nemo, cum poſtea in *Africano* Concilio ducentorum decem & octo Epiſcoporum id idem negatum eſt *Bonifacio Romano* Epiſcopo, qui Primatum ambiebat. Præſens erat Divus *Auguſtinus*, *Aurelio Valentino* Epiſcopo præſidente. Si verbo Dei hanc ſupremam Poteſtatem haberet *Romanus* Epiſcopus, tot optimos & eruditiſſimos Patres utriusque Linguæ haud dubié id non fugiſſet, neque negaſſent, quod ſacræ Literæ firmaſſent. Nulla ergo de Verbo

Dei

Dei erat Controversia in *Africano* Concilio, quod ad Primatum *Romani* Episcopi attinet, sed an talem Illi Potestatem dedisset *Nicenum* Concilium? humanus consensus in dubium vocabatur. Hinc & *Romani* Episcopi Procuratores, ut *Niceni* Concilii Articulos acciperent, rogarant *Africani*, & ne dolo circumvenirentur, in *Græciam* nuntios miserunt illi, qui afferrent. Hæc gesta sunt ad quadringentos viginti quatuor annos ab anno salutis.

Non objiciat nobis *Anglis* argutus quispiam, quod *Romanæ* sedis solicitudine, Regnante *Lucio*, primi omnium Provinciarum, Anno salutis humanæ 182. Christi Fidem accepimus. Quis nescit non hominis, sed Dei esse Donum, Fidem? ut ait Apostolus ad *Rom.* 12. Id quod in hoc loco perspicuum est. Quia *Lucium* Regem non solicitavit *Eleutherius Romanus* Episcopus, sed per Literas egit *Lucius* cum *Eleutherio*, ut Christi Fidem, hoc est - - - - - - as, acciperet. Misit itaque *Eleutherius Fugatium* & *Damianum* &c. Neque non postea, Anno a Natali Christi 603. *Augustinum* & *Miletum* [*Mellitum*] Monachos, una cum aliis misit D. *Gregorius*, qui prope extinctam in *Britannia* Fidem, *Anglorum* Dominio, renovavit, normas religiosæ vitæ in Christo nonnullas dedit, &c. Hæc & nonnulla alia nobis, inquam, objiciunt; quibus *Romanæ* sedis nos obligatiores docere cupiunt, quam alias Nationes; Paucis respondetur. Nisi *Eleutherius* rogatus a Rege viros misisset, qui sanctum conatum suum auxissent, ejusque Petitioni satisfecissent, haud Episcopi nomine, sed Dæmonis dignior fuisset. Magis miror illum non accurrisse. *Gregorii* solicitudinem quis non laudat? Ejus Canones libenter *Ethelbertus* Rex amplexus est, aliud non docentes quam sanas, & religiosæ vitæ in Christo Regulas, quibus velut duceretur facilius in Fidem Christi novitius adhuc Populus. Non imperium sibi arrogavit, dominari non ambiebat, venit exemplo Christi ministrare, non ministrari. Aliis Mandatis, Jussionibus, Imperiis regnare noluit, quam Verbo Dei. Non coegit Provinciæ homines ad se venire, dirimendarum Causarum gratia, Citationibus, Comminatoriis, Excommunicationum [Fulminibus] Populum vexare noluit. Tantùm ad sanam vitam hortatus

tatus est. In hac re omnem solicitudinem exercuit, omnes vires exhibuit, quærens non quæ sua fuerunt, sed quæ Christi. His Mandatis obediebat Christianissimus Rex, his monitionibus parebat Populus Deo deditus, non quia jubebat homo, *Romanus* Episcopus, sed quia mandat Deus. Non suis verbis hortatus est, sed Christi.

Ab hoc verbo cum degeneraverit *Romanus* Episcopus, quid justius, quam illum, & ambitiosos ejus Canones omnes rejicere, respuere prorsus? Non enim sunt Christi, sed verè hujus sæculi Canones, quid? aliud quam Fastum, Ambitionem, Superbiam, Avaritiam non docent. Hinc insignis hujusmodi Primatus, hinc Dominium, plusquam Regum Gentium, hinc abhorrendum illud Pedum Osculum. *Paulus* & *Barnabas* exsilierunt in turbam, etiam conscissis vestibus præ dolore, cum eos cæpisset adorare Populus, clamantes, & nos mortales sumus, similes Vobis Homines *Act.* 14. Cum vero ad *Petri* pedes procideret *Cornelius*, illico elevavit eum *Petrus* dicens, *Surge*, *& ego ipse Homo sum.* Act. 10. Quoniam igitur modo cupit *Romanus* Episcopus ut ei sint audientes Christiani Populi, postquam omnia quæ mandat tam sunt adversa Christo? Aut ergo Christus deserendus est, aut his moribus *Romanus* Episcopus. Nemo potest duobus his Dominis servire.

Quamdiu Christum sequuti sunt *Romani* Episcopi, nulla fuit omnium Christianorum Natio, tam illi subjecta, tam obediens (non supremæ Potestatis gratia, sed sua sponte) quam *Anglica*, in magnam usque superstitionem. Neque non diu & multis quidem annis intolerabiles ab hac sede *Romana* molestias injuriásque substinuit *Anglica* Respublica. Postquam vero, neque modus neque finis reperiri posset, prudentissimus Rex non aliter quàm debuit, quamvis tardè, suæ Reip. consuluit. Constituit ille, cui omnes Verbo Dei obedire tenemur, ne obedientiam illi præstemus, qui nullo verbo Dei Obedientiam exigit. Qui ergo Christianus & haberi & esse vult, Christi verbo obediat, necesse est. Regi obedire teneri verbo Dei, ut perspicuè docuimus, *Romano* Episcopo neutiquam. Jubet *Romanus* Episcopus, ut illi te subjicias: Jubet Rex, verbo

Dei. Humano jure sibi vendicat *Romanus* Episcopus. Si te Christianum fatearis, Dei verbo parebis. *Si me diligis* (inquit Christus) *serva mandata mea. Nam quicunque non diligit me, mandata mea non servat. Et quicunque non mecum est, contra me est*, inquit. Ut ergo sis ex parte Dei, agas quod mandat Deus, necesse est. Alias quidem eris planè de inimicis illis, qui noluerunt Regem regnare super se, ut ait *Lucas*, cap. 19. Moriemini in peccatis vestris, quia Deum non modo non diligitis, sed etiam odio eum habere videmini, quia Verbum ejus respuitis, & planè contemnitis, postquam id docti estis, nisi spreta omni humana Potestate, Verbo Dei obedieritis. Verbum Dei est, Obedire Regi, non Episcopo *Romano*.

Quodam tacito humano consensu irrepsit in hanc ditionem *Romanus* Episcopus. Ex multis, & quidem justissimis causis, ut partim supradiximus, expresso consensu sancitum est, huic Potestati amplius ne subjugamini. Hoc mandat Deus, quia Rex, Dei in terris Minister; Cui verbo Dei suprema Potestas datur, hoc præcipit. Utitur jure suo. Non vult amplius pati, ut qui diu nimis, non alia quam precaria Potestate usus est, illum è suo jure extrudat. Huic sanctioni obedire tenetur quisquis *Anglus* est, ut cum primis Regem - - - - - . Reip. *Supremum Caput* diligatis, ut Vos - - - - - - hujus capitis membra estis. Diligatis vos invicem magis ac magis, sicut ego (inquit Christus) & dilexi vos. Ut ab hac unanimi - - - - - - quietam in hac momentanea vita agatis, & post hanc vitam, Filii sitis Dei, cohæredes Christi, quem diligitis, cujusque Verbo obediistis in vitam æternam.

Num.

Num. XXXI.

HENRICI VIII. Reg. Angl. (a) Literæ, pro

Obſervatione Legum Eccleſiaſticarum à ſe reformatarum. 1534.

HENRICUS octavus Dei gratia Angliæ & Franciæ rex, fidei defenſor, & dominus Hiberniæ, ac in terris Anglicanis, ſub Deo, caput ſupremum, omnibus archiepiſcopis, epiſcopis, abbatibus, clericis, ducibus, marchionibus, comitibus, baronibus, militibus, generoſis, ac aliis cujuſcunque generis hominibus, ſubditis & legiis noſtris, per regnum noſtrum & dominia noſtra ubilibet commorantibus, ſalutem, & evangelicæ veritatis incrementum.

Cum vos, optimi cives mei, mihique chariſſimi, me nunc unum atque ſolum hujus regni principem, in terrisque, ſecundum Deum, hujus eccleſiæ Anglicanæ unicum ſupremumque caput, quemadmodum divini atque humani juris ratio poſtulat, poteſtatemque tam eccleſiaſticæ quam mundanæ politiæ mihi majoribusque meis ipſo jure divino conceſſam (verum multis ſeculis unius Romani epiſcopi malitia, fraude, dolis, atque aſtutia ereptam) ad me, & ſucceſſores meos pertinere, una voce, uno omnium aſſenſu agnoſcitis; non poſſum indies magis magisque muneris atque officii mei rationem non habere, deque illuſtranda Dei gloria, de chriſtianæ pietatis vera doctrina propaganda, de imperii hujus incolumitate, & quiete tuenda, ſummi animi cura atque cogitatione non eſſe ſolicitus. Occurrunt enim ſubinde animo meo verba illa, quæ Sapientiæ, cap. ſeptimo, habentur, ad hunc modum: „ Audite reges, & intelligite, quoniam data eſt a Domino poteſtas vobis, & virtus ab altiſſimo, qui interrogabit

(a) Has literas nobis conſervavit doctiſſ. STRYP. in Vita Th. Cranmeri Append. pag. 72. atque inde eas videmus inſertas *Collectioni Conciliorum Magnæ Britanniæ* Tom. III. fol. 779. 780. ad Ann. 1534.

gabit opera vestra, & scrutabitur cogitationes. Ad vos ergo reges, sunt hi sermones mei, ut discatis sapientiam & ne excidatis. Qui enim custodiunt justitiam, juste judicabuntur, & qui didicerunt justa, invenient quid respondeant, &c." Hinc facile perspici potest, exactissime a regibus potestatis suæ reddendam esse rationem, illosque gravissimas manere pœnas, si non, ut oportuit, in rep. administranda sese gesserint.

Quodsi tanta cura ac solicitudine quibuscunque regibus opus est, quam anxios igitur ac solicitos christianos reges esse debere censendum est, quibus non politia modo civilis, sed ecclesiastica etiam potestas data est? Hos enim non tantum quæ ad humanam societatem pertinent, sed etiam quæ divinæ christianæque religioni maxime consentanea sunt, curare necesse est. Præsentem hujus seculi felicitatem principes christianos ita metiri convenit, ut hac potestate sua ad Dei cultum dilatandum utantur, & in hoc incumbant, ut recta doctrina propagetur, orneturque Dei gloria.

Cum igitur a christianis regibus justitiam in imperio, pacis tuendæ curam, pietatem, studium juvandæ & ornandæ religionis christianæ, exigi animadverterem, nihil mihi potius esse debere judicabam, quam ut omnes inirem rationes, quominus in hoc meo regno hæc a me desiderentur, & quoad possem, muneri imposito satisfacerem. Hoc ut facilius expeditiusque præstare valeam, non ignoratis vos, quantam curam adhibuerim in illis rebus promovendis, tuendisque, quæ huic negotio maxime conducere, atque adjumento esse videbantur, quæ contra impedire atque obesse visa sunt, quanto studio tollere ac delere conatus sum, assidueque conor.

Abunde enim vobis declaratum hactenus fuit, quam in hac nostra Britannia, multis retro seculis, Episcopi Romani vis injusta ac non ferenda, sacrosancto divino Numini inimica fuit, tantopere religioni christianæ, veræ doctrinæ propagandæ adversata est, quantum hujus reipublicæ pacem ac tranquillitatem sæpissime interturbavit, potestatemque regiam divinitus constitutam labefactando, debitam omnium obedientiam a vero ac justo principis sui imperio contra omne jus di-
i & humanum ad se transferre ausus est. Hujus potesta-
tem

tem huic cum divino munere ſublatam eſſe manifeſtum eſt, & ne quid ſupereſſet, quo non plane fractam illius vim eſſe conſtaret, leges omnes, decreta, atque inſtituta, quæ ab auctore Epiſcopo Romano profecta ſunt, prorſus abroganda cenſuimus. Quorum loco ut facilius inpoſterum Dei Optimi maximi gloria illuſtretur, & vera philoſophia chriſtiana, regnumque Chriſti vigere poſſit, & quo omnia decenter & ordine in Chriſti hac eccleſia gerantur; en vobis auctoritate noſtra editas Leges damus, quas a vobis omnibus ſuſpici, coli, & obſervari volumus, & ſub noſtræ indignationis pœna mandamus, ut veſtra in Deum pietas, amor erga patriam, principemque veſtrum obedientia, non ſine immenſa divini nominis gloria omnibus conſpicua ſit; ac vosmetipſos non minus de veſtris rationibus ſolicitos oſtendatis, quam ego veſtra cauſa de officio fuerim meo; ſtricte præcipientes, ut his noſtris conſtitutionibus vos omnes & ſinguli tam in judiciis quam in gymnaſiis utamini; ſevere prohibentes, ne quisquam veſtrum alias, præter has & regni noſtri leges admittere præſumat. Valete.

Num. XXXII.

Annæ BOLENIÆ, Reginæ (a) Literæ ultimæ ad Regem Henricum.

Domine.

MAjeſtatis Tuæ offenſio & mea in carcere detentio, adeò inſolitæ mihi ſunt res, ut quid ſcribere, aut quomodo me excuſare debeam, ignorem. Quandoquidem ad me mittis mandatum (ut veritatem fatear, & ſic gratiam apud Te impetrem) per talem, quem juratum hoſtem meum eſſe nôſti. Vix accepi nuntium ab eo; quin mentem Tuam abundè perceperim; quaſi confitendo veritatem, ſalutem atque libertatem impetrare poſſem, ideòque ſpontè mandatum Tuum exequerer.

(a) vid. BURNET. Document. ad Lib. III. Num. IV. fol. 88.

Neque verò Clementia Tua unquam ſibi imaginetur, Uxorem Tuam crimen confeſſuram, quod ne quidem ei in mentem venit. Atque, ut quod verum eſt, dicam, nullus unquam Principum uxorem habuit in cunctis officiis, veròque amore, magis fidelem, quàm Tu in *Anna Bolenia* deprehendiſti, quo nomine potuiſſem contenta eſſe, ſi Deo & Clementiæ Tuæ viſum fuiſſet. Neque tamen in mea Exaltatione ita mei ſum oblita, quin talem mutationem, qualem nunc experior, præviderim; cúm enim fundamentum exaltationis meæ, ſola voluntas Tua fuerit, non me latebat, minimam alterationem efficere poſſe, ut eadem voluntas in aliud objectum dirigatur. E conditione mediocri me ſelegiſti, ut eſſem Regina & ſocia Tua, longè ſupra meritum & deſiderium meum. Quòd ſi tum me iſto honore dignam judicâſti, ne permitte quæſo, ut levis aliqua voluntas, vel malum adverſariorum meorum conſilium, favore Tuo Regio me privet, neque ut crimen, indignum illud crimen animi perfidi erga Clementiam Tuam, maculam inurat fideliſſimæ uxori, aut filiæ Tuæ: Explora me, Rex optime; ſit autem exploratio juxta leges & æquitatem, nec permitte, ut hoſtes mei jurati & actores ſint & judices; imò fac, ut publicam ſubeam explorationem, Veritas enim mea non metuit publicum opprobrium; tunc videbis, vel innocentiam meam demonſtratam, ſuſpicionem & conſcientiam Tuam pacatam, ignominiam & calumnias mundi ſuppreſſas, vel culpam meam publicè manifeſtatam. Quicquid Deo & Tibi placuerit de me decernere, Clementia Tua libera erit & immunis à Cenſura publica; culpa autem mea legitimè demonſtrata, liberum Tibi erit & coram Deo & coram hominibus, non ſolùm de me, ceu perfida uxore, ſupplicium ſumere, ſed & affectionem Tuam erga Perſonam illam, ob quam id ſum quod ſum, ſequi, cujus nomen jam ab aliquo tempore indigitare potuiſſem; Non enim ſuſpicio mea hac in cauſa Te latet.

Sed verò decretum eſt, ut non ſolùm mors mea, ſed infamis etiam calumnia, medium ſit ad fruitionem deſideratæ Tuæ felicitatis perveniendi, Deum precor, ut Tibi & inimicis meis, ceu inſtrumentis, gravia condonet peccata, neque exactam à Te

ex-

exigat rationem Tuæ erga me actionis crudelis & Principe indignæ, in ultimo judicio, ubi & Tu & ego brevi comparebimus, & ubi, procul dubio, (quicquid mundus de me judicet) innocentia mea publicè & sufficienter manifestabitur.

Hoc nunc peto, ut ego sola feram onus offensionis Tuæ, nec idem innocentes illorum Nobilium tangat animas, qui (ut audio) mei causâ in carcere detinentur. Si unquam gratiam inveni in oculis Tuis, si nomen *Annæ Boleniæ* unquam gratum fuit auribus Tuis, noli petitionem hanc recusare; quare, ne ulteriùs tibi molesta sim, Sacro-Sanctam Trinitatem supplex oro, ut Tuam Clementiam benignè conservare, & in omnibus actionibus dirigere dignetur. E lugubri carcere in *Turri*, sexto *Maji*.

Fidelissima & obsequentissima
uxor Tua.

Anna Bolenia.

Num. XXXIII.

Articuli Religionis (a) A. 1536. editi in Anglia.

PRimò, Omnes Episcopi & Concionatores tenentur populum instruere, ut universæ Scripturæ Sacræ, tribus Symbolis, Apostolico, Niceno & Athanasii, fidem adhibeant; tenentur quoque omnia interpretari juxta illa, & iisdem verbis, atque omnes illis contrarias hæreses, præcipuè à quatuor prioribus Conciliis damnatas, rejicere.

Secundò, De *Baptismo* populus informandus: esse Baptismum Sacramentum à Christo institutum, in Remissionem peccatorum,

(a) vid. FULLERI Histor. Eccles. Magn. Britann. fol. 214. seq. unde eos depromsit BURNETUS, eosque suæ inseruit Historiæ Reform. Eccl. Anglic. Vol. I. Lib. III. fol. 122.

rum, sine qua nemo possit consequi vitam æternam: neque solùm adultos, sed etiam infantes posse & debere baptizari, in remissionem peccati originalis, & impetrationem donorum Spiritûs Sancti, per quæ in filios Dei assumantur. Nullum baptizatum esse rebaptizandum. Opiniones *Anabaptistarum* & *Pelagianorum* abominandas esse hæreses: adultos Baptismi administrationem petentes cum eo conjungere debere Pœnitentiam & Contritionem propter peccata, ac Articulos fidei firma fide recipere.

Tertiò, De *Resipiscentia* populum instruendum, eam à Christo fuisse institutam, & ad salutem absolutè esse necessariam. Consistere eam in Contritione, Confessione & vitæ Emendatione, cum externis operibus charitatis, quæ sint *fructus resipiscentiæ convenientes*. Contritionem esse internum pudorem & dolorem de peccatis, quibus Deus offensus & ira ejus provocata fuit. Cum Contritione conjungendam esse fidem in Dei misericordiam, quâ pœnitens debeat sperare, Deum sibi peccata remissurum, seque in numerum electorum filiorum suorum assumpturum, non ex dignitate meriti vel operis à se præstiti, sed propter meritum sanguinis & passionis Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi. Fidem hanc generari & confirmari per applicationem promissionum Evangelii, & usum Sacramentorum: atque eo fine Confessionem, quæ fit Sacerdoti, esse necessariam, cujus absolutio à Christo instituta, ad applicandas pœnitenti divinæ gratiæ promissiones: Idcircò populum instruendum, Absolutionem proferri authoritate Sacerdotibus à Christo in Evangelio data, cui fides adhibenda, ac si à Deo ipso prolata esset, juxta Salvatoris nostri verba; proin Confessionem auricularem à nemine esse rejiciendam, sed ad conscientiarum solatium adhibendam. Populum itidem erudiendum, quamvis Deus propter solam Christi satisfactionem peccata remittat, oportere tamen illos fructus ferre resipiscentiæ, Preces, Jejunia, eleemosynam, cum satisfactione pro injuriis aliis illatis, aliaque misericordiæ & charitatis opera, secus non posse illos salvari: hæc autem faciendo ipsos vitam consequuturos æternam, & afflictionum hujus vitæ mitigationem, juxta Scripturas.

Quar-

Quartò, De Sacramento Altaris populum edocendum, sub specie Panis & Vini ipsum Christi corpus ex *Maria* Virgine natum verè & substantialiter exhiberi, ideoque summa cum veneratione recipiendum esse, ac cuivis incumbere, ut juxta *Pauli* verba, convenienter seipsum exploret.

Quintò, Populum docendum, Justificationem significare Remissionem peccatorum, & receptionem in gratiam Dei, adeoque esse perfectam in Christo Renovationem. Ad eam verò impetrandam requiri Contritionem, Fidem & Charitatem, quæ tum ad illam concurrant, tum illam sequantur; bonaque opera ad salutem necessaria, non saltem esse externa civilia opera, sed internos motus & dona Spiritûs Sancti ad timendum & amandum Deum, ad confidendum illi, ad ipsum adorandum; ad exercendam in calamitatibus patientiam, ad detestanda peccata, & ad servandum firmum adversùs illa propositum; cum aliis ejusmodi motibus & virtutibus cum lege Dei consentientibus.

Reliqui Articuli Ecclesiæ Ceremonias spectant.

Primò, De imaginibus. Populum instruendum, usum illarum in Scriptura S. esse præceptum, illas bonis exemplis proponendis inservire, & ad pietatem excitare, proin in templis esse collocandas. Ne verò populus in priorem prolabatur superstitionem, abusus istos tollendos esse, populumque, ad vitandam Idololatriam, edocendum, suffitum, genuflexionem, oblationes & Cultum, non Imaginibus, sed Deo ejusque honori tribui.

Secundò, Quantum ad Honorem Sanctis exhibendum attinet, non putandum, ab illis posse impetrari, quod à solo Deo impetratur; honorandos autem esse Sanctos, ceu tales qui nunc æterna fruantur gloria; pro illis laudandum Deum, virtutes ipsorum imitandas, & ad plurimorum ex illis exemplum mortem pro veritate masculè subeundam.

Tertiò, De Invocatione Sanctorum populum informandum, bonum esse & proficuum, illos invocare, ut pro nobis & nobiscum orent. Ut autem abusus hac in re tollantur, illos saltem dies, quos Ecclesia in ipsorum recordationem instituit, observandos esse, nisi Regi placeat, numerum illorum diminuere; quòd si fiat, obedientiam mandato esse præstandam.

Quartò, De Ceremoniis, Populum edocendum, illas nec damnandas esse nec rejiciendas, sed observandas ceu laudabiles, mysticas habentes significationes, & ad excitandos animos proficuas. Ejusmodi Ceremonias esse vestimenta in Cultu Dei, Aspersionem aquâ lustrali, ut nobis in memoriam revocet Baptismum nostrum & sanguinem Christi: Distributionem Panis sacri, in signum unionis nostræ cum Christo, recordationem Sacramenti: Gestationem tempore *Lustralium Deiparæ*, in recordationem, quòd Christus sit lux mundi: Aspersionem cinerum in die *cinerum*, ut in mentem nobis revocemus Resipiscentiam & mortalitatem: Bajulationem Palmarum, die *Palmarum*, ut testemur desiderium recipiendi Christum in corda nostra, quemadmodum ingressus fuerat urbem *Hierosolymam:* Reptationem ad crucem in *Parasceve magna*, crucisque deosculationem, in memoriam mortis & sepulturæ Christi: Consecrationem Baptisterii, aliosque Exorcismos & Benedictiones.

Tandem, de Purgatorio docendum, bonum esse & charitati conveniens pro animabus defunctorum precari, hoc enim à principio in Ecclesia usitatum fuisse: ideoque populum erudiendum, cum charitate optimè consistere, pro defunctorum animabus orare, & ut alii in Missis & Exequialibus pro illis orent, curare, illoque fine eleemosynas erogare. Cùm verò locus, in quo sunt, & pœnæ quas patiuntur, ex Scriptura sint incerta, divinæ ea misericordiæ unicè relinquenda esse; Abusus itaque, qui sub Purgatorii prætextu irrepserant, tollendos, quasi scilicet indulgentiæ Papales animas ex eo liberent, vel Missæ certo loco & coram certis Imaginibus celebratæ, ejus sint efficaciæ; cum aliis ejusmodi abusibus.

Num.

Num. XXXIV.

Ecclesiæ Anglicanæ Consilium (a) de Conciliis Oecumenicis A. 1536.

QUantum ad Concilia Oecumenica, quemadmodum (diuturnâ edocti experientiâ) ultrò agnoscimus, nihil magis salutare vel necessarium magis pro stabilienda fide, extirpandis hæresibus, abrogandis Schismatibus, ac tandem pro reducendo populo Christi ad unitatem & concordiam in Religione, à Majoribus nostris inventum, excogitatum aut institutum fuisse, quàm Concilia Oecumenica; si legitimè convocentur in *Spiritu Sancto*, & conformia sint, tam quoad securitatem locorum, quàm alia ad id requisita, salutari & piæ institutioni & usui, ad quem in Primitiva Ecclesia fuerunt ordinata & instituta: pari modo ex altera parte, eâdem experientiâ edocti, censemus atque judicamus, nec esse, nec esse posse quicquam magis noxium in Republica Christiana, vel quod veritatem Verbi divini præteritis temporibus magis deformarit & subverterit, vel ex quo plura dissidia, aliique effectus diabolici sint orti, quam quando ejusmodi Concilia Generalia convocata fuerunt non juxta normam & charitatem Christianam, sed ex privata malitia & ambitione, vel ob alios respectus mundanos, juxta dictum *Gregorii Nazianzeni*, in epistola ad *Procopium*, in qua sententiam profert sequentem; *sic sentio; si verum scribendum est, omnes Conventus Episcoporum fugiendos esse, quia nullius Synodi finem vidi bonum, neque habentem magis solutionem malorum, quam incrementum: Nam cupiditates contentionum, & gloria (sed ne putes me odiosum ista scribentem) vincunt rationem;*

Quocirca censemus, Principum Christianorum munus & officium requirere, ut omni cura & diligentia prospiciant, *ne sanctissima hac in parte majorum Instituta, ad improbissimos ambitio-*

(a) vid. BURNET. Hist. Ref. Angl. in Docum. ad Vol. I. Lib. III. No. V. fol. 88. 89.

bitionis aut malitiæ effectus explendos, diversissimo suo fine & sceleratissimo pervertantur: Neve ad alium prætextum possint valere, & longè diversum effectum orbi producere, quam sanctissima rei facies præ se ferat. Ac primò quidem perpendendum nobis videtur, quis potestatem habeat convocandi Concilium Ocumenicum? Secundò, num causæ allegatæ ejus sint ponderis & momenti, ut necessariò Concilium requirant Oecumenicum, nec aliunde remedium adferri possit? Tertiò, qui in Concilio Oecumenico Judices esse debeant. Quartò, quis ordo in illo sit observandus, & an sententiæ Patrum in consilium sint vocandæ? Quintò, quales doctrinæ probandæ sint & defendendæ? cum aliis rebus, quæ in Concilio Oecumenico ex ratione & æquitate sunt observandæ. Primum quod attinet, nobis quidem videtur, nec Episcopum *Romanum*, nec ullum Principem, cujus dignitatis aut gradus sit, posse propria authoritate, convocare aut indicere Concilium aliquod Ocumenicum absque consensu & assensu cœterorum Principum Christianorum, cumprimis eorum, qui in Regnis & Dominiis suis habent *Imperium merum*, hoc est, qui habent integrum, absolutum & supremum dominium & authoritatem in suos subditos, nec aliam superiorem potestatem vel authoritatem agnoscunt.

Hoc autem verum esse, authoritate & exemplis plurimorum inducti credimus. Quod, quoniam tœdiosum foret multis deducere, hoc loco omittimus. Atque in testimonium determinatæ hujus nostræ sententiæ atque opinionis, Præmissas concernentis, nos Prælati & Clerici subscripti, in Synodo Provinciæ *Cantuariensis* congregati, totumque ejus Clerum repræsentantes, præsentes nominum subscriptione communivimus, 20. *Julji*, Anno Domini 1536. *Henrici* Octavi, 28.

Signatum à

Thoma Cromwello, *Thoma Cantuariensi*, *Johanne Londono*, cum 13. Episcopis & Abbatibus, Prioribus, Archi-Diaconis, Decanis, Advocatis, Clericis, aliisque Ministris 49.

Num.

Num. XXXV.

Regis S. P. Q. Anglicani (a) Declaratio de Concilio à Paulo III. P. R. indicto Mantuæ celebrando.

CUm orbi pene testatissimum sit, nos jam pridem prorsus in hanc unam rem incumbere, ut & vetus honos & pristina dignitas sacris literis restituta tandem aliquando sit, existimamus nostras partes esse, non tam nullam restaurandæ religionis occasionem omittere, quam omnibus Romanorum pontificum machinis, qui nunquam desinunt veritatem turbare, obviam ire. Huc nos cum veritatis studium, tum jampridem a nobis susceptum religionis patrocinium vocat. Certe, cum PAULUS Episcopus Romanus, maximis propositis præmiis, undique homines doctos ad veritatem oppugnandam conducat, neminem non in collegium Cardinalium cooptans, a quo aliquam imposturarum defensionem sperare possit, jam pridem nos non potuimus non anxio animo esse, non sæpe cogitare, quid tantus rerum & ingeniorum apparatus sibi vellet? Quod res est, divinabamus. Nimirum jam diu ad Pontificum fraudes & stratagemata assuefacti, facile augurabamur, hominum in verba & voluntatem Pontificis Romani juratorum *Concilium*, quod illi falso *generale* appellant, etiam tum futurum, cum nondum ulla Concilii mentio esset. Quid multis? Tandem, rebus recte ad fraudem constitutis, Concilium ad quod, vel neminem, vel quam paucissimos ex Christianorum Monarchis accedere posse, Paulus Pontifex certo noverat, indicitur. Videlicet & tempus, quo celebrandum erat, & locus

 quo

(a) Scriptum hoc prorsus memorabile, Witebergæ apud Joh. Luft 1537. impressum, ac deinceps repetita vice editum, in Biblioth. Brem. Class. V. n. VII, p. 507. & seqq. ut inter hæc Documenta legeretur, bona cum Lectoris venia efficere voluimus.

quo futurum ſtatuerat, poterant illi certo promittere, Regem nullum adfuturum.

Bulla quo non vadit? quem regum non accerſit, audax regum miniſter, & ad fraude cauſam ſuſcipiendam, & ad promovendam indicti Concilii ſimulationem? Nam quis eſt, qui non exiſtimat, Paulum & ſuos, ſimulare potius, quam ex animo moliri generale Concilium? Quis enim eſt, qui minus deſideret publica hominum Chriſtianorum comitia, quam ii, quibus plane de cauſa ſua deſperandum eſt, niſi ipſi judices de ſuorum adverſariorum lite pronuncient? Certe nos, qui non niſi ægre a regni & reipublicæ noſtræ procuratione avocamur, poſſumus ad hoc Concilium nec venire ipſi, nec procuratorem quenquam noſtra cauſa eo mandare, neque culpæ vel levem aliquam ſuſpicionem metuere. Quis enim nos accuſet, quod illo vocante non veniamus, qui nullum jus vocandi nos habet? & ut demus, jus illi eſſe, ut largiamur, quod nemo, niſi ſacrarum literarum imperitus, illi dat. Quid attinet ad id Concilium acceſſiſſe, in quo niſi vera oppugnes, falſa confirmes, nullus tibi locus ſit? Vident omnes, qua integritate, fide, religione, iſti res controverſas explicaturi ſint, qui hoc turbulentiſſimo tempore ſe de his diſceptaturos polliceantur. Cum Mantuam ad hoc Concilium celebrandum delegerint, nonne palam eſt, quam nihil fructus ex hoc conſeſſu reſpublica Chriſtiana ſperare debeat? An eſt quisquam Chriſtianorum principum extra Italiam, quisquam etiam Italus, qui, cum diſſentiat ab Epiſcopo Romano, auſit iſthuc accedere? Cum accedat nemo, qui oppreſſæ veritati audeat vocem commodare, hoc eſt, vitam dediſſe. Mirumne eſt, ſi Papa judice, nemine repugnante, ne reclamante quidem, papatus patroni hoc impetrent, ut Papæ autoritas, jam pridem labefactata, ac prope collapſa quoque, nunc iſto Concilio reſtituatur? Hoccine eſt rebus afflictis, turbatis religionibus, concuſſæ veritati opem ferre? Tun' Paule Pontifex, vel tuorum quisquam, unquam aliquando vel per ſomnium cogitet (ſi ad iſtum modum, ſolis, ſine ullo adverſario, de rebus controverſis vobis pronunciare liceat) Eccleſiæ Eccleſiaſticorumve morbos, qui irrepſerunt in Eccleſiam, non aliunde potius, quam ex hujusmodi Conciliis,

ciliis, sanare? Est profecto admodum verisimile, vos, qui nihil aliud quam quæstum quæritis, libenter ea antiquaturos, quæ invito Christo, invitis sacris literis, per aliquot secula vestri lucri causa per vestros majores constituta sunt. Imo cum illi, quoties status sui quæstio, honos, potestas, primatus, in judicium adducebantur, perpetuo proculcatis Dei legibus, per scelus dignitati suæ, vel ut verius loquamur, intolerabili superbiæ consultum vellent, annon certum pene esse potest, vos nequaquam filios degeneres patrum vestrorum vestigia secutuoros, novosque canones, qui majorum decreta tutentur, statururos esse? Sed, quid nostra refert, vel quid illi olim decreverint, vel quid deinceps vos statuatis, cum Anglia jam pridem vestris fraudibus æternum valedixerit? Nihil Romano Pontifici negocii cum Anglis, nihil commercii. Certe ut nobis negocium facessat, merces suas posthac nemini nostrum obtruserit. Ea vero quæ ille figit vel refigit, nihil ad nos pertinere volumus, certe quidem non magis, quam quæ quivis alius Episcopus statuit.

Verum ne videamur orthodoxis hominibus animi libidine abuti potius, quam judicio duci, hic orbi testatum volumus, nos synceram fidem & doctrinam Christianam, & ea omnia, quæ has vel juvent, vel ornent, amplexari, profiteri, perpetuoque professuros, omnia fidei dogmata ita nobis curæ esse, ut de regno nostro libentius periclitemur, quam ullum fidei dogma apud nos periclitetur. Testamur a Catholicæ fidei unitate, neque discessisse nos, neque unquam discessuros, imo vitam deposituros potius esse nos, quam ullus hujus fidei articulus apud Anglos concidat. Testamur nos, qui in hac tota causa nihil aliud, quam Christi gloriam, & orbis cum utilitatem, tum tranquillitatem spectamus, impostores diutius ferre non posse, Imo vel honestissimis rationibus nos adductos, repudiasse pontificum Romanorum autoritatem, sententias, decreta, Concilia. Testamur denique, nos neque antehac unquam ad publica Christianorum comitia venire recusasse, neque nunc, non omnem operam nostram, studium, fidem polliceri, quo & religio turbata aliquando suo loco consistere possit, & cæteræ controversiæ, quæ orbem jam diu vexant, tandem finiantur. Tantum Christianos

ſtianos omnes admonitos etiam atque etiam volumus, nos diutius pati non poſſe, ut ii putentur errores tollere velle, qui modis omnibus hoc agunt, ne quisquam citra capitis periculum eos convellere poſſit. *Concilium* volumus, expetimus, atque adeo efflagitamus, ſed quale inter Chriſtianos celebrari par eſt, hoc eſt, *liberum*, quo quisque intrepide, quæ vera ſunt, dicat. *Pium* volumus, ubi omnes omnem operam ſuam Chriſtianæ pietati reſtituendæ non opprimendæ veritati navent. *Generale* volumus, hoc eſt, eo tempore & loco celebrandum, quo, ſine ſuo periculo, quisque, qui gloriam Chriſti quærit, adeſſe, libereque ſententiam ſuam dicere poſſit. Tum enim Concilium generale videri poteſt, vel cum nemo Chriſtianorum, qui diſſentiat ab Epiſcopo Romano, abeſſe cogitur, vel cum, qui adſunt, nullo propoſito terrore, impediantur, quo minus quæ vere ſentiunt, audacter pronuncient. Nam quis eſt præter pontificem Romanum, Cardinales, & Epiſcopos aliquot papiſticos, qui non ad ejusmodi Concilium lubentiſſimo animo veniret? Rurſus, quis tam ſtultus eſſe poteſt, ut, cum videat Pontificis Romani cauſam pene ſolam agi, pontificem Romanum in hoc Concilio regnare, dominari, præſidere velit? Imo, ſi iſte, qui cauſam ſuam nullo modo apud alium quam ſe judicem defendere poteſt, perpetuo judex, litem non tam dirimat, quam impios errores conſtituat, quid magis in republica Chriſtiana veritati pernicioſum excogites, quam generalia Concilia? Atqui ut de iſtorum audacia aliquid dicam, quo jure, quove titulo ad Concilium a pontifice Romano vocentur Reges? An cum olim Concilia omnia Imperatorum, Regum & Principum autoritate, conſenſu & mandato fieri conſueverunt, non par eſt, vel ut hodie fiant, vel ut cur non fiant, cauſam adferatis? Veriſimilius eſt, inquiunt, Pontifices religionis curam ſuſcepturos quam Reges. Expertus eſt orbis magna cum pietatis clade, quanta fide hoc negocium, iſti tractent. Annon nunc videmus omnes, quam probe Paulus Pontifex conſtituendæ tyrannidis ſuæ occaſionem captarit? Non videmus, quod tempus homo religioſus ad generale Concilium delegerit? Annon veriſimile eſt, hunc ex animo cogitare de reſtitutione religionis, qui nunc Concilium indicit, cum Cæſar &

Rex

Rex Galliæ, duo potentissimi principes, sic acribus studiis inter se bellum gerant, ut neque illis, neque cuiquam Christianorum Regi, ullus Concilii locus relictus videatur? Age vero, age, Romane Pontifex, occasio, quam tot annos tu & tui omnes, tam ardentibus votis optastis, contigit, præsentem preme, porrectam ad scelus & fraudes ansam arripe. Convoca Cardinales, creaturas plane tuas, ostende, illudendi principibus & populo Christiano occasionem mire in tempore sese obtulisse. O homines, (quod ægre dicimus,) plane stultos, & quod libenter dicimus, prorsus improbos. Diu apud principes populumque Christianum hac suspicione laborastis, vos quidvis velle potius, qui probe simulatis ac dissimulatis omnia, quam generale Concilium. An tam stultos esse vos par est, ut nunc aperte omnibus ostendatis, nihil moliri vos aliud, quam ut privatis his vestris conciliabulis legitimi, catholici, generalisque Concilii spem omnem orbi præcidatis? Tantumne odium cum veritate geritis, ut nonnisi illa plane in æternum exilium ejecta cessetis? Vivit Deus, nec illo vivo ad tantum dedecus, contumeliam, injuriam, veritas vocari potest. Fallimur, ad hæc omnia vocari potest, venire non potest. Quis non vehementer doleat, homines tanta audacia esse, ut aperte hostilem animum in Christum gerant? Rursus, quis non afficiatur summa lætitia, parem cum impietate stultitiam conjunctam esse? Orbis, o Paule pontifex, non nunc in tenui quadam suspicione versatur, ut olim, imo positas ante oculos fraudes vestras cernit, immortale illud vestrum in veritatem odium detestatur. Vident omnes, quantas tragœdias ille vester concordiæ unitatisque prætextus in orbem Christianum invexerit. Intelligunt vestrum faciendæ pacis studium, contra Reip. tranquillitatem, a seditione diu stetisse. Cernunt, vos nunquam acrius religionem oppugnare, quam tum, cum eam maxime defendere videri vultis. Dolent, summas ingeniorum vires fraudum patrocinia tam diu sustinuisse. Dolent, rationem vim omnem suam ad scelus, superbiam, impietatemque promovendam convertisse. Dolent, virtutes etiam aliquot operam suam vitiis locasse, sanctimoniam hypocrisi, prudentiam calliditati, justitiam tyrannidi. Gaudent, sacras literas nunc tandem pro se non contra se, pug-

 nare.

nare. Gaudent, Deum non nunc Deo negocium facessere, Christum non nunc oppugnare Christum. Gaudent, non tam olim calliditatem veritati vim fecisse, quam nunc factum esse, ne posthac plus agat contra religionem audacia, quam pro veritate constantia possit. Vident, olim omnium pene vestrorum Conciliorum finem fuisse LUCRUM. Vident, vestra commoda vel cum veritatis interitu vos ambiisse, vos maluisse Evangelicis præceptis fraudem facere, quam vestram autoritatem, hoc est, audacem impudentiam labefactatam, cernere. Certe Paulus Pontifex vix hodie aliud agere videri potest, qui principibus, tot tantisque rerum tumultibus occupatis, ac pene obrutis, etiam Concilium generale, si Diis placet, indicit, quam ut posthac titulum aliquem habeat, quem suæ improbitati prætexat, si tum is ad Concilium venire recuset, cum tempus & locus commodior de religionis negociis consultandi sese obtulerint. Licere sibi putabit, par pari referre. Putabit fas, tum non venire, quod reges hodie non veniunt. Superi velint, ne perpetuo mutuis conviciis nos inter nos rixemur, neve cum maxime dissentiamus, jactemus utrique, nos meliorem partem defendere. Velint, ut veritas firma tandem & constituta nefarios impostorum conatus frangat. Velint, ut orbi Christiano reddita pax & tranquillitas disceptandi tempus & spacium de religione Christiana aliquando dent. Nisi enim Reges inter se conveniant, depositoque bello pacis artes amplectantur, non videmus, quid aliud sit Concilium indicere, etiamsi Concilium maxime expetis, quam oleum & operam perdere. Immo vero, cum illi bello & armis occupati, nihil aliud quam bellum cogitent, Pontifex non omnia in rem suam conversurus videatur, non confirmaturus errores, si istis absentibus Concilium suffuretur. Nimirum cum illis non vacet adesse, qui alioqui adfuturi erant; & nobis de jure nostro tantum Pontifici cedere non lubet, non ille & in rem suam, & in errorum defensionem, pulchre omnia statueret? Quomodo quisquam nostratium Mantuam, tot periculis adeundam, tam procul a nobis dissitam, tot tuis, o Paule, parentibus, cognatis, amicis, quos vel eadem patria, vel naturæ fœdera, vel lucri spes, vel alia quævis causa tibi paravit, undique circumseptam,
non

non recuset adire, qui prorsus amens non sit? Annon perire dignus est, qui vivus vidensque in flammas se conjicit? cum is de vita periclitetur, qui Cremonam, Mantuæ vicinam urbem, hac tempestate adierit, hostis tuus, hoc est, ut vulgus hæreticorum hominum interpretatur, hæreticus, an nostratium quisquam tuto vel intra Mantuæ muros versabitur? Quid? quod, Mantua, si justus celebrandi concilii numerus eo accedat, vix tot hospitibus excipiendis satis ampla est? Quid quod iter omne, quo hinc Mantuam usque nostris eundum sit, plenum periculis est? An nescitis hanc Legum omnium vocem & sententiam esse, cogi neminem per loca nusquam tuta ad Concilium venire? Quid quod hactenus nullam eundi & redeundi liberam facultatem, nullam securitatem ab iis, quorum sub ditione ea loca sunt, nobis impetraveritis? Quid quod, si hanc etiam impetrassetis, temerariorum notam subeamus nos, qui cum justo alioqui timore deterreri & potuimus & debuimus, tam periculoso itineri nosmet commiserimus? Nam næ ille profecto, qui rebus sic se habentibus, ut nunc se habent, ex Anglia ad Mantuam proficiscitur, securus esse potest, si mentis illi nihil sit, certus esse non potest. Nam cui ignotum est, quoties Romani pontifices in hujusmodi negociis fidem fefellerint? Quoties per pontificum fraudes, perfidiam & scelus interierunt hi, qui data fide, neque in itinere, neque in terra Concilii, neque dum redirent, quicquam periculi illis creatum iri ad Concilium venerint? Novum non est Papas perfidos esse, promissis non stare, contra jusjurandum, bonorum virorum sanguine cruentas manus foedare? Sed nimium diu in istis moramur, quæ nobis cum cæteris nationibus communia sunt, ista diutius non persequemur, ad ea orationem conversuri, quæ privatim & seorsim cum Anglorum Regem, tum omnes Anglos commovere debent.

Estne quisquam hominum, qui nesciat, Paulum Pontificem animo plane hostili in Regem esse? illum modis omnibus omnes insidias struere saluti, cum Regis, qui tyrannum ejecerit, tum Episcoporum ac nobilitatis plane interitum moliri, quod summis istorum studiis ejectus sit? Quis non videt, hominem adeo jam flagrare odio, ut diutius vel iræ impetum cohibere, vel in-

ſidias tegere non poſſit? Apertus eſt hoſtis, non diſſimulat, neminem non provocans in Regis caput, in regni cladem neminem non armans. Jam totum triennium nihil aliud quam populum Britannicum, nunc pecuniis, nunc ultro delatis honoribus, ad ſeditionem concitat. Nihil dicemus, quanto ſtudio, quanto cum ſcelere, principes Chriſtianos contra nos excitare conatus ſit. Haud dubie homo Chriſti vicarius, vita oſtendit, quomodo, quæ Chriſtus dixerit, intelligat. Vicarium ſe putat, cum ſibi liceat illud Chriſti dicere. *Non veni pacem mittere in terram, ſed gladium.* Gladium inquam, non illum, quo Chriſtus ſuos armatos voluit, ſed quo immanes homicidæ in proximorum ſanguinem, cædem, ſtrages abutuntur. Non valde miramur, ſi ſæpe in alios ſæviant, cum nobis, quorum beneficia nec pauca, nec mediocria ſenſerint, pro gratia contumeliam, pro bene meritis injurias rependere ſtudent. Non libet hic commemorare, quot noſtra officia, in pontifices Romanos collata, perierint. Valeant ingratiſſimi homines, indigni plane vel hominum nomine. Certe ejusmodi, ut neſcias, Deusne, an homines eos pejus odiſſe debeant. Nos, niſi didiciſſemus, vel inimicis bene velle, quid iſtis tam male imprecemur, quin minus quam pro eorum in nos maleficiis imprecati videamur? Tantum hoc imprecamur, Deus mentem meliorem illis ut det. Nos, gratia ſit ſuperis, ſeditioſos illorum conatus irritos redidimus, ita tamen, ut perpetuo nobis ab inimicis cavendum arbitremur. Certe quamdiu iſti nobiscum ſimultates gerunt, non committemus, ut grex a nobis deſertus a lupis ſanguinariis dilanietur. Imo inſidiæ omnes nunc cum nulli, niſi inſidiatoribus, obſunt, conſumantur. Sæpe indicent, quam nobis male volunt, quam cupiant nos lædere. Cognitus hoſtis nonniſi ſtultum & incautum lædit. Manet, manet alta mente repoſtum ſpreti judicium Clementis ſeptimi, Pauli tertii. Metuunt, ne ſi nos damno nullo afficiamur, cæteris principibus Chriſtianis exemplo ſimus, ut Romani pontificis injuſtum alioqui imperium diutius non ferant. Dolent ſuæ tyrannidi, avariciæ, ſuperbiæ, iter omne apud Anglos præcluſum eſſe. Ægre patiuntur, a majoribus noſtris conceſſa privilegia, hoc eſt, liberam prædandi illudendique civibus noſtris, atque adeo nobis ipſis,

ipsis, ereptam licentiam. Iniquum putant æqua a se postulari; qui legibus nullis se subditos esse volunt. Injuriis affici se credunt, quod illi alios ne afficiant prohibeantur. Vident interdictas indulgentiarum merces, ingentem auri vim hinc sibi periisse. Diplomata nulli jam obtrudi posse. Nimirum Anglia infantiam posuit, Nemo est, qui nesciat, stulte facere eos, qui aurum plumbo, etiamsi Petri & Pauli facies ad imposturas prostet, commutant. Imo dolent sanctorum vultus horum audacia, ad quæstum cogi. Certe nisi superi nobis irati mentem adimant, Papæ nomen etiam apud Anglos brevi interciderit, nedum auctoritas ulla illi fuerit. Profecto jus ille suum in nos, ac cives nostros, posthac nunquam exercebit. Ab illo consilium petere tum volumus, cum lubet decipi, falli, errare. An si ex fraudulenter jactis fundamentis fraudulentam fore totam fabricam conjicere fas sit, ab istis expectas aliud, quam pietatis Christianæ cruces, carceres, flammas? Veritatis vulnera? cicatrices? interitum? Aliud si quid erit in hoc Mantuanensi consessu statutum, nobiscum cogitate, Pontificum non mediocrem laudem esse, honestatis specie ad honestatis perniciem subinde abuti. Volunt, cum libet, quædam in gratiam concessisse videri, nusquam magis metuendi, quam cum maxime nobis obsequundant. Falli volunt, hoc est, patiuntur quædam sua dogmata explodi, abusus aliquot reprehendi. Verum cum ista largiuntur, plura & longe graviora poscunt. Vix fieri potest, ut tibi ab istis satis caveas. Profecto accedant ad has technarum nundinas, ad has fraudum officinas, qui volunt, nos jus nostrum incolume volumus. Nos neque veniemus ipsi, neque quenquam nostrum procuratorem illic esse patiemur.

Hactenus hanc rem ita disputavimus, perinde ac si Mantuæ Concilium futurum esset. Nunc paucis de ea bulla dicemus, quæ nuper Concilium ad Calendas Novembres, nullo ubi celebretur, designato loco, prorogarit, An non verisimile est, si nusquam celebretur, si Papa locum nullum, quo victoriam sperantes mystæ sui confluant, reperiat, si denique Concilium nullum nullibi sit, nulla decreta in eo contra religionem Christianam constitutum iri? Factum; ita Deus bene amet Paulum &

 suos,

ſuos, factum bene. In aliud tempus Concilium Mantuanenſe protrahitur. Quamobrem tandem? Cur, cum ii jam in urbe Mantua ſunt, qui tuis bullis parendum cenſent. Cur pollicitis, Paule, non ſtas? Cur non cogis Concilium? Bulla nobis obſtrepit, Audimus, Dux Fredericus nobis ſuper hoc reſpondens, non parvam huic negocio intulit difficultatem, aſſerens militare præſidium, & pro eo nutriendo ſtipendium neceſſarium eſſe. Id quod, inquit, nihil aliud erat, quam civitatem prædictam manifeſte negare.

Quæ contumelia magnanimos heroas unquam tetigerit, ſi iſta tam inſignes eorum omnium animos non commoveat, non acerbet, non exulceret? An non aperte irrides, & plane contemnis Cæſarem, reliquosque orbis monarchas, qui ad eam urbem, maximo cum rerum ſuarum diſpendio acceſſuros, accerſis, quam nec ipſe tu Concilii celebrandi cauſa intrare poſſis? Si ulli unquam Reges habiti ſunt ludibrio, næ tu Paule Reges bis ludibrio habes, vel quod vocas, quo venire non poſſiis ipſe, vel quod Concilium differs, nec ullum locum deſignas? An ſi tibi paruisſent, iterque, cum tu primum ad Mantuam neminem non vocares, ingreſſi fuiſſent, non probe deriſi domum rediiſſent? Habes nimirum, cur poſthac Principes accuſes, ſi minus venerint vocati, quos cum vocas, ſic contumelioſe derides. Finge, omnes imperium tuum agnoſcere, omnes tibi parere debere, an non verendum, ne ab obedientiæ officio diſcedant, ſi tu tuo imperio in eos ſic abutare? Nunc vero, cum illi tibi parere nullo modo debeant, tu omni humanæ creaturæ, nedum Regi, tanquam præexcellenti, obedire jubearis. Potes poſthac ſperare Monarchas morigeros, quos tam aperte ludis ac deludis? Quis unquam tam temerarius, audax, impudens ut Reges ad Concilium vocet, neque certum aliquem locum, ubi conſultent, illis ſignificavit? Paulus vocat Reges ad Concilium. Quo? Nusquam. Quid eſt Regum majeſtati illudere, ſi hoc illudere non eſt? At tandem homo memor, quanta injuria vel contumelia potius omnes affecerit, dolere ſe ſimulat. Magnum profecto illi negotium, dolorem ſimulare, qui nihil non probe norit ſimulare. Falſum ſe fuiſſe dicit, ſperaſſe ſe dicit, Ducem Mantuæ libenter paſſurum, ut

Man-

Mantuæ Concilium fieret. Dux passurum se negat, nisi dato præsidio. Paulus hinc veretur, ne aliqui indictioni suæ confisi iter ceperint, metuit, ne recta Mantuam progressi sint, unde jam exclusi, magno cum suo incommodo domum repetere cogantur. Verum ut omnes intelligant, quam nihil Papæ metuere possint, ait se æquiore animo hanc orbi illatam injuriam ferre, quod aliena, non sua culpa hic peccatum sit. Hanc vero? Non satis est tibi absentes contumelia affecisse, nisi tua culpa Federicum Mantuæ Ducem oneres? Quid peccat ille, quod tantum hominum numerum intra civitatis suæ muros, nisi accepto militum præsidio, se recepturum negarit? Tu qui venerabiles fratres tuos, patriarchas, archiepiscopos, episcopos & dilectos filios tuos abbates, & cæteros ecclesiarum & monasteriorum prælatos fulmine feris, nisi illic sint, ubi esse non possunt? An ejaculata fulmina pro tuo arbitrio revocantur, quoties libet? At pulchre te purgas, omnique crimine facile te eximis, qui dicis, te judicasse rem incongruam, & mali exempli, armatum Concilium celebrare. Nonne bellum hoc, & plane paparium? Si non das præsidium, Dux non permittit tibi & tuis Mantuam suam, sin das, præter juratos tuos eo accedat nemo. His artibus facile declaras, quod omnes jam diu suspicati sunt, te omnino generale Concilium nolle. Vis omnes adesse ad Calendas Novembres, nec, ubi tum tu futurus sis, etiam dum nosti. Quanquam quid attinet, quo nos voces, cum paria sunt, nusquam esse, & ibi esse, ubi Concilium fieri non possit. Nullus locus perinde tibi servit, qui prorsus decrevisti, nullum Concilium haberi, ac quisque locus. Imo præstiterit tibi, qui tecum statueris non adesse, nullum, quam certum aliquem locum præscribere. Facile fidem liberas, si nihil pollicere. Nonnisi semel Principibus illusisse, in Papa magna quoque laus est. Certe si quem tandem locum designet, non dubium est, quin vel ad civitatem aliquam suam (suæ putantur verius quam sunt, quas & majores sui per vim & dolos sibi compararunt, & iste contra jus & æquum malæ fidei possessor, deturbatis iis, ad quos jure hæreditario venire debent, occupat) vel ad cujusquam alterius principis imperio subjectam, nos vocet. Ad illam nemo unquam, cui aliquid mentis est, si

ab

ab isto dissentit, sese contulerit. Et si eo nos invitet, ubi nec is esse potest, nisi exercitum alat, annon plus quam stulti sunt, qui semel illusi, bis se decipi patiantur? Annon verisimile est, non deceptum iri, si illi credimus, qui promittit, quod præstare non potest, si velit, nec vult, si posset? Sed in re, quæ nihil ad nos pertinere videri pòtest, nimium diu moramur. Nam locum reperiat, quem velit, tutum, quo omnes tuto sine ullo vel periculi metu accedant, nos, is quò vocant, ad nullum unquam Concilium veniemus. Imo & Paulo & suis, hoc, quod sæpe diximus, aperte dictum volumus, nullum jus illis in Anglos esse, nos nullum illis cedere, & id quicquid est, quod a nobis olim per vim & scelus extortum est, jure & optimo jure repetere. Olim dedimus vobis primatum, si a nostro consensu vestra in nos autoritas initium habeat, per nostrum quoque consensum finem habeat, Cur enim, qui dedimus, sustulisse non possumus? Olim scripsimus, nos Pontificibus minores esse, minores quamdiu nobis visi fuimus, illis libenter paruimus. Longe alia nunc scribimus. Et proinde, si posthac eorum decretis non obtemperemus, non est, quod valde mirentur. Leges cum civiles, tum Dei, pro nobis pugnant. Non enim amittit libertatem ingenuus, imo nec libertatis causam lædit, qui se servum scribit. Si consuetudine nos oppugnant, Cypriano respondeant volumus, qui, cum veritas abest, putat, consuetudinem nihil aliud, quam erroris vetustatem esse. Quid quod Christus perpetuo dixit, *Ego sum via, veritas & vita.* Nunquam dixit, Ego sum consuetudo. Et proinde cum hac parte pro vobis consuetudo, ex illa pro nobis Sacræ literæ pugnent, audetis in harenam descendere? Christus quoties vos admonet (si tamen ejus discipuli estis, qui præceptore vestro multo doctiores illius leges violatis, vestras traditiones extollitis) ut nullo quæsito primatu vosmet ceteris non anteponatis. Sed non commorabimur in re aperta. Cautum optamus, ut Cæsaris & Christianorum principum autoritate Concilium generale, idque liberum, sit, uti veritati & religioni consulatur, quæ hactenus non alia re magis oppressæ sunt, quam istis Romanorum Conciliis, vel ut verius dicamus, conciliabulis. Jampridem in immensum crescunt errores, abusus,

im-

impietates. Erudimini tandem, qui judicatis terram, & tot malis, tantis ægrotantis Ecclesiæ morbis, aliquid ſaltem remedii excogitate. De generali Concilio, qui prudentiores ſunt, vident plane deſperandum eſſe. Nos optimum arbitramur, ut interea, dum magis Concilium optamus, quam ſperamus, ſui quisque regni errores ſua autoritate tollendos curet. Conſilii noſtri omnes participes eſſe volumus, ſi recta monuiſſe videbimur, non credimus hòrtatore opus eſſe, qui ad hæc eos invitat. Bona ſpes nos habet, quemque Regem Regum majeſtati jam pene reſtitutæ ad futurum. Non alent poſthac lupi catulos. Nòn, ſi nos audient, callidis Paparum commentis, audaciæ, impietati ſubſcribent.

Cœptis favete Principes, veſter honos, dignitas, majeſtas reſtituta eſt. Memineritis, hoc unum ad veſtrum officium vel maxime pertinere, ut veritati religionique Chriſtianæ operam veſtram navetis, Cavete, ne plus hoſtium doli, quam veſtra virtus poſſit. Nobiscum una bellum gerite cum Pontificum vitiis æternum. Ita eorum decretis aures veſtras accommodate, ut ſi quid vel in hoc Mantuanenſi, vel quovis alio Concilio decernant, quod religionem adjuvet, veritatem illuſtret, id libenter amplexemini. Non quidem quod a Pontifice ſuisque Cardinalibus decretum eſt, ſed quod hic honos religioni veritatique perpetuo deferendus eſt. Vera enim & honeſta etiam ab Ethnico libenter diſcimus.

Atqui quemadmodum libenter ea admiſerimus, ſi qua ſunt, quæ Chriſtianæ pietatis negocium promovere videantur, ita ſi quicquam ſtatuant in veritatis præjudicium, vel quod ad eorum primatum, poteſtatemve papariam confirmandam faciat, vel quod Regum jus, autoritatem, majeſtatem minuere, lædere, violare, videatur, hac noſtra teſtatione orbi denunciamus, nos eorum nihil neque probare, neque unquam probaturos.

Habetis, Chriſtiani orbis incolæ, quæ de Concilio generali nos in præſentiarum ſcribenda putavimus. Arbitramur, vobis planum eſſe, Epiſcopum Romanum ſibique addictos Cardinales, Epiſcoposque, non hoc animo Concilium velle, ut veritas regnet, ſed ut hæc una cum Chriſto conculcetur.

Intelligitis, non hoc tempus Conciliis celebrandis idoneum esse, non Mantuam locum esse idoneum, multo minus, nullum locum idoneum esse. Videtis ubi ubi sit, nos neque ipsos venire debere, neque quenquam nostra causa eo mandare. Videtis, vix tenuem spem Concilii generalis esse. Admonitos vos videtis, quo pacto quisque principum domi suæ, res religionis alioqui turbatas, tranquillet. Si qui vestrum meliora adferat, pollicemur, nos ea libenter facturos, quæ maxime a religione stent, neque nos nostro consilio usuros, si quis nobis rectius consulat.

Quem animorum nostrorum affectum Deus Opt. Max. qui dedit, pro sua bonitate, non tam in nobis augere, quam in omnes vel eum ipsum, vel meliorem effundere dignetur. Cui honor omnis, omnis gloria, in omnia secula seculorum.

Num. XXXVI.

HENRICI VIII. Mandata [a] Regia, de Bibliis Anglicanis. &c.

IN nomine Dei, Amen. Authoritate & mandato Serenissimi Principis, HENRICI, Dei gratia Regis *Angliæ* & *Franciæ*, Defensoris Fidei, Domini *Hiberniæ*; & in terris, sub Christo, supremi Ecclesiæ *Anglicanæ* Capitis. Ego *Thomas* Dominus CROMWELL, privati sigilli Custos, & in causis Ecclesiasticis intra hoc regnum authoritate regia Vicem gerens, in omnipotentis Dei honorem, incrementum virtutis, & expletionem mandati regii, vobis do & exhibeo sequentia mandata, servanda, observanda & implenda, sub pœnis infrà declaratis.

Primò; Ut sincerè serves & observes omnia & singula Regis mandata, meo nomine antehac, ipsius authoritate, data; non solum sub pœnis heic expressis, sed etiam, in casu delicti post secun-

(a) v. BURNET. ad Lib. III. n. XI. fol. 101. 102.

ſecundam hanc admonitionem, ulterioribus pœnis ex arbitrio Regis, vel ejus Vicem gerentis, irrogandis.

Item; Ut cures Festo proximo librum Bibliorum Anglicanorum, loco convenienti, in Eccleſiam curæ tuæ commiſſam collocari, quò parochiani tui commodè in illo poſſint legere; cujus libri pretium pro rata parte à paſtore & parochianis ſolvendum, dimidia ſcilicet pars à paſtore, altera verò à parochianis.

Item; Ut neminem, neque clam neque palam à lectione vel auſcultatione dictorum Bibliorum arceas, ſed potius quemvis, ut illa legat, exhorteris, cum ſint ipſum vivum Dei verbum, à quovis Chriſtiano amplectendum, credendum & imitandum, ſi ſalutem ſperet ſempiternam; ita tamen ut ſedulò moneas, ut omnes vitent altercationes & litigia, atque in perveſtigando vero ſenſu honeſta utantur ſobrietate, explicationemque locorum obſcurorum viris in Scriptura Sacra exercitatis relinquant.

Item; Ut ſingulis diebus Solis & Feriis, publicè & planè, bis vel ter, vel, ſi opus ſit, ſæpius, partem vel ſententiam Orationis Dominicæ, vel Symboli, lingua Anglica, recites, eo fine, ut illa memoriæ tradant; Atque ita de die in diem lectionem aliquam ſeu ſententiam illis proponas, donec integram Orationem Dominicam & Symbolum Anglicè memoriter teneant. Ac dum ſententiam aliquam memoriter ediſcunt, explicabis ipſis ſenſum earundem, & hortaberis Parentes & Oeconomos, ut illos liberos & ſervos ſuos doceant, quemadmodum ex conſcientia tenentur. Quo facto, Decalogum ipſis explicabis, ſingulis diebus Dominicis & Feriis præceptum, donec illa pariter edidicerint.

Item; Ut quovis tempore Verno in Confeſſionibus quemvis ad Confeſſionem accedentem examines, an poſſit recitare Articulos fidei & Orationem Dominicam Anglice, & illa audias; ſi non ſciat perfecte, indicabis illi, quemvis Chriſtianum debere illa noſſe, priusquam Sacramentum Altaris poſſit recipere, & monebis, ut in annum ſequentem melius illa ediſcat, ſecus non poſſe ipſum absque perfecta eorum notitia ad menſam Domini admitti, imò cum periculo animæ id futurum: declarabis quoque & ſigni-

nificabis, te hoc ipso tempore, nova, pro arcendis à Domini mensa ignorantibus, à Rege expectare mandata, proin hortaberis, ut & animæ periculum, & mundi opprobrium vitare studeat.

Item; Ut quovis quadrimestri, in dicta Ecclesia, & quovis Cœtu Tibi commisso, minimum Concionem unam habeas, vel habendam cures, ut in ea purè & sincerè verum Christi Evangelium explices, populumque ad opera Charitatis, Misericordiæ & Fidei in Scripturis mandata, horteris atque doceas non fidendum esse in ullis aliis, hominum arbitrio extra Scripturas excogitatis operibus, peregrinationibus religiosis, oblatione nummorum, Candelarum, vel Cereorum, Imaginibus ac Reliquiis, vel earundem deosculatione, recitatione certarum precum sine intelligentia, vel aliis similibus Superstitionibus; talia namque opera non solum non habere promissionem remunerationis, sed potius comminationem maledictionis, ceu talia, quæ ad Idololatriam tendunt & superstitionem, quæ Deus præ cœteris detestatur, quoniam ejus honori & gloriæ maximè adversantur.

Item; Ut fictas ejusmodi Imagines, quibus homines ad peregrinationes vel Oblationes in Cœtibus tuis abutuntur, ad vitandum detestabile Idololatriæ crimen fine mora è medio tollas; nec imposterum patiaris Candelas, Cereos, vel imagines cereas coram ulla imagine aut pictura collocari; & saltem lumen, quod transversè per Ecclesiam prope Statuarium est, lumen coram Sacramento Altaris & lumen prope sepulchrum, pro ornamento Ecclesiæ, & cultu divino retineas, atque Parochianos tuos edoceas, non esse alium Imaginum usum, quam quod libri sint illiteratorum, legere nescientium, ut hac ratione erudiantur de vita & conversatione eorum, quos imagines istæ repræsentant; qui vero illis aliter quam ad talem recordationem utuntur, illos cum animarum suarum damno enormem committere Idololatriam. Rex enim salutem animarum Subditorum suorum unicè quærens & jam & imposterum, istiusmodi imagines, occasiones criminis adversus Deum, & animabus dilectorum suorum periculosas, omni studio abrogabit & è medio tollet.

Item;

Item; Ut omnibus beneficiis, & Cœtibus, quibus non ipſe præſens es, loco tuo talem præficias Curatum, qui & aptus ſit & promtus ad perficienda hæc mandata, quique Cœtum tam exemplari vita quam Verbi divini explicatione ædificet, ſecus neglectus tibi imputabitur, & ratio à te, ſi aliter fecerit, exigetur.

Item; Ut nemini in ullo Beneficio vel Cœtu ad conċionandum admittas, niſi qui ſufficientem à Rege, vel ejus authoritate, ab Archiepiſcopo Cantuarienſi, vel ab Epiſcopo Diœceſeos, impetravit vinam; qui verò veniam habent, illos ad prædicandum Dei Verbum, absque repugnantia vol contradictione, admittas.

Item; Si antehac Parochianis tuis quicquam propoſuiſti pro extollendis Peregrinationibus, fictis reliquiis, vel Imaginibus, vel aliis ſuperſtitionibus, ut nunc palam coram iisdem eadem revoces & damnes, atque oſtendas, (prout verum eſt) te id nullo Scripturæ fundamento, ſed communi errore & abuſu, qui in Eccleſiam per tolerantiam & avaritiam eorum, quibus ſuperſtitiones proficuæ erant, irrepſerat, ſeductum feciſſe.

Item; Si quempiam in Cœtu tuo vel alibi ſcias, qui impedire conatur, ne Verbum Dei in lingua Anglica legatur, vel iis qui ſincerè id annunciant, impedimento eſt, vel executionem horum mandatorum inhibet; vel fictitiæ Epiſcopi Romani poteſtati, Legibus Regni hujus meritò nunc abrogatæ, favet; ut eum deferas vel Regiæ ſuæ Serenitati, vel venerabili ejus Senatui, vel ejus Vicem gerenti jam nominato.

Item; Ut Tu, & quivis Paſtor, Vicarius aut Curatus, pro quavis Eccleſia in Diœceſi ſua habeat librum ſeu Indicem, in quò diem & annum cujusque Matrimonii, baptismi & ſepulturæ conſignet, inſertis nominibus eorum, qui copulantur, baptizantur & ſepeliuntur; atque, ut liber iſte tutò aſſervetur, Parœcia communibus ſumptibus capſulam cum gemina ſera & clavi conficiendam curabit, quarum altera penes te, altera penes cuſtodem cujusque Parœciæ, pro aſſervando libro iſto, manebit; atque in hunc librum, præſente dicto cuſtode, ſingulis diebus Dominicis, nomina copulatorum, baptizatorum & ſepultorum, ſeptimâ præteritâ, conſignabuntur; quo facto liber in dicta capſula aſſervandus: qui verò hoc facere negligit, mulctam

 ſolvet

ſolvet (36 ſtuveros) pro reparatione dictæ Eccleſiæ collocandam.

Item; Ut quovis quadrimeſtri hæc & priora mandata, authoritate Regiæ ſuæ Majeſtatis tibi injuncta publicè coram Parochialibus tuis legas, eo fine, ut tu tantò melius de tuo admonearis officio, & Parochiales tui eo majorem illis præſtent obedientiam.

Item; Quandoquidem lege ſtabilita, quivis tenetur Decimas perſolvere; nemo, ſub prætextu officii à Curato ſuo omiſſi, Decimas detinebit, ut malum malo cumulet, vel ſuus ſit Judex, ſed eas ſincerè, pro more & conſuetudine, Paſtoribus & Curatis, ſine reſtrictione vel imminutione ſolvet; defectus verò vel negligentia Paſtorum & Curatorum ad ordinarios deferatur, vel ad alios Superiores, quorum erit, defectus manifeſtos emendare atque corrigere.

Item; Ut nemo impoſterum immutet ordinem vel modum Jejunii ab Eccleſia mandati & indicti, neque Precationem vel Cultum Divinum, ſecus quam in dictis Mandatis continetur, donec Regia authoritate injungantur vel transferantur; Vigiliis illorum Sanctorum, quorum Feriæ abrogatæ ſunt, exceptis; illæ enim impoſterum non amplius erunt dies Jejunii; excepta quoque commemoratione *Thomæ Becketi*, quondam Archiepiſcopi *Cantuarienſis*, quæ penitus omittenda, ejusque loco Feriale ſervitium adhibendum.

Item; Ut Campanarum pulſatio ob ſalutationem Angelicam peractis ſacris, aliisque temporibus, prætextu Indulgentiæ Epiſcopi Romani introducta, impoſterum omittatur, ne populus credat, ſe peccatorum veniam recitatione Salutationis Apoſtolicæ, tempore pulſationis iſtius, impetrare, quemadmodum hactenus factum fuerat.

Item; Prout hactenus uſitatum fuit variis in locis in Proceſſionibus canere *Ora pro nobis*; illamque Cantionem ad tot Sanctos dirigere, ut tempus non permiſerit ſequentia canere Suffragia, *Parce nobis Domine*, & *Libera nos Domine:* ideo populus erudiatur, omittendum eſſe illud *Ora pro nobis*, cœteraque ſuffragia canenda.

Quæ

Quæ mandata omnia & singula Ego Vobis & Successoribus vestris nomine & authoritate Regis mihi concessa injungo, ut ea servetis & observetis sub pœna privationis, confiscationis redituum, vel alius coërcitionis, prout Regi vel ejus Vicario p. t. expedire videbitur.

Eadem mandata in Episcopi Londinensis *Indice fol.* 29. 30. *reperiuntur, unà cum* Bonneri *Mandato ad Arbi-Diaconos suos pro eorundem observatione*, 30. *Sept.* 1541. Anno Regni 32.

Num. XXXVII.

Philippi MELANCHTHONIS Epistolarum biga ad Henricum VIII. Angl. R. 1539.

PRiorem Epistolam nobis conservavit, qui eam ex autographo edidit Illustris BURNETUS in Collectione Documentorum ad Librum Tertium Historiæ Reformationis fol. 249. seq. Posteriorem decerpsimus ex Epistolarum Melanchthonianarum Volumine editionis Londinensis in folio Lib. I. Ep. 28. fol. 22—29.

A.

S. D. Serenissime & Inclyte Rex; Etsi audieramus Romanum Episcopum, omnibus artificiis incendere Cæsaris Caroli & Regis Gallici animos adversus Britannos & Germanos, tamen quia spero Deum hæc pericula gubernaturum esse, & defensurum tranquillitatem tuam, scripsi in alteris literis de Ecclesiarum emendatione; quam, si tempora sinent, rogo ut Regia Majestas tua suscipiat. Postea adjeci hanc epistolam, non impudentia, sed optimo studio, & amore cum Ecclesiarum, cum Regiæ Majestatis tuæ incitatus: quare per Christum obtestor Regiam Majestatem tuam ut meam libertatem boni consulat. Sæpè co-

cogito Britannicæ Ecclesiæ primordia, & cœteras laudes: hinc enim propagata est doctrina Christiana in magnam Germaniæ & Galliæ partem; imò Brittannicæ Ecclesiæ beneficium fuit, quod primum Romanæ Provinciæ liberatæ sunt persecutione. Hæc primum nobis Imperatorem pium Constantinum dedit: magna hæc gloria est vestri nominis. Nunc quoque Regia Majestas tua, primum heroica magnitudine animi ostendit se veritati patrocinaturum esse, excussit Romani Episcopi tyrannidem, quare veterem puritatem Ecclesiæ vestræ maximè optarim restitui integram. Sed animadverto istic esse quosdam, qui veteres abusus ortos aut confirmatos à Romano Episcopo adhuc mordicùs renent. Mirum est autem, Authore abusuum ejecto, ipsa tamen venena retineri, qua in re illud etiam periculi est, quod illi ipsi aut eorum imitatores aliquando revocaturi potestatem Romani Episcopi videntur, si populus hunc putarit esse Magistrum Ecclesiarum, incurrunt enim ritus in oculos & admonent de authore, ut Solonis memoria cum legibus Athenis & propagata & jucunda fuit.

Gaudebam igitur in edicto recens istic proposito de Religione, promitti publicam deliberationem & emendationem de Ecclesiarum ritibus & legibus, eaquè sententia mitigavit decreti acerbitatem: quanquam enim laudo pietatem, quod errores prohibentur, qui pugnant cum doctrina Catholicæ Ecclesiæ, quam & nos profitemur; tamen doleo ad eas causas adjectum esse articulum, in quo præcipitur omnium rituum usitatorum & cælibatus observatio. Primùm enim multi transferent edicti authoritatem ad stabiliendos abusus Missæ. Deinde in universum confirmatur pertinacia eorum, qui doctrinæ nostræ snnt iniquiores, & debilitantur studia piorum. Augustinus queritur, sua ætate jam duriorem fuisse servitutem Christianam quàm Judaicam, quantò erit asperior servitus, si superstitiosiores ineptiæ, ut reptatio ad crucem aut res similes, munientur corporum suppliciis? Gerson scribit prodesse piis, qui tamen superstitiosiùs observant ritus, ut invitentur ad eos violandos, ut usu & exemplo dediscant superstitionem.

Sed munio tranquillitatem, dices, & nolo dissimilitudine rituum excitari discordias. Ego de piis & modestis loquor, qui hu-

humanas traditiones sine tumultibus violant, non de his qui in cœtu publico seditiosè tranquillum populum aut concitant aut perturbant, Extant autem antea leges de seditiosis, nec statim violatio inepti & non necessarii ritus judicanda est seditiosa, attamen hac in re non solùm tranquillitatis, sed etiam piarum conscientiarum ratio habenda est: est enim tenera res conscientia, facilè languescit perculsa potentum judiciis.

Nec ignoro quosdam novo jam uti genere sapientiæ, excusant abusus, & leniunt eos astutè effictis interpretationibus, ut habeant speciosam causam cur eos retineant, sicut nefarios abusus excusat Author Reformationis Coloniensis, ut campanarum consecrationem & similes imposturas. Quam multa sunt in fabulosis historiis sanctorum, ut Christophori, Georgii, quæ ut poëmata continent venustissimas allegorias; nec tamen propter has cogendæ sunt Ecclesiæ ut illas poëticas personas colant.

Erat in Ægypto sacrum cum fici maturuissent, populus enim in templo edens recentes ficus, addebat canticum his verbis, dulcis veritas. Huic ritui facilè est bellam significationem addere, eumquè accommodare ad laudem verbi Dei, nec tamen propterea hic mos in Ecclesias revocandus est; atqui hanc novam sophisticam exoriri passim videmus. Sic in Italia dicuntur abusibus patrocinari, Contarenus, Sadoletus, & Polus Cardinalis; nam hi præcipuè susceperunt sibi jam has partes defendendæ Romanæ impietatis, & hanc ducunt esse magnam ingenii laudem fucos illinire vitiosis ritibus, putantque se his ineptiis Dionysii Theologiam Mysticam renovare. Hæc Sophistica, nisi prudentes gubernatores Ecclesiarum obsistent, pariet horribilem confusionem religionum, & rursus obruet veritatem. Donec flagitantur humani ritus tanquam necessarii, confirmatur prava opinio de cultu; ideo Paulus tam vehementer non modo opinionem, sed ritus ipsos Leviticos insectatus est, prævidebat enim non excuti posse superstitionem, si ritus manerent, quare gravissimè inquit, *si circumcidimini, Christus vobis nihil proderit.*

Retineatur ergo simplex & perspicua sententia de libertate in adiaphoris, & doceant Concionatores quæ scandala vitanda sint; retineantur ritus divinitùs instituti, & aliquæ humanæ traditiones,

 utri-

utiles ad bonum ordinem, ut Paulus loquitur, & fit modus ceremoniarum quæ habeant conjunctam gravitatem & elegantiam; decet autem abesse ab Ecclesiis barbariem: Ceteri inutiles & inepti ritus non duriter flagitentur.

Deinde quantùm periculi adfert conscientiis prohibitio conjugii, nec ignorat Regia Majestas tua, legem de cœlibatu perpetuo tantúm Romæ, natam esse: extant Epistolæ Episcopi Tarraconensis defendentes conjugia Presbyterorum in Hispania contra Romanum Episcopum. In Germania ante annos quingentos adhuc Sacerdotes fuerunt mariti, adeòque ægrè tulerunt sibi eripi hanc libertatem, ut in Episcopum Moguntinum recitantem edictum Romanum tumultuantes impetum fecerint, quare Episcopus fugere coactus recitationem omisit. Erat author edicti Gregorius septimus qui cuilibet tyrannorum veterum audacia & impietate par fuit. Hic cum longo & funesto bello civili nostros Germanicos Imperatores implicuisset, simul etiam Ecclesias tyrannide oppressit. Audio & in Anglia Sacerdotes fuisse maritos: denique notæ sunt historiæ, quæ exempla satis multa continent, quare miror in edicto citari epistolam ad Corinthios, cum hæc longè aliud tradat de conjugio, ac præcipiat conjugium iis qui non sunt idonei ad cælibatum.

Nec objicienda sunt Vota, quæ & expressè pugnant cum divinis mandatis, & trahunt secum multiplicem superstitionem & morum curruptionem; videmus enim qualis sit vita multorum Sacerdotum cœlibum: itaque non sine dolore aliquo legi in edicto, quod hi qui uxores duxerunt accusantur levitatis, nam hoc convicio causa nostra prægravari videtur, quæ tamen Ecclesiæ necessaria est, ut conjugii dignitas clarius conspiciatur, ut superstitiosi cultus votorum reprehendantur, ut arceantur libidines. Non enim impurus cœlibatus, sed honesta & pia conjugum consuetudo, est castitas Deo grata, sicut Christus sua voce divinam conjunctionem appellat connubium, inquiens, *Quos Deus conjunxit*, &c. Discamus Dei ordinationem in natura magnifacere, eaque reverenter uti, non fingamus ipsi novos cultus sine verbo Dei; de quo genere Paulus nominatim concionatur, cum ad Timotheum scribens duriter reprehendit eos qui prohibent nuptias.

Pro-

Propheta Daniel insignes notas addidit Antichristo duas, cum ait, „colet Deum Maosim argento & auro, & Deum patrum suo„rum non intelliget, & mulieres non curabit.„ Hæc quadrant maximè ad Romanos mores: Missarum abusus & sanctorum cultus pepererunt immensas opes & Regiam potentiam. Nova numina confecta sunt, adorantur aureæ & argenteæ statuæ, & auro atque argento ornantur. Deinde accedit lex de cœlibatu, unde magna corruptio morum orta est. Hæ notæ, cui genti, cui Regno usquam competunt nisi factioni Episcopi Romani? qui cum sit Antichristus, pio & forti animo ipsius authoritati & legibus adversandum est.

Porro feliciter cœpit Regia Majestas tua quædam emendare, sustulit aliqua idola quæ impiè colebantur: Obtestor ergo Regiam Majestatem tuam, ut reliquam impietatem Romanam etiam ex ecclesiis tollat. Exempla testantur, ingentibus victoriis ornatos esse Reges qui sustulerunt idololatriam, ac sæpe testatur Deus quantopere requirat hunc cultum, ut removeantur superstitiones, & pro hoc officio ingentia præmia pollicetur: quare Deus etiam defendet Regiam Majestatem tuam, si ut Ezechias & cœteri pii Reges impios ritus sustuleris. Audit Regia Majestas tua in Belgio & alibi immanem sævitiam exerceri adversus pios; & hæc tyrannis gignit alia multa vitia, stabilit idololatriam, delet veram invocationem, extinguit penitus veram Religionem; cumque desint boni Doctores, multi in populo fiunt palam athei. Constat enim penè Ethnicam licentiam esse in Belgio, alii superstitiosi natura, alii fanaticas opiniones Anabaptistarum amplectuntur. Talis est in belgio status, quod quidem floret pace, otio, opibus; adfluunt luxu ditiores, ita se beatos esse putant, nec interea prospiciunt quot pœnæ ipsis impendeant: Deus autem haud dubiè tantam impietatem & crudelitatem atrociter puniet. Nollem igitur in Regno tuo renovari asperitatem adversus pios, quam ita prohibebit Regia Majestas tua, si edictum leniet & Ecclesias constituere perget. Deinde, ut etiam ad posteritatem, animi abhorreant à Tyrannide Romani Episcopi, plurimum refert illas leges tolli, quæ sunt nervi authoritatis ipsius, magna verò adminicula potentiæ Romanorum Episco-

porum fuerunt, Missarum abusus, & Cœlibatus, quæ si durabunt, aliquando poterunt præbere occasionem iis qui depravatæ sunt opinionis Romanæ aulæ, ut ad eam rursus inclinationem faciant. Id caveri quantum referat, si doctrinæ puritas conservanda est, satis intelligit Regia Majestas tua. Verum adhuc est quod *Juvenalis* (Sat. 2. vers. 167.) de Romana aula scripsit, *hic fiunt homines*, *&c.* imbuti eo loci malis artibus, contumaciam singularem adversus Reges inde referunt, ut multa exempla testantur.

Hanc epistolam loquaciorem ac liberiorem ut Regia Majestas tua boni consulat oro. Precor autem Deum & Dominum nostrum Jesum Christum, ut Regiam Majestatem tuam servet & defendat, ac gubernet ad salutem Ecclesiæ. Bene & feliciter valeat Regia Majestas tua. Ex Francofordia.

Cal. Aprilis 1539.

B.

INclyte & serenissime Rex, Clementer acceperunt aliquot *Romani* Imperatores *Adrianus Pius*, & deinde fratres *Verus* & *Marcus*, Apologias *Christianorum*; quæ quidem tantum apud illos moderatos Principes valuerunt, ut eorum iracundiam adversus *Christianos* lenirent, & atrocium delictorum mitigationem impetrarent. Itaque postquam Edictum istic contra piam Doctrinam & Ecclesiæ necessariam, quam profitemur, editum est, rogo ut R. M. T. benignè hanc nostram querelam & legat & consideret, præsertim cum non solùm nostra causa, sed multo magis propter publicam Ecclesiæ salutem, hoc ad te scriptum instituerim. Cum enim illi Ethnici Principes defensiones nostrorum & admiserint, & approbaverint, quanto magis Regi *Christianæ* professionis & versato in studiis sacrarum literarum, decorum est, & audire piorum in Ecclesia querelas & admonitiones? Scribo autem eò ad te libentius, quia antea cum singulari benevolentiæ significatione meas literas accepisti. Et in hac causa spem aliquam mihi facit, Te non gravatim hæc lecturum esse, quod phrasis ostendit, Episcopos haud dubiè autores esse articulorum

istic

iſtic editorum, non Te. Etſi, ut ſæpè accidit laudatiſſimis Principibus, Sophiſtica ſua perfecerunt, ut tua ſuffragatio acçederet: ut *Darium* Regem ſapientem & juſtum, impulerunt tamen Satrapæ, ut *Danielem* Leonibus objiceret. Nunquam autem indecorum fuit bonis Principibus, corrigere injuſtam aſperitatem, (ut dicitur) habere δευτέρας φροντίδας, hoc eſt, ſecundas deliberationes. Sapientiſſima civitas *Attica* decretum fecerat, recuperatâ *Mitylene*, quæ defecerat, ut civibus omnibus interfectis, funditùs urbs deleretur. Navis miſſa eſt, quæ ad exercitum hæc mandata adferebat. Poſtridie iterum relato negotio ad eosdem Judices, fit contrarium decretum, nè pœna vagaretur per omnes, ſed ut pauci autores deſertionis plecterentur, & civitas ſervaretur. Miſſa eſt igitur altera navis, quæ properare juſſa eſt, ut priorem anteverteret: ſicut accidit. Nec puduit civitatem tunc quidem latè regnantem, publicè corrigere prius decretum. Multa hujus generis exempla extant, quorum pleraque nota eſſe Tibi non dubito. Ac de Eccleſia ſæpiſſimè Principes correxerunt edicta: ut *Nabuchodonoſor*, *Darius*; *Aſſueri* nomine editum fuerat decretum de interficiendis *Judæis*, id poſtea retractatum eſt. Ita ſua edicta *Adrianus* & *Antonini* correxerunt. Quanquam igitur extat edictum in *Anglia* factum, quod ſupplicia minatur aliena à conſuetudine veræ Eccleſiæ, aliena à Canonibus: tamen exiſtimavi adhuc licere nobis deprecari hanc aſperitatem. Eaque in re non tantum periculo eorum qui nobiſcum ſentiunt moveor, ſed doleo te alienæ ſævitiæ atque impietatis miniſtrum fieri. Doleo etiam *Chriſti* doctrinam arceri, ſtabiliri vitioſos ritus, confirmari libidines. Audio viros excellenti doctrina & pietate præditos, *Latimerum*, *Saxtonum*, *Cranmerum*, & alios teneri in cuſtodiis: quibus opto animum ac robur dignum *Chriſtianis*. Etſi autem ipſis quidem nihil melius accidere, aut glorioſius poteſt, quàm ut in tam manifeſtæ veritatis confeſſione mortem oppetant: tamen nollem R. M. T. ſanguine talium virorum reſpergi, nollem hæc Eccleſiæ veſtræ lumina extingui, nollem impietati & virulentis ac Phariſaicis odiis inimicorum *Chriſti* morem geri, nollem præberi voluptatem *Antichriſto*, qui gaudet in ſinum, Te jam adverſus nos pro ipſo arma gerere: ac ſperat Epiſcoporum

 ope-

opera facilè possessionem, ex qua honestis & piis consiliis deturbatus est, aliquando recuperaturum esse. Videt Episcopos ad tempus morem gerere voluntati tuæ, sed æterno & perpetuo fœdere cum *Romano* Pontifice conjunctos esse. Nôrunt has artes *Romani* Pontifices. Ex multis sævissimis tempestatibus eluctati sunt, ante hæc secula, contando. Meminerunt vim esse maximam temporum: cogitant illud,

> *Multa dies, variusque labor mortalibus ævi*
> *Rettulit in melius.* ——

Multi boni & Docti viri in *Germania* spem conceperunt, fore ut autoritas Tua etiam cæteros Reges mutaret, ut tandem indignam crudelitatem Principes *Germaniæ* deponerent, & de emendandis erroribus deliberarent. Hujus sanctissimi & pulcherrimi consilii ducem atque autorem te fore statuebant. Sed nunc præjudicio tuo nos non leve vulnus accepimus. Confirmatur cæterorum Regum iracundia, augetur pertinacia impiorum, stabiliuntur veteres errores ingentes. Sed illud haud dubiè contendunt Episcopi, se non errores, sed veras sententias & jus divinum tueri. Et quanquam non ignorant, se re ipsa cum jure divino & Apostolica Ecclesia pugnare, tamen homines astuti possunt invenire bellas interpretationes, & ut vocat *Euripides*, σοφὰ φάρμακα, quæ in speciem excusare errores & abusus videntur. Hæc sophistica nunc non tantum in *Anglia* habet admirationem sapientiæ, sed *Romæ* dominatur: ubi Cardinalis *Contarenus*, *Sadoletus*, *Polus*, novis fucis tingunt abusus. In *Germania* etiam multorum nobilium animos hæc sophistica depravat. Itaque nil miror, his præstigiis istic moveri plurimos. Et quanquam tibi nec eruditio nec judicium deest, tamen etiam sapientes speciosis persuasionibus interdum à veritate abducuntur. Laudatur illud *Simonidis*, qui summis viris suæ ætatis, *Themistocli* & aliis, familiaris fuit: Opinio sæpè vim adfert veritati. Sæpè magis speciosa est falsa opinio, quam veritas. Idque maximè in religionis controversiis accidit, ubi Diabolus se in angelum lucis transformat, ornat, quibus potest fucis, falsas opiniones. Quam concinna est *Samosateni* cavillatio de dicto *Johannis*, *In principio erat Verbum?* Et tamen plena

plena est impietatis. Sed omitto aliena exempla. In ipso decreto, quam multa sophisticè & insidiosè posita sunt? *Confessio* (inquit articulus) *necessaria est, & retinenda.* Cur non disertè dicit, *necessaria est jure divino enumeratio delictorum?* Sciebant Episcopi, hanc sententiam falsam esse: ideo generaliter verba posita sunt, ut offundatur caligo plebi. Cum audit *necessariam esse confessionem*, intelligit *enumerationem jure divino necessariam esse.* Similes præstigiæ sunt in articulo de privatis Missis. Etsi initium planè falsum est, *Necesse est retinere privatas missas.* Quis sic sensit annis amplius quadringentis post Apostolos, cum nullæ essent privatæ missæ? Sed postea sequuntur sophismata, *Ut populus per eas recipiat divinas consolationes, & beneficia.* Cur non addunt, quas consolationes, quæ beneficia? Non nominant Episcopi applicationem & meritum; quia sciunt defendi non posse. Ludunt verbis, ut elabi possint, si applicatio vituperetur. Et tamen à populo applicationem intelligi volunt. Volunt confirmari persuasionem idololatricam, mereri hoc sacrificium aliis remissionem culpæ, pœnæ, levationem omnium calamitatum, denique lucra in negotiis, & quicquid affinxit hominum solicitudo. Similis est Sophistica, cum dicunt, *conjugium sacerdotum pugnare cum jure divino.* Non ignorant *Pauli locum: Oportet Episcopum esse unius uxoris virum.* Quare sciunt, sacerdotibus concedi conjugium jure divino. Sed quia nunc ajunt accessisse votum, ludunt verbis, non dicunt *voto impediri conjugium*, sed simpliciter ponunt articulum, *pugnare conjugium sacerdotum cum jure divino.* Deinde quantum impudentiæ & Phalarismi addunt, cum jubent dissolvi conjugia: cum jubent interfici eos, qui illa conjugia nolint dissolvi, cùm tamen votum sacerdotum, etiam si quod esset, aut si valeret, tantum eatenus eos obligaret, nè in ministerio manerent, si ducerent uxores. Hanc esse Synodorum & Canonum sententiam, manifestum est. O sceleratos Episcopos! ô impudentem *Wintoniensem*, qui his fucis arbitratur se oculos *Christi* & omnium piorum judicia toto orbe terrarum fallere!

Hæc recitavi, ut deprehensa Sophistica, judices de voluntate & consilio Episcoporum. Nam si candidi & ex animo veritatem quærerent, non his fucis & imposturis uterentur. Est autem cùm in

in cæteris negotiis illiberalis, & digna odio sophistica, tùm verò maximè fugienda in religionibus, in quibus impietas est summa, corrumpere & contaminare cœlestia dicta. Itaque ab hoc artificio Diabolus nomen habet, qui cavillationibus & præstigiis excutit hominibus verbum Dei. Cur Episcobi non ingenuè fatentur se doctrinæ & cultuum emendationem nullam permissuros, quia sit labefactatura ipsorum dignitatem, opes & voluptates? Cur cæteri quos habent suffragantes non apertè dicunt, se retinere præsentem formam Ecclesiæ propter utilitatem, tranquillitatem & splendorem. Hæc fateri, esset ingenuitas. Nunc, dum simulant studium veritatis & pietatis, effingunt inepta sophismata, & tamen voluntatem produnt. Nec sophismata illa tegunt errores, sunt enim falsi & impii Articuli in illo edicto, quantumvis speciosè propositi. Quare optandum erat Episcopo, meminisse cœlestem comminationem apud *Esaiam*, *Væ vobis qui leges iniquas conditis. Quid facietis in die Visitationis, & calamitatis venturæ*, *&c. Væ qui dicitis malum bonum &c.*

Accedo igitur ad res ipsas. Negari non potest, diuturnas & horribiles tenebras in Ecclesia fuisse. Traditiones humanæ non tantùm fuerunt carnificina piarum mentium, sed, quod est indignius, fuerunt cultus multipliciter vitiosi. Erant vota, donaria templorum, vestitus, ciborum delectus, battologiæ precum, indulgentiæ, honos statuarum, colebantur sancti manifesta idololatria, ignorabantur veri cultus Dei, & vera opera. Denique magna similitudo erat Ethnicarum religionum. Et *Romæ* adhuc est. Erat ignota doctrina vera De pœnitentia, De remissione peccatorum, quæ fide in *Christum* contingit, De justitia fidei, De discrimine Legis & Euangelii, De usu Sacramentorum. Claves translatæ erant ad Tyrannidem Pontificiam constituendam, longè anteferebantur politicis officiis ceremoniæ humanæ. Ad hos errores accedebat vita contaminata libidinibus propter legem de cœlibatu. Ex his tenebris Deus nonnihil evolvit Ecclesiam repurgata doctrina: fatendum est enim non humanâ diligentiâ deprehensos esse tam inveteratos errores, sed Dei donum est hæc Euangelii lux, quæ Ecclesiis rursus ostensa est. Nam Spiritus sanctus vaticinatur postremis temporibus certamina vehe-

vehementiora piis fore cum *Antichristo*, vaticinatur & *Antichristum* stipatum satellitio ingenti Episcoporum, hypocritarum, Principum, adversaturum esse veritati, interfecturum pios.

Hæc fieri nunc res loquitur ipsa. *Romani* Episcopi tyrannis partim invexit errores in Ecclesiam, partim confirmavit, & nunc tuetur viribus, ut prædixit *Daniel.* Gaudebamus autem te ab eo sejunctum esse, ac sperabamus fore, ut Anglica Ecclesia reflorelceret: Sed Episcopi tui non sunt avulsi á *Romano Antichristo*, illius Idololatriam, errores, vitia, tuentur. Nam articuli nunc editi astutè delecti sunt: confirmant omnes humanas traditiones cum stabiliunt præcipuè Vota, Cœlibatum & Confessionem. Muniunt non solùm autoritatem, sed omnes errores, cum retinent privatam Missam. Ita arte caverunt, nulla ut emendatio institui possit, dignitas & opes in tuto sint. Hoc egisse Episcopos res ostendit ipsa. Quis autem non doleat sic opprimi gloriam *Christi*? Etenim, ut dixi, non tantum de his articulis, quorum ibi fit mentio, agitur: opprimuntur Articuli cæteri quoque puriotis doctrinæ omnes: Si cultus humani necessarii & retinendi sunt, *Cur*, inquit *Christus*, *Frustra colunt me mandatis hominum?* Cur toties detestatur *Paulus* humanas traditiones?

Non est leve peccatum, instituere cultus sine mandato Dei, aut tales cultus defendere. Hanc audaciam Deus horribiliter detestatur, qui vult agnosci in verbo suo, non vult fingi religiones humano arbitrio, alioqui omnes omnium gentium religiones essent probandæ. Non innitaris, inquit, prudentiæ tuæ, sed *Christum* misit, hunc jubet audire, non hominum astutorum inventa, qui religiones attemperant suis utilitatibus.

Porrò, privatæ Missæ, Vota, Cœlibatus, Enumeratio delictorum in Confessione, ut constat, sunt cultus ab hominibus instituti. Etsi enim Cœna Domini à *Christo* instituta est, tamen privata Missa est impia prophanatio Cœnæ Domini. Nam in Canone quantum est sceleris, qui inquit, hic offerri *Christum*, & hoc opus sacrificium esse, quod redimat vivos & mortuos? Hæc non sunt instituta à *Christo*, imò multipliciter pugnant cum Evangelio, non vult se offerri *Christus* à sacrificulis, nec opus illud offerentis aut sumentis sacrificium pro aliis ullo modo esse

 po-

poteſt. Idololalatia manifeſta eſt, & opprimit doctrinam de Fide, & de vero uſu Sacramentorum: fide in *Chriſtum* juſtificamur, non opere ſacrificuli; & Cœna inſtituta eſt ut miniſter aliis porrigat, quo agentes pœnitentiam admoneantur, ut credant verè ad ſe pertinere promiſſiones Euangelii, cum hîc proponâtur teſtimonium nos fieri membra *Chriſti*, & ablutos eſſe ſanguine *Chriſti*.

Ab hoc uſu, qui inſtitutus eſt in Euangelio, & obſervatus in veteri Eccleſia annis amplius trecentis, non licet diſcedere. Impietas eſt enim ttransferre ritum divinum ad alios uſus, juxta ſecundum præceptum Decalogi. Quare Miſſæ privatæ, cum multis modis oblatione, ſacrificio, applicatione, denique aliis modis longiſſimè diſceſſerint ab inſtituto *Chriſti*, non retinendæ, ſed abolendæ ſunt. *Fugite*, inquit *Paulus Idololatriam*; Eſt autem multiplex ıdololatria in privatis Miſſis, quam quidem tueri Pontifices non eſt mirum, quia poſtremis temporibus ait ſcriptura, inſignem idololatriam regnaturam eſſe in loco Eccleſiæ. Sicut *Chriſtus* ſignificat, inquiens: *Cum videbitis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt à Daniele Propheta, ſtantem in loco ſancto, qui legit intelligat.* Et *Daniel. cap.* 11. *Et Deum Maoſim in loco ſuo venerabitur, & Deum quem neſcierunt patres ejus, colet, auro, argento, & lapidibus precioſis:* uterque locus de Miſſa concionatur. Hunc cultum, hanc tetram prophanationem Sacramentorum abominatur Deus.

Quàm multa ſunt enim manifeſta flagitia in hoc ritu, confertur ad quæſtum, coguntur indigni ſumere, vel ſi nolint, applicant pro vivis & mortuis, promittunt aliis fauſtam nevigationem, aliis alia. Hæc ſunt apertè flagitia, ſed alia non minùs reprehendenda ſunt, quæ imperiti non perinde cernunt. Non ſunt humano arbitrio inſtituendi cultus ſine mandato Dei. Quare errant homines, cum offerunt ſine mandato Dei, cum ex hoc opere faciunt ſacrificium, imaginantur, privatas Miſſas faciendas eſſe, quia hoc ritu Deus coli velit. Et videmus auro & argento, apparatu, ſumptu ingenti Miſſas emi, Sacramentum circumferri adorandum in auro & argento, cùm in hunc uſum non ſit inſtitutum Sacramentum.

Qua-

Quare cùm mandatum Dei jubeat fugere idololatriam; non erunt retinendæ privatæ Missæ; Ac miror, cur dixerint, *necessariò* esse retinendas, cum constet olim nullas fuisse. An deerant puriori Ecclesiæ annis trecentis post Apostolos, res necessariæ in cultu Dei? Quid potest dici absurdius?

Videmus acerrimis studiis defendi privatas Missas, quòd sit magis ab aliis, quia quæstui metuunt, ab aliis, quia inserviunt vulgi affectibus, quod ægrè sibi eripi hoc præsidium, ut existimat, patitur, quàm verâ aliquâ ratione; sed tamen firma & perspicua causa est, cur abrogari debeant. Primùm enim applicatio haud dubiè est impia, non meretur alteri gratiam opus sacrificuli, sed suâ quisque fide justus est. Nec vult Deus confidere quenquam ceremoniâ ullâ; sed tantum *Christi* beneficio. Et certè applicatio pro mortuis plena est erroris. Ac frustrà hîc finguntur sophismata ad excusandam applicationem. Nemo ex universo populo aliter sentit, quàm hoc opus prodesse universæ Ecclesiæ. Ipse etiam canon Missæ hoc profitetur. Quid ludunt verbis quidam astuti, qui negant se applicare Missas, cúm sciant suo facto confirmari populi errorem, etiamsi ipsi aliter sentiant. Quanquam quotus quisque aliter sentit?

Absit simulatio à divinis ritibus, utamur eis, ut docent sacræ literæ, & ut mos fuit primæ Ecclesiæ aliquot seculis. Cur hominum audacia discessit á veteri more, cur nunc defenditur aliorum erratum, qui mutaverunt *Christi* institutum?

Jam etiamsi fingat aliquis, se non applicare, tamen ita ceremoniam seorsum facit, ut existimet hanc oblationem esse cultum quem Deus requirat, id quoque improbandum est. Quia non sunt instituendi cultus humano arbitrio sine mandato Dei.

Quare obsecro per gloriam *Christi*, ut de Missa non defendas articulum decreti illius, sed finas rem diligentiùs à piis & doctis deliberari? Nostra habent evidens & firmum testimonium primæ Ecclesiæ, quod non dubito omnium posteriorum judiciis opponere, qui veterem doctrinam, veteres ritus multis erroribus contaminârunt.

Reliqui articuli non habent opus longâ disputatione: Vota impia, fictitia, impossibilia non sunt servanda.

Non dubium eſt omnium de Votis hanc eſſe perſuaſionem: hæc opera ab hominibus inſtituta, eſſe cultus Dei. Sic ſentiunt etiam qui modeſtiſſimè loquuntur; Alii plus errorum addunt, Hæc opera eſſe perfectiones, mereri vitam æternam. Porrò has opiniones omnes ſæpe taxant divinæ literæ. *Chriſtus* inquit: *Fruſtra colunt me mandatis hominum.* Et *Paulus* ait, *Has ipſas obſervationes eſſe doctrinam Dæmoniorum*, quia tribuunt humanis ritibus falſum honorem, quòd ſint cultus, obſcurant fidem, & veros cultus. Item ad *Coloſſ.* ait: *Nemo vos decipiat ſimulatâ humilitate*, &c. Quare decreta facitis. Ergò hæc vitia humanarum traditionum ſunt reipſâ impii cultus.

Accedunt deinde multa alia vitia. Totum genus vitæ monaſticæ, quantum habet ſuperſtitionum, prophanationes Miſſarum, invocationes Sanctorum, veſtitus, ciborum delectus, ſuperſtitioſas preces ſine modo? Hæ cauſæ ſingulæ ſufficiunt quare Vota ſint irrita. Quid? quòd maxima pars hominum invitatur ad hoc genus vitæ, propter culinas, poſtea prætexitur Voti religio.

Præterea Votum Cœlibatus non omnibus eſt poſſibile, ut *Chriſtus* ipſe inquit: *Non omnes capiunt hoc.* Reſcindenda autem ſunt vota, quæ ſine peccato præſtari non poſſunt; ſed hæc ſatis alibi à nobis explicata ſunt.

Valde autem miratus ſum, Votum Sacerdotum in *Anglico* decreto etiam arctiùs adſtringi, quàm Votum Monachorum, cùm Canones ipſi tantùm eatenus velint obligatum eſſe presbyterum, ſi ſit in miniſterio; planéque cohorrui, legens hunc articulum, *prohibet matrimonia, & contracta diſſolvit, & addit pœnam capitalem.* Etſi autem alicubi interfecti ſunt ſacerdotes pii propter conjugium, tamen legem hanc ſcribere nemo adhuc auſus eſt. Videbant enim plerique omnes ſanos & moderatos hanc crudelitatem deteſtaturos eſſe, verebantur etiam judicia poſteritatis. Quis credat in Eccleſia, in qua lenitas præcipuè erga pios eſſe debet, tantam exiſtere poſſe ſævitiam, ut capitales pœnæ conſtituantur in homines pios propter Conjugium.

At violant Votum. Id enim opinor allaturos Epiſcopos. Primúm, id Votum, ut dixi, irritum eſt, cum ſit falſus cultus, & ſit impoſſibile. Deinde, etiamſi valeret, tamen non obligaret di-

ſcedentes à miniſterio. Poſtremò, ſi hîc vellent Epiſcopi conſultum conſcientiis, deinde ordinarent presbyteros ſine votis, ſicut conſtat ex veteribus Canonibus, olim multos ſine voto ordinatos eſſe, & hos cùm poſtea ducerent uxores, manſiſſe in miniſterio, ut teſtatur *Cap. Diaconi diſt.* 28.

Profectò, quid querar, dubito. Non in hoc articulo inſcitiam accuſare poſſum. Nemo ignorat mandatum Dei, *Propter fornicationem habeat unusquisque uxorem ſuam.*. Nemo non videt qualis ſit vita cœlibum, bonorum querelæ notæ ſunt, malorum turpitudo manifesta eſt. Sed fortaſſis Epiſcòpi iſthic Epicureas opiniones habent, judicant Deum non offendi libidinibus, quod ſi ſentiunt, difficilem nos quidem cauſam agimus apud tales Judices.

Scio cœlibatum aptiorem eſſe ad ſplendorem Epiſcoporum & collegiorum conſervandum, & ad opes tuendas. Hanc, opinor, quibusdam eſſe cauſam, cur tantopere abhorreant à conjugio Sacerdotum. Sed ô miſeram Eccleſiam, ſi ſervire leges non veritati, non voluntati Dei, ſed injuſtis utilitatibus coguntur! Errant, qui putant licere ſibi leges condere pugnantes cum mandato Dei, cum jure naturæ, modò ſint utiles ad opes tuendas.

Ac profectò ex animo doleo, & tuam vicem, Rex inclyte, & vicem Eccleſiæ *Chriſti*. Oſtendis te *Romani* Epiſcopi tyrannidem improbare, & verè eum vocas *Antichriſtum*; interea eas leges *Romani Antichriſti*, quæ ſunt nervi potentiæ ipſius, defendis, Miſſas privatas, Cœlibatum, & cæteras ſuperſtitiones. Minaris atrociſſima ſupplicia viris bonis & membris *Chriſti*; Opprimis illuceſcentem in Eccleſiis tuis veritatem Euangelii. Hoc non eſt *Antichriſtum* tollere, ſed confirmare.

Obteſtor igitur te propter Dominum noſtrum *Jeſum Chriſtum*, nè conſcientiam tuam horum articulorum defenſione polluas, quos Epiſcopi de privatis Miſſis, de Confeſſione, de Votis, de Cœlibatu Sacerdotum, de Prohibitione integri Sacramenti, ediderunt. Non eſt leve peccatum, idololatriam, errores, crudelitatem, libidines *Antichriſti* ſtabilire. Si nunc haberet *Romanus* Epiſcopus Synodum, quos alios articulos præcipuos conderet, & orbi terrarum imponeret, niſi illos, quos recenſent Epiſcopi tui.

Agnoſce quæſo Diaboli inſidias, qui quidem, inprimis gubernatores adoriri, ac tentare ſolet. Et cum ſit hoſtis *Chriſti* ab initio mundi, præcipuè hoc molitur omni vafricie, ut *Chriſtum* contumeliâ afficiat ſparſis impiis opinionibus, & excitatâ idololatriâ. Deinde ut injuſtis cædibus & libidinibus polluatur humanum genus. Ad has res abutitur hypocritarum ingeniis & potentum viribus, ut hiſtoriæ omnium temporum oſtendunt, Magna imperia ſæviiſſe in Eccleſiam.

Sed tamen aliquos Principes Deus ab illo Gigantum exercitu traduxit ad Eccleſiam, & agnoſcere veram doctrinam & veros cultus voluit, ut *Abraham* erudiit *Abimelech*, *Joſeph Ægyptios* Reges. Poſtea *David*, *Joſaphat*, *Ezechias*, *Joſias* excelluerunt pietate. *Daniel* flexit ad agnitionem Dei Reges *Chaldæos* & *Perſicos*. Dedit & *Britannia* pium Principem orbi terrarum *Conſtantinum*. In hoc te cœtu potiùs optarim eſſe, quàm inter hoſtes *Chriſti*, contaminatos idololatria, & reſperſos ſanguine piorum, de quibus Deus pœnas ſumet, ut ſæpè concionatur, & oſtendunt multa exempla.

Rurſus igitur te propter Dominum noſtrum *Jeſum Chriſtum* obteſtor, ut decretum Epiſcoporum lenias & emendes. Eaque in re gloriæ *Chriſti* ſervias, & conſulas tuæ, & Eccleſiarum tuarum ſaluti. Moveare votis multorum piorum toto orbe terrarum, qui optant ut aliqui Reges conferant autoritatem ſuam ad veram Eccleſiæ emendationem, & ad tollendos impios cultus, ac propagandum Euangelium. Reſpicias & illos pios viros vinctos propter Euangelium, qui ſunt vera *Chriſti* membra.

Et ſi non mutabitur decretum, ſine fine graſſabitur in Eccleſia ſævitia Epiſcoporum. Hos enim habet Diabolus odii ſui adverſus *Chriſtum* & furoris adminiſtros, hos impellit ad *Chriſti* membra trucidanda. Horum impias & crudeles ſententias, & ſophiſticas cavillationes, noſtræ veræ & juſtiſſimæ deprecationi, ut non anteferas, omnes pii te orant & obteſtantur. Quod ſi impetrabunt, haud dubiè Deus ingentia præmia tibi pro pietate reddet, & piorum literis, & voce, virtus tua celebrabitur. *Chriſtus* enim judicaturus eſt benè & malè meritos de Eccleſia. Et dum vivent literæ, extabit ad poſteritatem memoria rerum

tan-

tantarum. Et cum *Christi* gloriæ serviamus, & Ecclesiæ nostræ sint *Christi* Ecclesiæ, non deerunt qui piæ causæ patrocinari, qui benè meritos debita laude ornare, & crudelitatem vituperare poterunt. Circumit *Christus* esuriens, sitiens, nudus, vinctus, conquerens de Pontificum rabie, de multorum Regum injustissima sævitia, petens nè lacerentur corporis sui membra, sed ut defendantur veræ Ecclesiæ, ornetur Euangelium. Hunc agnoscere, excipere, fovere pii Regis est officium, & cultus Deo gratissimus. Bene vale, primo Novembris, Anno M. D. XXXIX.

Num. XXXVIII.

Thomæ CRANMERI Archiep. Cant. Epistola ad Henricum Regem (a) unà cum HENRICI responsione (b) A. 1545. De abolendis quibusdam cerimoniis superstitiosis.

A.

NOn gravabitur Celsitudo tua moneri; Quod cum Londini moras trahere non possem, quia statueram postridie discessus mei a Majestate tua, *Roffæ* esse, ut sequenti die mane Delegatos omnes *Cantii*, possem *Durolevi* (*Sittinghourn*) reperire; Quapropter eadem nocte qua *Hamptoni-Curia Lambethum* reverti, *Worcestriæ* Episcopum illico accersivi, totam Majestatis tuæ Voluntatem ei patefeci, in iis quæ fieri Majestas tua mihi præscripserat.

(a) vid. BURNET. Hist. Ref. Angl. in Documentis ad Tomum II. No. LXI. fol. 139. 140.

(b) Equidem non verè hanc Responsionem Regis, Cranmerum accepisse reor, sed eam tamen ad Craumerum mittere statuisse Regem asserit l. c. BURNETUS.

rat. Et primo cum Majeſtatis tuæ voluntas eſſet, habere Virorum nomina quos Celſitudo tua olim conſtituerat ad Leges Eccleſiaſticas pro Clementiæ tuæ Regno condendas, *Worceſtriæ* Epiſcopus mihi promiſit absque ulla mora eorum nomina exquirere, librumque ab ipſis adornatum, Nominaque ac Librum ad tuam Majeſtatem deferre; Quæ eum jam feciſſe confido.

Quod autem ſpectat ad Nolarum pulſationem nocte Feſti *Omnium Sanctorum*, Imaginumque in Quadrageſima erectionem, & inclinationem ante Crucem, neceſſarium cenſebat, Epiſtolam qua Majeſtatis tuæ hac in re voluntas declarabatur, a Clementia tua ad duos Archi-Epiſcopos mitti; a Nobis vero eandem ad omnes cæteros Clementiæ tuæ Regni Præſules circummitti. Si autem Majeſtati tuæ id facere arrideat; ad majorem rei accelerationem, Epiſtolæ ſumma capita delineavi in quibus Majeſtas tua pro libitu mutationes facere poterit. Nihilominus, ut opinor, ſi ea immutentur aut tollantur, proponenda ſimul eſſet Doctrina quæ Abrogationis aut Alterationis Cauſam ediſſereret, ad ſatisfaciendum Populi Conſcientiæ. Si enim Crucis Cultus, nimirum inclinatio & genufluxio ante ipſam tollantur, ignara Plebs Chriſti Cultum aboleri putabit, niſi bona quædam Doctrina ſimul exhibeatur ad ipſam ſufficienter hac in re erudiendam. Quod ſi Majeſtas tua *Worceſtriæ* & *Ciceſtriæ* Epiſcopis, aliiſque Clementiæ tuæ Sacellanis, id præſtare mandaverit, Plebs tuæ Majeſtatis lubens obſequetur, grates Majeſtati tuæ agendo quod Veritas ſibi innotuerit, quibus alias gravate ac murmurando pareret. Omnibuſque aliis Gentibus ſatisfactio accedet, cum viderint Majeſtatem tuam nihil agere niſi e Divini Verbi Authoritate, & ad Honoris Dei promotionem, non vero diminutionem. Cæterum Majeſtati tuæ ab Omnipotenti Deo Incolumitatem & Regni diuturnitatem precor. Ex Villa mea *Beckisbouriniæ*. *Januarii* 24. Anni 1545.

Clementiæ tuæ addictiſſimus
Sacellanus & Orator.

Poſt-

Postscriptum.

MAjestatem tuam rogo ut mihi liceat erga ipsam supplicem me gerere pro Cathedrali *Cantorbiæ* Ecclesia; quæ magnæ suæ inquietudini, gravique dispendio agros suos quotidie alienat, idque, ut ajunt, Majestatis tuæ jussu. Verum certe scio, alios, non autem Majestatem tuam ejus Agros acquisivisse. Quapropter hoc unum peto ut cum Majestati tuæ aliquem ex ejus Agris habere libuerit, aliqua Epistola exhibeatur qua de Majestatis tuæ voluntate constet, absque qua juretur nullam Alienationem factum iri, Eaque Alienatio non fiat ad aliorum Hominum libitum, sed unice ad Majestatis tuæ usum. Nunc enim, quisquis aliquem ex ejus Agris habere cupit, Petitionem exhibet ad eum in Majestatis tuæ manus tradendum; non ut a Majestate tua retineatur, sed ut Majestatis tuæ venditione vel donatione, a Clementiæ tuæ Cathedrali Ecclesia ad se illum transferant.

T. Cantuarien.

B.

QUandoquidem & nomine tuo, & nomine Episcoporum Worcestriæ & Cicestriæ aliorumque Sacellanorum nostrorum eruditorumque virorum, quibus mandaveramus perlegere Librum quendam Cultus, a nobis tibi traditum, Nos hortatus es, ut Vigilia & Nolarum pulsatio tota nocte *Festi omnium Sanctorum*, Imaginumque in templis e rectio *Quadragesimæ* tempore, veli Crucem operientis sublationem, *Palmarum* Die Dominica, cum genuflexione ante Crucem, eodem tempore abolerentur & tollerentur; ob superstitionem aliasque eorum enormitates & abusus. Primo, Cum omnes Dominæ nostræ ac Apostolorum Vigiliæ, omnesque reliquæ, quarum Ecclesiæ initio pius erat usus, tamen ob multiplices superstitiones & abusus, qui

 postea

postea per illas invaluerunt, jam a multis retro annis per totum christianum orbem abolitæ fuerint, nihilque præter merum, in *Calendario*, Vigiliæ nomen remanserit, re penitus abrogata & sublata, præter unicam noctem *Omnium Sanctorum*, quæ observatur Vigilia, plebs vigilat, pulsanturque Campanæ per totam noctem;

Cum, inquam, Vigilia illa ut cæteræ in abusum abiverit, Volumus, ut, quemadmodum petis, Vigilia præfata aboleatur, ut cæteræ fuerunt abolitæ, neque vigilet plebs, neque pulsentur Nolæ, nisi ut vulgo usus obtinet nocte aliorum Festorum.

Libet etiam & placet Nobis ut Imagines in Templis non tegantur, ut temporibus præteritis consuetum erat; neque sit ullum super Crucem velum, nec ad ipsam genua flectantur *Palmarum* Dominica, nec alio ullo tempore.

Quandoquidem vero Reptationis ante Crucem nullam mentionem facis, licet quovis aliorum gravior sit Abusus; tunc enim dicitis, *Crucem tuam adoramus Domine*; & *Ordinale* dicit, *Procedant Clerici ad Crucem adorandam nudis pedibus*; Et postea sequitur in eodem Ordinali, *Ponatur Crux ante aliquod Altare ubi a Populo adoretur*; Quod juxta proprium tuum librum cui Titulus, *Doctrina Necessaria*, Mandato secundo repugnat: Ideo Voluntas nostra est, Ut *præfata inclinatio ad Crucem* deinceps cesset & aboleatur cum cæteris abusibus prius recensitis.

Hoc autem volumus stricteque jubemus te significare universis Provinciæ tuæ *Cantuariensis* Præsulibus & Episcopis, iisdem Nomine nostro præscribens ut quisque in sua Diœcesi hujus executioni congruæ prospiciat.

Num.

Num. XXXIX.

Catharinæ PARRIÆ Reginæ, Ep. (a) ad *Mariam* Principem,

de Paraphrasi Erasmiana in Evang. Johannis &c.

CUM multa ſint, Nobiliſſima ac Amantiſſima Domina, quæ me facile invitant hoc Tempore ad ſcribendum, nihil tamen perinde me movet atque Cura Valetudinis tuæ, quam, ut ſpero, eſſe optimam, ita de eadem certiorem fieri, magnopere cupio. Quare mitto hunc Nuntium, quem judico fore tibi gratiſſimum, tum propter Artem illam Muſicæ, qua te ſimul ac me oppidò oblectari non ignoro; tum quod a me profectus tibi certiſſimè referre poſſit de omni ſtatu ac Valetudine meâ. Atque ſanè in animo fuit ante hunc diem iter ad Te feciſſe, téque coram ſalutâſſe; verum Voluntati meæ non omnia reſponderunt. Nunc ſpero hac Hyeme, idque propediem, propius nos eſſe congreſſuras. Quo ſane mihi nihil erit jucundum magis, aut magis volupe.

Cum autem, ut accepi, ſumma jam manus impoſita ſit per *Maletum* Operi *Eraſmico* in *Johannem* (quod ad Tralationem ſpectat) neque quicquam nunc reſtet, niſi ut juſta quædam Vigilantia ac Cura adhibeatur, in eodem corrigendo, Te obſecro, ut Opus hoc pulcherrimum atque utiliſſimum, jam emendatum, per *Maletum* aut aliquem Tuorum, ad me tranſmitti cures; quo ſuo Tempore prelo dari poſſit: Atque porro ſignifices, an ſub tuo Nomine in lucem feliciſſimè exire velis, an potius incerto Autore. Cui Operæ mea ſane opinione injuriam facere videberis, ſi tui Nominis Autoritate etiam poſteris commendatum iri recuſaveris: in quo accuratiſſimè tranferendo tantos Labores

(a) Hanc Epiſtolam acceptam ferimus doctiſſimo STRYPIO, qui eam Documentis ad Volumen II. Hiſtorical Memorials &c. concern Religion, and the Reformation of it under Reign of Eduard VI. Lit. G. fol. 32. 33. inſeruit.

summo Reip. Bono suscepisti, pleraque (ut satis notum est) suscepturus, si vacatio corporis permisisset. Cum ergo in hac re abs te laboriose admodum sudatum fuisse nemo non intelligat, cur, quam omnes tibi merito deferunt, laudem rejicias, non video. Attamen, ego hanc rem omnem ita relinquo Prudentiæ tuæ, ut quamcunque velis rationem inire, eam ego maximè approbandam censuero.

Pro Crumena quam ad me dono misisti, ingentes tibi gratias ago. Deum Opt. Max. precor, ut vera ac intaminata Felicitate perpetuo te beare dignetur. In quo etiam diutissimè valeas. Ex *Hanworthia 20. Septembris.*

Tui Studiosissima ac Amantissima
Katherina Regina KP.

Num. XL.

Joh. CALVINI Epistola ad Eduardum Somersethum, Protectorem Angliæ &c.

ex Epp. Calvini fol. 39.

ETsi pro ea provincia, quam nunc sustines, Amplissime Domine, Deus te singulari prudentia, fortitudine & aliis virtutibus quas muneris illius magnitudo postulat, instruxit: quia tamen me agnoscis pro Filii ipsius servo, cui ante omnia te approbare cogitas; sic mihi persuasi, benigne à te susceptum iri, quod ipsius nomine ad te scriberem. Neque enim mihi aliud proposui, quam ut opus cœptum persequendo, magis ac magis ipsius gloriam promoveas, donec ipsius Regnum in optatissimum illum statum perduxeris, qui in terris extare quidem potest. Ex ipsa porro lectione percipies, quam nihil de meo attulerim, sed ex ipsius Scriptura, quicquid hic habes, in usum tuum protulerim. Jam si in unam magnitudinem intuerer, in quam istic evectus es, satis scio quam difficilis ad illam aditus esset tenuitati meæ: quum vero non asperneris illius Magistri doctrinam, cui addictus sum, quin potius singularis privilegii loco ducas te

unum

unum haberi ex ipsius discipulis, non est quod pluribus me apud te excusem, quum te satis bene comparatum judicem ad illud suscipiendum quod, ab ipso profectum esse constabit.

Est sane de quo gratias agamus Deo & Patri nostro, quod opera tua uti voluerit ad tantum opus, ut per te in primis purum & sincerum suum cultum in regno Angliæ restitueret, præstiterit etiam, ut salutis doctrina audiretur passim, & fideliter annunciaretur omnibus qui aures arrigere dignarentur: quod etiam tantam fortitudinem & constantiam tibi indiderit, ut contra tot insultus & difficultates infracto animo pergeres: ac manu potenti te asseruerit hactenus, ut tua consilia & labores sua benedictione prosequutus sit, atque prosperaverit. Totidem, inquam, illa sunt piis omnibus argumenta, pro quibus ipsius nomen concelebrent. Sed tamen quia Satan totus in eo est, ut novas pugnas perpetuo accendat, ipsaque illa res per se omnium difficillima una est, dare operam nempe ut Dei veritas placide apud homines obtineat, quum illi natura mendacio addicti sint: quum etiam non desint alia quædam, quæ ipsius cursum remorentur, ac nominatim, quod superstitiones Antichristi tam altas radices egerunt, ut ex animis multorum ægre revelli queant; tu unus mihi tanto magis visus es ad opus tam arduum sanctis omnino exhortationibus confirmandus, uti ipsa experientia te hoc quoque comperturum non dubito. Atque hoc faciet ut apertius hic & liberius me geram: & sane quia meum consilium voto tuo, ut spero, respondebit, sic statuo, te etiam exhortationem meam boni consulturum, ut ipsa non omnino necessaria fuerit, quum zelus & sollicitudo quæ me huc impulerunt, tibi non probari non possint. Ac tanto magis illa quam ipse agnoscis necessitas faciet, ut acceptius etiam hoc apud te meum studium reddatur. Quare à te peto, Amplissime Domine, ut me hic patienter audias in iis de quibus te admonere paucis institui: ac vicissim spero, ubi illa attenderis, ipsa tibi solatium allatura, quo animosius deinde opus illud sanctum persequaris, ad quod Domino placuit te huc usque ut ministro uti.

Equidem non dubito quin turbæ illæ ingentes quæ ab aliquo tempore acciderunt, tibi valde molestæ & acerbæ fuerint: præ-

fertim quum inde plerique offendiculum captarent, quos ex parte mutatio in religionis causa concitabat. Fieri, inquam, non poteft, quin te illa cernentem varii motus exceperint: five ad animum & fenfum tuum ipfe tum illa referres, five ad ftrepitus improborum, five ad proborum confternationem teipfum converteres. Et me enim rumor ille tam longe diffitum ita vehementer conftrictum tenuit, donec accepi affulgere cœpiffe auxilium à Domino. Sed quando vel ignis ille nondum plane confopitus eft, vel non ita difficile fit à Satana rurfus excitari, propone tibi ante oculos mèmorabile illud piiffimi regis EZECHIÆ exemplum, quod à Scriptura tam diferte traditum habemus: qui cùm fublatis ex Judæa fuperftitionibus purum Dei cultum ex ipfius Lege conftituiffet, tanta fubito belli mole exceptus eft, ut pro homine perdito & deplorato habendus paffim judicari poffet. Sic enim Scriptura appofite ifta fimul convertit, quod quum totus ille in eo effet, ut verum Dei cultum fuo loco reponeret, rem illi in fpeciem quam infeliciffime fucceffiffe. Plane enim quum ita fe cordate in Dei regno erigendo geffiffet, regnum quoque ipfius cum fumma tranquillitate conjunctum iri fperari poterat. Hinc igitur exemplum fibi ftatuant pii omnes Principes ac provinciarum Rectores, quo fe animofius gerant, tum ad ablegand omnia idola, tum ad verum Dei honorem, uti eo tenentur, legitime procurandum: fidem ipforum nempe per varias tentationes confimili examini fubjiciendam effe. Sic permittit Dominus, fic vult denique, ut & fuorum conftantiam patefaciat, & illos comparatos reddat, ut oculos fupra mundum attollere difcant. Interea vero Satan fefe immifcet, ut quum veram doctrinam aperte evertere non valet, obliquis artibus ac veluti per cuniculos idem moliri non definat. Atque huc facit illa JACOBI admonitio, ut *ad Jobi tolerantiam attenti, in illius etiam exitum intueamur*. Perinde enim res tandem illi piiffimo Regi ceffit, cui Dominus ita adfuit in fummis ipfius anguftiis, ut tandem victoriam infignem inde retulerit. Quare, quum neque manus ipfius abbreviata fit, neque porro minus illi fit nunc cordi, quam fuperioribus feculis veritatis ipfius affertio, non eft quod de illius ope defperes, quicunque te fluctus ex-

excipiant. Maximam hominum partem Euangelio refiftere, & omnes conatus eo conferre ne illud emergat, adeo mirum videri non debet. Ea fiquidem eft perpetua mundi ingratitudo, ut Deo vocanti tergum obvertat & adverfus illum calcitret, ubi jugum fuum illi imponere cogitat. Quumque natura homines addicti fint hypocrifi, ferre non poffunt, ut ad lumen verbi Dei adducantur, quod eorum fœditatem & probrum revelet, aut, ut ex fuperftitionum fuarum latebris extrahantur, fub quarum umbra fomnum fuum dormiunt. Quare novum non eft, ubi ab illa parte contradicitur, quum de redigendis ad Dei cultum & obedientiam hominibus agitur. Hoc tamen facere non debet, ut negligentes aut timidi hic deprehendamur. Tandem enim ubi tumultuati fuerint fatis ac fuum furorem defpumaverint, momento confundi & cum fuo tumore concidere neceffe eft.

Sane quod ad Deum attinet, omnes illi hominum fremitus & bullæ ipfi tantum ludus erunt, ut eft in 2 *Pfalm.* adeoque quafi conniventibus oculis ad illorum æftus ipfe conticefcet, quafi res ad illum non pertineret, atque tandem ipfius potentia comprimentur. Nos vero eadem illa armati, invicto præfidio fuftinebimur, quicquid adverfum nos moliatur Satan: tandemque reipfa percipiemus, Euangelium, ut nuncium pacis affert & reconciliationem cum Deo, ita etiam ad pacem inter homines conftituendam pertinere, uti apud Jefaiam teftatur Dominus, Ubi *Regnum Chrifti* per ipfius doctrinam erectum fuerit, futurum ut *& gladii in vomeres, & lanceæ in falces transformentur.* Interea vero quamvis ex hominum improbitate & pervicacia prodeant, quæ adverfus Euangelium infurgunt feditiones & turbæ, in nos ipfos tamen defcendere oportet, ac ftatuere, Dominum ita nos plectere propter noftra ipforum peccata, etfi utatur illis inftrumentis quæ vere Satanæ mancipia effe conftet. Vetus eft illa querimonia, qua in Euangelium derivata eft omnium malorum caufa, quæ humano generi pridem incumbunt. Conftat fiquidem ex hiftoria, jam ab ipfo initio quo Chriftianismus per orbem fpargi cœperat, vix ullum fuiffe angulum qui non extremis malis premeretur. Bellorum motus extabant continui cujusdam incendii inftar, quo univerfa conflagrarent. Diluvies hinc, illinc peftes

&

& fames: extrema & rerum omnium & ordinum inversio, quasi orbis terræ in seipsum commissus plane dissiliret & confringeretur. Idem prorsus accidit hoc seculo, ex quo Euangelium cœpit emergere: miserabilis quædam extitit rerum omnium facies, ut passim volitet illa querimonia, nos scilicet infelicissimo seculo natos esse, ac perpauci non sub tanta mole fatiscant. Atqui dum vulnera illa persentiscimus, & ad manum ferientis attendere oportuit & ad causam: quænam illa porro sit neque adeo obscurum est, neque perceptu difficile. Constat verbum Dei, per quod ad viam salutis perducimur, incomparabilem thesaurum esse: excutiamus vero nosipsos, quam reverenter nempe uti ab ipsius auctore oblatum nobis est, ita etiam à nobis admissum sit. Quando igitur ita vilescit apud nos quod est apud illum tanti momenti, quis non justissimum agnoscat, qui nostram ingratitudinem ita vicissim ulciscatur? Audimus & illud Christi apud Lucam, *Servum qui teneat voluntatem Domini, neque illam opere præstat, duplo graviorem pœnam commereri.* Quum igitur tam negligentes simus ad obediendum voluntati Dei, cujus centuplo uberior extat notitia inter nos, quam superioribus seculis, alienum videri non debet, si vehementius in nos excandescat, qui omnium hominum minime excusabiles sumus. Quumque operam non damus, ut bonum semen promoveatur & incrementum capiat, merito inter nos spinæ & sentes artificio Satanæ subcrescunt, quarum deinde punctionibus infestemur. Quum denique Creatori ipsi jus illud suum non exhibeamus in nobisipsis, non minus æquum est hominum contumaciam adversum nos ipsum experiri.

Ut ad rem vero me propius conferam, Amplissime Domine, audio esse duo seditiosorum genera, quæ adversus Regem ac Regni statum caput extulerunt. Alii enim, cerebrosi quidam videlicet, sub Euangelii nomine ἀταξίαν passim invectam vellent. Alii vero in superstitionibus Antichristi ita obduruerunt, ut earum revulsionem ferre non possint. „ Ac merentur qui-„ dem tum hi, tum illi, gladio ultore coërceri, quem tibi tra-„ didit Dominus: quum non in Regem tantum insurgant, sed „ in Deum ipsum, qui & Regem in Regia sede constituit, & te

„ Pro-

„ Protectorem instituit, tum Personæ, tum ipsius etiam Re-
„ giæ Majestatis. „ Illud vero hic ante omnia procurandum est, ut quantum fieri poterit, illi qui eo Euangelii gustu præditi sunt, ut illi jam addictos esse constet, ipsum porro ea animi dejectione ac reverentia admittant, ut & sibi ipsis plane abrenuncient, & sese Deo in solidum, ut par est, addicant. Sic enim illos cogitare oportet, Dominum nempe istiusmodi occasionibus ipsos expergefacere, ut magis serio in ipsius verbo proficiant, quam hactenus præstiterint. Phrenetici quidem illi, qui mundum in supinam quandam licentiam transversum cuperent, excitantur à Satana nominatim, ut per illos Euangelium male audiat: quasi Euangelium causam præberet rebellioni adversus Principatus, atque meram in mundum dissipationem inveheret. Piorum est vero, ad tam infaustos conatus perditorum hominum ingemiscere, dum lucem à Domino, qui illas tenebras serius ocius certissime discussurus sit, sustinendo implorant. Papistæ vero, dum idoli sui Romani fœditates & abominationes tueri student, apertum odium & beneficii Christi & omnium ipsius mandatorum magis ac magis produnt: quod tamen non potest non extremum mœrorem illis afferre, apud quos vel gutta sinceri zeli superest. Quare sibi & ista à Domino destinari pii agnoscant, quæ totidem sint ad ipsos castigandos flagella, quia nempe legitimos Euangelii fructus non ferant. Summa ratio igitur atque unice apposita esto ad istiusmodi motus semel consopiendos, ut qui Euangelio nomen dederunt, vere ad Dei imaginem reformati deprehendantur: atque ita testentur Christianismum legitimum ab omni ἀταξίᾳ omnimodo abhorrere: æquabili modestia & temperantia approbent se Dei verbo regi, nedum ut exleges & effrenes habeantur: recta denique & sancta vita os impiorum obturent. Sic placatus Dominus ferulas demum subducet, atque pro vindicta, quam in verbi contemptores exerit, illam suorum resipiscentiam certissima benedictione prosequetur.

Nominatim vero Nobilitas ipsa ac Magistratus hic exemplo præeant oportet, ut primi omnium colla submittant cum summo timore ac reverentia supremo illi omnium Regi Christo Dei Filio: ipsi, inquam, fidem & obsequium animæ & corporis sincere

cere præſtent, ut & ipſe viciſſim eorum tumorem & faſtum comprimat, qui adverſus ipſos injuſte criſtas tollunt. Hoc eſt nimirum ſummum Principum hujus ſeculi munus, ut ita ſubditos ſuos regant, ut primi omnium Chriſto ſubeſſe geſtiant, dentque omnem operam, ut illius unius auctoritas ſupra omnes & ſummos & infimos emineat. Quare à te peto, Ampliſſime Domine, per Dominum ipſum, & illam qua regnum Nepotis tui complecteris ſingularem charitatem, uti luculente paſſim teſtaris, ut eo unice omnem conatum ac vigilantiam adhibeas, ut & Dei veritas prædicetur cum pleniſſima auctoritate & efficacia, & ut fructus quoque extent qui cæleſti illi ſementi reſpondeant: atque ut illud aſſequaris, nunquam manum remittas ab incepta plena & integra Eccleſiæ reformatione proſequenda. Hic vero ut meam mentem facilius percipias, totum illud in tria capita conferam, quorum *Unum* ſit, De vera ratione populi recte docendi. *Alterum*, de extirpandis abuſibus qui hactenus obtinuerunt. *Tertium* ac poſtremum, de vitiis exacte corrigendis, & adhibenda opera, ne ſcandala & luxus paſſim vigeant, ut inde nomen Domini blaſphemetur. Ac, quod ad *primum* illud attinet, non eſt quod in tradenda doctrinæ ſubſtantia immorer. Eſt magis, de quo Domino gratias agam, à quo ita illuminatus es puræ doctrinæ cognitione, ut eandem etiam publice doceri cures. Non es, inquam, mihi docendus, quæ ſit Chriſtianorum fides, & quæ illis doctrina tenenda ſit, quum per te adeo veritas fidei in Eccleſiæ cœtu reſtituta perſonet.

Quod ſi quis obiter comprehenſum habere velit, quæ ſit Dei cultus ſumma, res nempe eo redit. Ut unum Deum habeamus rectorem noſtrarum conſcientiarum: ad ipſarum regimen quod ſpirituale eſt, Legem ipſius unicam adhibeamus pro pietatis regula, ne quid ad ipſius cultum ex hominum traditionibus quæ vanæ ſunt conferamus: ipſum porro pro ſua natura, ſpiritus & cordis integritate ab omnibus colendum eſſe. Quum vero in omnibus nobis nihil extet præter miſerabilem corruptionem, quæ tum ſenſus omnes tum affectus noſtros occupet, noſtrum eſſe meram illam iniquitatum abyſſum in nobis agnoſcere, & agnitam exhorreſcere: eo modo nobis probe cognitis, atque in nobis penitus

nitus

nitus fractis, contusis, perditis, exutis omni dignitatis, sapientiæ, facultatis denique ullius ad bonum præsumptione, tum demum accurrere oportere ad unicum fontem bonorum omnium Dominum nostrum Jesum Christum, ab illo quicquid offert percipere, ac inprimis incomparabilem illum mortis ac passionis ipsius thesaurum, ut ea una ratione Deo Patri in solidum reconciliemur, purgatique aspersione sanguinis ipsius certo persuasi simus, nullas in nobis extituras maculas, quæ apud ipsius cæleste solium pudore nos suffundant: sic nobis certo constabit vis illa sacrificii perpetui, qua peccatorum gratuita remissio nobis ita obsignata est, ut illic præsidium & anchoram salutis constanter desigamus. Sic ipsius Spiritu sanctificati, in obedientiam justitiæ Dei consecrabimur: ipsius gratia confirmati, victoriam de Satana, mundo, carne, reportabimus. Postremo, quum membra corporis ipsius simus, non dubitabimus quin Deus in filiorum suorum albo nos recenseat, ut vera fiducia ipsum illo Patris amantissimo nomine legitime compellemus. Hic est nempe scopus veræ doctrinæ, quæ & in Ecclesia Dei habenda est semper & ab omnibus audienda, ut in eum scopum omnes sincere collíment, dum sese à mundo sensim subducendo, ad caput illud suum quod est in cælis, intento affectu & apertis votis, moribus, institutis, singuli sese attollant. Qua te vere pretiosissima sua luce, quæ tamdiu sub Antichristo sepulta latuerat, quum nunc ita uberrime perfuderit Dominus, pluribus ista apud te non exequar.

Tantum quod attigi de docendi forma eo pertinet, ut quæ sit idonea ratio sequenda in populo instituendo teneatur. Pungendi sunt nempe ad vivum, ut sentiatur in singulis illud Apostoli, verbum Domini nempe gladium ancipitem esse qui intima usque cogitationum & affectuum configat, & ad ipsam usque ossium & medullarum compaginem pervadat. Hoc, inquam, inculco nominatim, quoniam vereor ne paucæ extent in Regno vivæ conciones: major pars autem in recitationis modum decurrat. Ac video quidem aliquam istius necessitatis occasionem inter vos: quia nempe vobis non sunt ad manum probi & idonei Pastores, defectus ille suo quodam modo explendus est. Deinde cavendum

 est

eſt ab erraticis hominibus & temerariis, qui (ut in rebus novis accidit) plurimum extra metas abriperentur, ut ſomnia ſua pro Dei verbo effutirent: ſed nulla ejusmodi ratio obſtare debet, quin ipſa Chriſti inſtitutio obtineat, quod ad Euangelii prædicationem. Porro legitima prædicatio mortua eſſe non poteſt, ſed viva & efficax ad docendum, exhortandum, arguendum, uti ad Timoth. teſtatur Apoſtolus: adeo ut infidele ingrediente in cœtum fidelium, affici illum oporteat & quaſi transfodi ipſa verbi auditione, ut det gloriam Deo, ut alibi idem Apoſtolus oſtendit. Neque etiam te latere poteſt, quod idem Apoſtolus tradit de vi & energia quæ in illis extare debet, qui ſe probos & legitimos verbi miniſtros approbare ſtudent: ut abeſſe ab iſtiusmodi quidem velit omnem ornatum & fucum eloquentiæ, quo ſe homines theatro venditant: ita tamen ut tanto luculentius in eorum ſermone ſeſe prodat vis illa Spiritus, quæ potentiſſime agat in animis auditorum. Nulla igitur præcautio facere debet, quominus Spiritus ille Dei ſuam libertatem ac perpetuum vigorem retineat in illorum miniſterio, in quos ſua dona contulit Dominus ad Eccleſiæ ædificationem. Expedit quidem proſpicere deſultoriis ingeniis quæ ſibi nimium licere volunt: claudenda eſt etiam janua curioſis doctrinis. Ratio autem expedita ad eam rem una eſt, ſi extet nempe ſumma quædam doctrinæ ab omnibus recepta, quam inter prædicandum ſequantur omnes: ad quam etiam obſervandam omnes epiſcopi & parochi jurejurando adſtringantur, ut nemo ad munus Eccleſiaſticum admittatur, niſi ſpondeat ſibi illum doctrinæ conſenſum inviolatum futurum.

Extet præterea communis formula catechismi in uſum puerorum, & ſiqui erunt rudiores in populo: ſic ipſa veritas illis familiaris reddetur, ac ſimul eam ipſam diſcent ab impoſturis & corruptelis diſcernere, quæ ſenſim apud ceſſantes irrepere ſolent. Plane enim tibi perſuaſum eſſe oportet, Eccleſiam Dei catecheſi carere non poſſe: illic enim verum ſemen doctrinæ contineri, ex quo demum meſſis pura ac proba conſtatura, ac deinceps multiplicanda ſit magis ac magis. Quare ſi ædificium ejusmodi inſtituere cogitas, quod & diu ſtare poſſit, & à ruina tutum maneat, da operam ut pueri nominatim introducantur ad fidem, catechis-

techismo ad eam rem edito, unde discant breviter & pro suo captu, in quo situs sit verus Christianismus. Neque vero in puerorum institutione stabit tantum catechismi utilitas. Accedet enim & illa altera, ut tum populus per eum edoctus, melius ad proficiendum in ordinaria verbi auditione comparatus sit, tum vero, ut si quis inflatus novum aliquod dogma inveheret, ad catechismi examen revocatus statim deprehendatur. Quod ad formulam precum & rituum Ecclesiasticorum, valde probo, ut certa illa extet, à qua Pastoribus discedere in functione sua non liceat, tam ut consulatur quorundam simplicitati & imperitiæ, quam ut certius ita constet omnium inter se Ecclesiarum consensus. Postremo etiam, ut obviam eatur desultoriæ quorundam levitati, qui novationes quasdam affectant, uti eo pertinere catechismum ipsum ante ostendi. Sic igitur statum esse catechismum oportet, statam Sacramentorum administrationem, publicam item precum formulam. Sed non hoc eo pertinet, ut istius politici ordinis in Ecclesia occasione, vigor ille nativus prædicationis Euangelii ullo modo consenescat. In illud potius incumbendum est tibi, ut idonei & sonori buccinatores conquirantur, qui ad intima usque cordium vocis Euangelii clangore pervadant. Periculum est enim, ne multo tenuior fructus extet institutæ reformationis, nisi cum illa sese etiam exerat prædicationis verbi potentia quam efficacissima. Non frustra de Christo scriptum est, Percussurum illum terram sceptro oris sui, ac percussurum impium Spiritu labiorum suorum. Hæc est nimirum vera ratio, qua nos sibi perdomitos sistit, dum verbi sui virtute evertit ac dejicit quicquid ipsius gloriæ obstat in nobisipsis. Atque inde etiam constat Euangelio nomen illud quod regnum Dei appellatur. Quare quum edicta & constitutiones Principum Christianorum magnum pondus habeant ad promovendum & asserendum Christianismi statum, Deus tamen singulari modo præcipuam illam viam suam exerere vult in gladio spirituali verbi sui, quem Pastoribus exerendum mandat in Ecclesia.

Venio ad caput *alterum*, de abolendis & evellendis radicitus abusibus & corruptelis, quas invexit Satan superioribus seculis in Dei ordinationem. Constat Christianismum Papatus plane esse

nothum & adulterinum, & qui Dei judicio ultimo illo die damnandus ſit, quum jam ipſius verbo tam aperte repugnet. Quare ſi ab illa voragine plebem educere eſt animus, exemplo Apoſtoli utendum eſt. Ubi enim agit de reſtituendo vero uſu Cœnæ Domini apud Corinthios, ut quæ obrepſerant additamenta, valere jubeat ſemel: *Quod*, inquit, *accipi à Domino*, *hoc & tradidi vobis*. Inde colligenda generalis doctrina, quum de legitima reformatione & quæ Deo accepta ſit, agitur, ad ipſum purum putum Dei verbum redeundum nobis eſſe. Quot enim ſupererunt mixturæ ex hominum ingenio prolatæ, totidem extabunt pollutiones, quæ homines diſtrahant à recto eorum uſu, quæ Dominus in ipſorum ſalutem inſtituerat. Proinde dum iſtiusmodi ſentina ex parte tantum exhauritur, res ſuo loco vere reſtituta dici non poteſt, ubi Chriſtianismus larvatus pro ſincero & nativo deprehenditur. Atque illud à me ideo dicitur, quod multos longe aliter judicare intelligam: tolerandos nempe eſſe abuſus, neque attingendos, dummodo craſſiſſimæ corruptelæ ſublatæ dici poſſint. Atqui ex oppoſito ipſa experientia edocuit, quam fertilis ſit mendaciorum ſeges, humanum ingenium: ut vel minutulis granis conſperſum, in altiſſimum cumulum aſſurgat, uti totum natura eo ferri conſtat. Longe alia vero eſt ratio, quam tradit Scriptura. David enim de idolis agens, ne ipſorum quidem nominis ſe recordaturum teſtatur, ut oſtendat quam illa ſibi omnibus modis deteſtanda judicet. Præſertim ubi attendimus, quam graviter eo nomine peccaverimus in Deum, quum in ignorantia verſaremur, illud nos tanto magis ſerio afficiat oportet, ut ab omni Satanæ fermento quam longiſſime pedem referamus. Quid enim illæ ceremoniæ aliud fuerunt, quam totidem lenocinia, quæ miſeras animas ad malum perducerent; uti ad ipſas illaqueandas omnino poſitæ erant? Jam ſi de cautione agitur, monebuntur homines ſcilicet, ne ad illas nunc impingant, quum ſuperioris vitæ peccata hac in parte illis retegentur. Quis tamen non videt, obdurari ipſos nihilominus, nihil ut infelici illa cautione obtineri poſſit? Quare ſi quid iſtiusmodi intactum relinquetur, certiſſimum erit gravioris obfirmationis in malum fomentum, idemque velamen appoſitum, ne ſincera doctrina quæ proponetur, admittatur

tatur ut par est. Fateor quidem moderationi locum esse oportere, ut extremitates nimis abscisæ neque hic utiles sint, neque simpliciter usurpandæ, adeoque ceremonias ipsas ad usum & captum populi esse accommodandas: sed non minus constanter affirmo, videndum esse, ne sub illo prætextu toleretur quidquam quod à Satana vel Antichristo profectum sit. Quo pertinet illa Scripturæ loquendi ratio quæ in historiis regum Juda non uno loco extat, in plerosque nempe, qui quum idola sustulissent, omnia tamen ad vivum non resecuerunt: hanc, inquam, illis aspergit notam, quod nihilominus excelsa quæ nos sacella dicimus, & loca illa stultæ devotioni dicata non abstulerint. Quum igitur eo usque te Deus provexerit, Amplissime Domine, da operam obsecro, ut veri templi ipsius Reformatoris nomen referas, ac seculum hoc sub Rege nepote tuo, piissimi Josiæ seculo respondeat: atque ita omnia suo loco reposita cures, ut Regem deinde una sollicitudo ordinis bene positi conservandi maneat. Proferam tibi istiusmodi corruptelarum exemplum, quod instar fermenti esse possit, quo massa integra sanctæ Cœnæ quodammodo acesieret. Audio recitari istic in Cœnæ celebratione orationem pro defunctis: neque vero hoc ad Purgatorii Papistici approbationem referri satis scio. Neque etiam me latet proferri posse antiquum ritum mentionis defunctorum faciendæ, ut eo modo communio fidelium omnium in unum corpus conjunctorum declaretur: sed obstat invictum illud argumentum, nempe Cœnam Domini rem adeo sacrosanctam esse, ut ullis hominum additamentis eam conspurcare sit nefas.

Præterea, ubi Deum invocamus, non est indulgendum nostris affectibus, sed potius regula illa retinenda est quam tradit Apostolus, ut verbum Dei pro fundamento habeamus: illa vero defunctorum commemoratio, quæ ipsorum venerationem vel commendationem conjunctam habet, non respondet veræ ac legitimæ recte orandi institutioni, ac proinde assumentum est, quod in Cœna Domini nullo modo ferendum sit. Sunt & alia non perinde damnanda fortasse, sed tamen ejusmodi ut excusari non possint, chrisma videlicet & unctionis cerimonia: siquidem chrisma illud inventio est frivola illorum qui jam olim in Domini insti-

inſtitutione per ignorantiam non acquieverunt, & qui novo illo ſigno Spiritum ſanctum in Baptismo ita ſibi repræſentandum duxerunt, quaſi aquæ ſignum ad illud non ſufficeret. Extrema unctio vero ab illorum inconſiderato zelo emanavit, qui Apoſtolos æmulari voluerunt, quum eodem cum ipſis dono non pollerent. Quum enim Apoſtoli oleum in ægrorum ſanatione adhibuerunt, illud eo pertinebat ut ſanationis miraculum ea teſſera quaſi exhibitum obſignaretur. Ceſſante demum miraculorum dono, uſum quoque externæ illius unctionis ceſſare oportuit. Quamobrem illa omnia abſcindi ſemel præſtiterit, ut nihil in Eccleſia Dei uſurpetur, quod non & ipſius verbo conforme ſit, & ad Eccleſiæ ædificationem pertineat: ita vero tolerandi ſunt infirmi ut & confirmentur ſenſim & ad meliora promoveantur. Neque interea ſtultis immorandum eſt, ut illis ſatisfiat, quibus hoc vel illud arridet ſimpliciter, quum nulla idonea cauſa ſubeſt.

Scio qua conſideratione plerique ulterius progreſſi non ſint: quia nempe veriti ſunt, ut major rerum mutatio ferri non poſſet, præſertim ubi vicinorum ratio habenda viſa eſt, quibuscum pax fovenda eſſet connivendo ad plurima. Habeat ſane hoc locum in rebus iſtius vitæ, in quibus licet de jure ſuo tantum remittere, quantum pacis ſtudium & amor requiret. Atqui alia prorſus eſt ratio regiminis Eccleſiæ quod ſpirituale eſt, in quo nihil non ad Dei verbum exigi fas eſt: non eſt, inquam, penes ullum mortalem quidquam hic aliis dare, aut in illorum gratiam deflectere, quum non alia res Deo magis inviſa ſit, quam ubi humana illa noſtra prudentia calculum hic ſuum apponere audet, ut vel moderemur vel reſcindamus vel retroferamur præter ipſius unius cæleſte arbitrium. Ergo niſi illi diſplicere volumus, ad omnem carnis intuitum oculi nobis ſemel claudendi ſunt: & quod ad pericula attinet, quæ inſtare videbuntur, ſic illa nobis declinanda erunt, quantum erit in nobis, ut tamen à recta via diſcedere ſemper ſit nefas. Extat Domini promiſſio, qua ſe nobis adfuturum ſtatuit rectam inſiſtentibus viam: ſupereſt igitur hoc unum, ut partibus noſtris ſtrenue fungendo, eventum illi commendemus. Neque enim aliunde eſt, quod ſapientes hujus ſeculi ſuæ ſpes fruſtrantur ut plurimum, quam quod Dominus recedit ab illis,
qua-

quatenus ipsius auxilio diffisi sese ad media obliqua & quæ Deo minus probantur convertunt. Quare si Dei ipsius potentiam à nobis stare volumus, sequamur simpliciter quod jubet: atque in primis hoc fundamentum statuendum nobis est, Reformationem Ecclesiæ singulare manus ipsius opus esse, ut hac in parte homines sese illi in solidum regendos tradant: quodque etiam majus est, solere Dominum ut plurimum, tam in restituenda quam in conservanda Ecclesia sua operari ratione quadam plane admirabili, & quæ omnium hominum captum omnino superet. Proinde nullam rationem sinere opus illud reformationis Ecclesiæ ad humani sensus modulum exigi, & quod cæleste est, ad terræ & mundi formam compositum habere velle. Neque tamen ita exclusam rectam illam prudentiam velim, cujus maximus hic quidem est usus, ut non appositæ rationes ineantur, ne in hanc vel illam partem nimis propendeatur, dum omnes Domino lucrari volumus: sed prudentiam hic spiritus non carnis regnare cupio, dum os Domini interrogabimus, ac precabimur ut nostro sensu valere jusso, unus ille nos in omnibus dirigat atque perducat. Ubi nos ita geremus, facile erit ansam præcidere variis tentationibus, quæ nos in medio cursu remorari possent.

Tu igitur, Amplissime Domine, uti feliciter illam Christianismi restitutionem integram in regno Angliæ instituisti, non innixus tibi, sed potenti Dei manu, quæ te hactenus sustinuit & mirabiliter confirmavit; sic etiam in eadem illa fiducia tibi pergendum esse existima. Ac sane quum Dominus ipse tot passim Principatus sustentet sua providentia qui tamen ipsi adversantur, multo magis illos respiciet, qui & in illum sunt defixi & toto suo conatu supremum illum herum sibi asciscere cupiunt.

Venio ad tertium caput, quod est tum de *vitiis coërcendis* tum de *scandalis comprimendis*. Ego vero non dubito, leges & edicta posita istic esse, quæ recta & laudanda sint, & quibus populum in honestis moribus contineri conveniat: sed ingens illa ἀταξία quam in mundo animadverto, me cogit, ut te hic etiam appellem, ut in illud incumbas ut homines sub bona & honesta disciplina habeantur. In primis ut Dei honorem in eo asseras dum illa crimina ulciscceris, quorum persequutio apud homines insuper haberi

 solet.

ſolet. Quum enim furta, cædes, rapinæ ſeveriſſime plectantur, quia ad homines injuria pertineat, connivetur interea ad ſcortationes, adulteria, ebrioſitates, blaſphemias nominis Dei, tanquam ad res licitas, aut non ita graviter vindicandas. Atqui Deus longe aliter iis de rebus pronunciat: oſtendit enim quam pretioſum ipſi ſit nomen ſuum, dum apud homines proſcinditur & pedibus proculcatur. Neque vero fieri poteſt, ut tam horrenda probra diutius inulta ſinat: nam & ex Scriptura colligi poteſt, vel una tantum Benhadadi & Sancheribi profanorum regum in Deum contumelia, horrendum Dei judicium ipſos cum ſuis omnibus tantum non adobruiſſe. Et quod ad adulteria attinet, quis pudor eſt, nos qui Chriſtiano nomine cenſemur, in illis vindicandis, Ethnicis ipſis longe molliores deprehendi, quum adeo joco etiam ejusmodi ſcelera transmittantur? Tanti eſt ſcilicet ſacrum ipſum conjugium, imaginum (inquam) illam vivam ſacratiſſimæ noſtræ cum Dei Filio conjunctionis impune pollui; arctiſſimam vero ſupra alias humanas omnes confœderationem perfidiſſime diffringi? ſcortationes vero (ſi Apoſtolum audimus) non alio quam totidem ſacrilegiorum loco habebimus, quatenus templa Dei, noſtra corpora nimirum, manifeſte ita polluta, à Dei Spiritu & Chriſto ipſo indigniſſime abſcinduntur. Unde & illud ſubjicit, Scortatores & ebrioſos ad Dei regnum non pertinere: ut & iſtorum commercium fidelibus nominatim interdicat. ex quo conſequitur, in Eccleſia Dei tales ferri nullo modo oportere. Atque his omnino malis accepta ferenda ſunt flagella Domini quibus orbis terrarum concutitur: fit enim ut dum enormia iſta ſcelera homines inter ſeſe condonant, manum Dei vindicem in ſeipſos accerſant.

Quamobrem ut Dei iram averti procures, à te peto, Ampliſſime Domine, ut ferrum hac in parte ſerio adhibeas, desque operam ut qui ſe iſtic Chriſtianos profitentur, illud demum reipſa & moribus, qui ſanctæ vocationi reſpondeant, exprimant atque commonſtrent: quemadmodum enim Doctrina ipſa eſt inſtar animæ ad Eccleſiam vivificandam, ita etiam Diſciplina & vitiorum correctio nervorum loco haberi debent, quibus corpus integrum ac vegetum foveatur atque conſervetur.

tur. Episcopi & Parochi in illud præcipue intenti sint, ne Cœna Domini polluatur, si ad illam ii admittantur quorum vita propter scandala male audiat. Te vero pro eo in quem te Deus evexit loco curare in primis par est, ut alii omnes subditi pro suo quisque loco & vocatione manum operi admoveant, singuli partes suas impleant, ut ordo legitime positus perinde etiam observetur. Hic vero, Amplissime Domine, in excusanda epistolæ prolixitate non ero prolixior, neque valde deprecabor offensionem quod ita aperte animi mei sensum tibi aperuerim: confido enim exploratum esse tibi animum meum pro tua prudentia; ac pro eo usu Scripturæ quem habes, facile agniturum ex quo fonte hauserim, quæ superius comprehensa à me hic habes. Quare non est quod metuam, ne fastidium tibi attulerim aut importunius egisse videri possim, ubi ostendi pro mea tenuitate sincerum illum affectum, qui eo fertur unice ut Dei nomen per te semper quam amplissime glorificetur. Hoc ab illo supplex in dies postulo, ac precor, ut sua in te dona cumulate adaugeat, suo te Spiritu in vera & invicta constantia confirmet, tueatur & sustineat contra omnes adversarios, te tuosque præsidio suo tegat, tuam illam administrationem ita prosperet, ut Regi argumentum inde extet ipsius concelebrandi, cui tam opportunus & sui rector & regni in illa ætate contigerit. Tandem igitur perquam demississime salute à me tibi adscripta, finem scribendi faciam. Genevæ, 22. Octobris. M. D. XLVIII.

Tuæ Excellentiæ deditissimus
Joannes Calvinus.

Num. XLI.

EDUARDI VI. Regis

Fragmentum (a) de Reformatione abuſuum &c.

REgni hujus adminiſtratio in duas partes diſtincta eſt, una eſt Eccleſiaſtica, altera verò Temporalis. Eccleſiaſtica conſiſtit in verbi Divini propagatione, Populum in precibus & Diſciplina exercendo.

Verbi Divini propagatio conſiſtit in Doctorum & Spiritualium Miniſtrorum ſana Doctrina & laudabili exemplo; Quemadmodum enim bonus Colonus agrum ſuum bonum & uberem reddit, ſic etiam verus Concionator, Doctrina & Exemplo, Dei Verbum hominum mentibus imprimit & inſerit; ita ut tandem fœcundi evadant.

Preces etiam ad Deum indeſinenter tum à populo, tum ab Eccleſiæ Miniſtris fundi debent, ut Gratiæ ejus auxilium aſſequantur. Hujuſmodi autem preces accurato primum examine evulgari & ab erroribus repurgari convenit, deinde populus ad illas audiendas continuo ſollicitandus.

Quoad Diſciplinam, optimum eſſet eam acriter exerceri, & eos qui notabili ſcandalo ſunt, dejerando, luxuriando, Dei verbum negligendo, aliiſve hujuſmodi vitiis, debitas luere pœnas: Eoſque tandem quibus incumberet munus hanc diſciplinam adminiſtrandi, probatæ honeſtatis ac prudentiæ viros eſſe. Verum quia Epiſcopi quorum eſſet illam exequi, quidam ob Papiſmum, quidam ob ignorantiam, quidam ob ætatem, quidam ob infamiam, his omnibus de cauſis ad Diſciplinæ adminiſtrationem inepti ſunt; res eſt ab hujuſmodi viris aliena. Quapropter neceſſe eſſet ut qui in Epiſcopos & Concionatores deliguntur, quoad vitam honeſti, quoad doctrinam eruditi forent, ut alii talium virorum exemplo ad probam ipſorum vitam imitandam allicerentur.

Quod

(a) Id nobis conſervavit BURNETUS in Docum. ad Vol. II. Reformat. Angl. fol. 44.

Quod attinet ad Preces Cultumque Divinum, congruum esset ut errores (quemadmodum fuerat decretum) ab eruditis Viris inde eximerentur, & omnes convenire juberentur ad Cultum divinum audiendum, ut Parlamentum hodiernum in Articulis de ejus Statutis commonefeci.

Sed quoad Disciplinam, optarem, ut non omnibus Episcopis indiscriminatim, sed iis tantum qui inter eos melioris notæ sunt, authoritas illam exercendi in Diœcesibus suis, conferretur.

Num. XLII.

Richardi COXI Epistola (a) ad Henr. Bullingerum

A. 1552.

ETsi nihil est alicujus momenti, Charissime in Christo Frater, quod ad te jam scribam, tamen *Joannem* hunc nostrum sine literis meis omnino dimittere nolui: id quod ipse quoque ægerrimè tulisset. Quod ad sinceræ Religionis negotium attinet, benedictus Dominus Deus, cujús Jubar mirificè nobis indies affulget. Jam iterum publicarum Precum Ritum, atque etiam Sacramentorum ipsorum immutavimus; & ad normam Verbi Dei expolivimus. Sed acerbas istas Christianæ Disciplinæ Institutiones, cane pejus & angue, odimus. Volumus esse Filii, quin & hæredes etiam, sed virgam exhorrescimus. Excita nos, id est, Optimates nostros, per spiritum qui datus est tibi, ad Disciplinæ studium, qua sine (dolens dico) *auferetur à nobis Regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum ejus.*

Sed unum est, mi *Bullingere*, quod penitus edoceri percupio. Lego in Libro tuo De Cœna Domini, in quinta Decade, hæc Verba, *Quoniam non est publicus vel generalis Cœtus, quando quatuor vel quinque cum ægro communicant, nihil dicunt qui ajunt apud ægros cœnam instrui posse, si alii quoque simul cœnent.* Quod si co-

(a) vid. STRYPE loc. cit. fol. 150.

ncto publico cœtu, tres, quatuor aut quinque tantum ex multis centenariis (aliis omnibus recusantibus) percipere velint Sacramentum Eucharistiæ, annon aliis præsentibus, aut è Templo discedentibus, id facere liceat? Cur ergo ægrotus hoc beneficio fraudabitur? De hac re plenius instrui exopto, cum per otium tibi vacaverit. D. *Jesus* te nobis diutissime conservet incolumem ad Christi gloriam, & Ecclesiæ suæ ædificationem. *Windesoræ Anglorum*. V°. *Octoris* 1552.

Tuus in Christo Frater

Ric. Cox.

Num. XLIII.

EDUARDI Regis Edictum (a) De Reformando Jure Canonico A. 1552.

EDUARDUS Sextus, Dei gratia, Angliæ, Franciæ, & Hiberniæ Rex, fidei defensor, & in terra, Ecclesiæ Anglicanæ & Hibernicæ supremum Caput, Reverendissimo in Christo Patri, *Thomæ*, eadem gratia Cantuariensi Archiepiscopo, totius *Angliæ* Primati & Metropolitano: Reverendoque in Christo Patri, *Thomæ*, Eliensi Episcopo, Ac dilectis nobis in Christo, *Richardo Cox*, Eleemosynario nostro, *Petro Martyr*, Sacræ Theologiæ professoribus, *Wilhelmo Maye*, *Roulando Taylour* de *Hadley*, Legum Doctoribus: Nec non dilectis & fidelibus nostris, *Johanni Lucas*, & *Richardo Gooderike* Armigeris, salutem: Cum vos triginta duos viros, ad leges nostras Ecclesiasticas perlegendas & componendas, juxta vim, formam, & effectum cujus-

(a) Legitur illud præfixum libello rarissimo, cui tit. *Reformatio Legum Ecclesiasticarum* &c. Londini 1640. 4.

jusdam Acti Parliamenti, in tertio Regni nostri anno, apud *Westm.* facti, brevi assignare & deputare proponimus, & ubi numerus prædictus ad tractatum legum prædictarum, describendarum & componendarum nimius videtur, tametsi id tum propter consultationem & judicium super eo habendum, tum etiam propter perfectionem & complementum earundem longè expediens existit, nobis, moventibus Consiliariis nostris à secretis, consentaneum magis videtur, hujus rei initium, introitum, primam formam, & lineaturam, numero *octavo*, qui doctorum triginta erit portio, committere: nempe quasi præparationem quandam grandiori numero futuram.

Quapropter de prudentia, scientia, & diligentia vestris plurimum confidentes, de sententia consilii, novimus, & deputavimus vos commissarios nostros, & vobis autoritatem per præsentes impartimus, ut loco & tempore congruis, & opportunis, celeritate conveniente, qua poteritis maxima, insimul conveniatis, cursumque legum Ecclesiasticarum, infra regnum nostrum in usu existentium, aut antehac uti solitarum, diligenter perlegatis, consideretis, & ponderetis, eoque facto, illarum loco & vice, collectionem, compilationem, & ordinem talium legum Ecclesiasticarum inveniatis, & in scripta redigi faciatis, quales in usu esse, practicari, & in quibuscunque curiis & jurisdictionibus nostris Ecclesiasticis, infra istud regnum nostrum & alia nostra dominia, proponi & publicari, de scientia, sapientia, & judicio vestris maximè expediens fore putaveritis. Habentes considerationem & respectum debitum ad tenorem statuti prædicti, pro præservatione legum nostrarum communium, in suo vigore remanentium, & pro omnibus aliis articulis & ramis dicti statuti. Et quamprimum leges prædictæ per vos adinventæ, formatæ, descriptæ & compilatæ sunt, easdem statim nobis exhiberi, & in scriptis tradi volumus, ut eas de consilii nostri sententia, de residuo *triginta duorum*, unà vobiscum, pro ulteriore legum prædictarum Ecclesiasticarum ratificatione & perfectione, tanquam commissariorum nostrorum, juxta formam statuti prædicti, conjunctim nominandorum transmittamus.

Et quamvis vos ea modeſtia & ſapientia præditos eſſe ſcimus, quòd onus iſtud humeris veſtris commiſſum & impoſitum, haud parvi eſſe momenti & ponderis æſtimabitis; conſiderantes tamen, quòd propoſitum noſtrum non eſt aliud, quàm præparationis cujusdam gratia iſtud à vobis effectum reddi: ita quòd major numerus ad conſultationem, & perfectionem ejusdem, magis certò & ordinatè procedere valeat, certiores vos eſſe volumus, quòd actiones & ſtudia veſtra in hac parte, cùm erunt nobis gratiſſima, tum & benigniſſima, & maximè favorabili interpretatione accepta.

Et præterea volumus, quòd ſtatim poſt receptionem præſentium unâ conveniatis, & hac in re, celeritate & expeditione ea utamini, quàm cauſa expoſcit: Mandantes & ſtrictè præcipientes omnibus & ſingulis perſonis, quarum conſilio, ſententia, & ope, in hac parte, vos opus habebitis, quòd illi per vos requiſiti opem præſtent, conſulant, & juvent, quemadmodum nobis placere cupiunt. In cujus teſtimonium has Literas noſtras fieri fecimus Patentes. Teſte meipſo apud *Weſtm.* XI. die *Novemb.* Anno regni Regis quinto.

Marton.

Per ipſum Regem, & de data prædicta autoritate Parliamenti.

Num.

Num. XLIV.

EDUARDI Precatio (a),

quam meditabundus clausis oculis, antequam ageret animam, fudit ad Deum, Ao. Christi 1553.

O Domine Deus, eripe me ex hac misera & molestissima vita, atque in cœtum electorum tuorum recipias. Attamen non quod volo, sed tua solius voluntas fiat. O Domine tibi animam meam commendo. Tu Domine nosti, quam felix ac beata foret mea conditio, si tecum essem.

Sed in gratiam electorum tuorum serva vitam hanc, meque pristinæ sanitati restituito, ut possim fideliter tibi inservire.

Ah mi Domine, benignus & propitius esto populo tuo, ac hæreditarium tuum regnum serva. Ah Domine Deus: serva electum populum tuum Anglicanum. Ah mi Domine Deus tuere hoc regnum, atque ab eo papismum prohibeto; & veram religionem ac purum nominis tui cultum defendito, quò valeamus ego & populus meus laudare ac celebrare Sacrosanctum Nomen Tuum. (b) Amen.

(a) Hanc damus ex editione *Valerandi* POLANI, qui eam præmisit *Actis Disputationis Londinensis sub Maria Regina* habitæ A. 1553. de qua vide *Scrinium nostr. antiquar.* Tom. III. P. I.

(b) Post horas tres animam Deo reddidisse dicitur, cum his verbis & brevi precatiuncula: *Jam mihi deficiunt vires. O Dominè miserere mei, atque hanc animam accipito.* v. Valer. POL. l. c.

Num. XLV.

Thomæ CRANMERI Purgatio (a) adverſus rumores vanos de Miſſa reſtituta Cantuariæ A. 1553.

QUamquam Sathan vetus Chriſti hoſtis, mendax ipſe, atque mendacii parens, nullis unquam temporibus abſtinuit ſuis armandis mancipiis & membris adverſus Chriſtum & veram ipſius religionem, variis ſubinde excogitatis mendaciis: idem tamen his noſtris temporibus agit ſane perquam ſedulo. Nam cum rex HENRICUS VIII. Princeps Illuſtriſſ. memoriæ, deprehenſis erroribus atque infandis abuſibus latinæ miſſæ, ipſam aliquousque cœpiſſet corrigere, deindeque filius, qui proxime ſecutus eſt, ſupremus Dominus noſter Rex EDUARDUS VI. non ferens hos tantos tamque manifeſtos errores atque abuſus omnes penitus ſuſtuliſſet: reſtituta ſacroſancto Chriſti cœna, plane ad ipſius inſtitutum atque Apoſt. & Eccleſiæ primitivæ exemplum: diabolus, contra tentavit nuper, ſi poſſet, rurſum ejecta dominica cœna, latinam ac ſatisfactoriam miſſam (ſuum ipſius inventum & inſtitutum ſcil.) rurſum hominibus noſtris obtrudere. Atque id quo facilius poſſet effici, auſi ſunt quidam abuti nomine noſtro THOMÆ Cantuarienſis Archiepiſcopi: ſpargentes in vulgum Miſſam meo juſſu Cantuariæ reſtitutam, meque adeo cantaturum fuiſſe Miſſam in funere nuper Principis noſtri ſummi Eduardi VI. Regis: imo idem quoque facturum recepiſſe coram majeſtate Reginea, & ad Paulum, & neſcio ubi præterea.

Por-

(a) Hanc purgationem induſtriæ ejusdem Valer. POLLANI acceptam ferimus, qui eam ſubjunxit *Actis Diſput. Londinenſis* loc. cit.

Porro, tametsi jam 20. ab hinc annis multos ejusmodi rumores de me vanos & falsos pertulerim, utcumque fortiter & modeste, nunquam data hactenus significatione ulla commoti animi, ob res ejusmodi: adtamen, si quando in fraudem atque injuriam veritatis Dei talia jactarentur, haud quaquam perferri posse judico. Quæ me res impulit ut scripto hoc testatum universo orbi facerem, nunquam, me auctore missam Cantuariæ cantatam: sed vanum quendam adulatorem, mendacem atque hypocritam monachum, me nec consultore neque conscio, ibidem hoc ausum fuisse, *Dominus illi reddat in die illo.* Quod porro me ipsum obtulerim ad legendam missam coram majestate R. aut usque alibi, quam id vanum sit, satis novit ipsius Majestas. A qua si potestatem impetro, palam omnibus faciam, contraque omnes diversum putantes probabo, omnia quæ in communione (quam restituit innocentissimus idemque optimus princeps Rex EDUDARUS VI. in comitiis regni) leguntur, respondere institutioni Christi atque Apostolorum & primitivæ ecclesiæ exemplo multis annis observato. Missam contra, in plurimis non tantum hoc fundamento carere Christi & Apostolorum & primitivæ Ecclesiæ, sed imo adversari prorsus, atque ex diametro pugnare, undiquaque erroribus atque abusibus refertissimam. Quamvis autem a nonnullis imperitis & malevolis dicatur D. Petrus Martyr indoctus, si tamen hanc libertatem det Majestas Regia ego cum Petro Martyre atque aliis 4. aut 5. quos mihi delegero, favente Deo, confido, nos idem omnibus adprobaturos, non solum preces communes ecclesiasticas, administrationem sacram, cum cæteris ritibus & cærimoniis, verum doctrinam quoque universam ac religionis ordinem constitutum a supremo nostro D. Rege Eduardo VI. puriora hæc esse, & verbo Dei magis consentanea, quam quidquid mille retro annis in Anglia usurpatum novimus: tantum modo judicentur omnia per verbum Dei, ac describantur partis utriusque argumenta, quo primum possit orbis universus ea examinare & judicare, deinde nequeat pars ulla dicta factave sic descripta inficiari. Quoniam vero gloriantur illi, & jactant Ecclesiæ fidem, quæ fuit 1500. ab hinc annis: nos hac quoque in parte cum illis periclitari audebimus, quod eadem doctrina at-

que idem ordo ab omnibus ſervari debeat, qui fuit illo ſecŭlo ante annos 1500. ac præterea docebimus argumentis firmis, totam rationem cultus Eccleſiaſtici, quæ nunc in hoc regno ſervatur auctoritate comitiorum, eandem eſſe, atque illam ipſam, quæ fuit ante annos 1500. Id quod alii de ſuis nunquam facile probaverint.

NB. Lecta publ. Londini in vico mercatorum ab amico qui clam autographum ſurripuerat 5. Septemb.

Anno Dom. 1553.

F I N I S.



IN-

INDEX MONUMENTORUM, *TOMI QUARTI.*

DOCUMENTA AD HISTORIAM REFORMATIONIS GALLICANÆ.

DOCUMENTA AD HISTORIAM REFORMATIONIS ANGLICANÆ.

XXXI.

I N D E X.

* * *
* *


ELEN-

ELENCHUS ICONUM

TERTIO ET QUARTO VOLUMINI INSERENDARUM.

ICONES TOMI TERTII.

ICONES TOMI QUARTI.

* *
*

INDEX IN TOM. III. & IV.

A designat Tomum III. B. Tomum IV. A. D. Documenta Tomo III. B. D. Documenta Tomo IV. subjuncta.

* * *
* *
*

*

D.

Da-

F.

H.

N.

O.

An-

Sor-

T.

Traz-

Zi;